

Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.



752

26036. d. 8/2

ANNALES INGOLSTADIENSIS ACADEMIAE.

PARS II.

AB ANNO 1572. AD ANNVM 1672.

INCHOARVNT

VALENTINVS ROTMARVS
P. L. ORATORIAE PROFESSOR ORDINARIVS,
ET
IOANNES ENGERDVS
SS. THEOL. BACC. P. L. AC POESEOS PROFESSOR ORDINARIVS.

EMENDAVIT, AVXIT, CONTINVAVIT
ET CODICEM DIPLOMATICVM ADIECIT

IOANNES NEPOMVCENVS MEDERER
SS. THEOL. DOCT. SERENISS. ELECT. PALAT. BAV.
CONSIL. ECCLES. ACTVAL. ACAD. SCIENT. MONAC. SOCIVS,
NVPER IN VNIVERSIT. INGOLST. DIPLOMAT. NVMISMAT. ET
HIST. PATR. PROF. P. O.

INGOLSTADII,
in Bibliopolio Elect. Acad. apud Ioan. Wilhelm. Krüll,
ex Typographia Luzenbergeriana, 1782.



REVERENDISSIMIS,

EXCELLENTISSIMIS,

ILLVSTRISSIMIS AC PERILLUSTRIBVS,

PRAENOBILIBVS AC NOBILIBVS

STATVVM PROVINCIALIVM

SVP. ET INF. BAVARIAE

DEPVTATIS

INCLVTIS PATRIAE PROCERIBVS,

MAECENATIBVS MEIS,

AC

DOMINIS, DOMINIS

PERQVAM GRATIOSIS.

REVERENDISSIMI,

EXCELLENTISSIMI,

ILLVSTRISSIMI AC PERILLVSTRES,

PRAENOBILES AC NOBILES

DOMINI DOMINI

PERQVAM GRATIOSI!

POst Sereniſſimum Principem Noſtrum, communem Patriæ Patrem & huius Vniuerſitatis Conſeruatorem atque Amplificatorem munificentiſſimum, Vobis maxime, Bauariæ Proceres Ampliſſimi, ſacros eſſe velim hos Ingolſtadienſis Academiæ Annales; quip-

quippe qui ea inprimis omnia continent, quæ in antiquiſſima hac Muſarum ſede, inde ab eiusdem exordio, a Religioſo, ab Equeſtri & a Ciuili Ordine, bene vtiliterque pro re literaria geſta ſunt. Deinde gratam illi repetunt beneficiorum memoriam, quæ ab incluto

cluto Collegio Veſtro in hoc Patriæ noſtræ Athenæum, plurima ſane illa ac maxima, ad omnigenarum ſcientiarum incrementum promanarunt. Denique Annales hi ipſi Veſtra potiſſimum liberalitate in lucem publicam nunc prodeunt, perenne ſcilicet poſteris Ve-

ſtri

ſtri erga optimas Artes ſtudii monumentum futuri. Ego quidem, quoad mihi viuere aut ſcribere porro licuerit, Veſtram prædicare beneficentiam nunquam ceſſabo

REVERENDISS. EXCELLENTISS.
ILLVSTRISS. REL. REL. DOMI-
NATIONVM VESTRARVM

Seruorum obſequentiſſimus
Ioan. Nep. Mederer.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

Ioan. Iacob. } *a Lamberg*, Barones in Orteneck & Ot-
Raymund. } tenſtein.



ſtri

futu

ſcrit

bene

REVI

ILL

NATIONVM VESTRARVM

Seruorum obſequentiſſimi

Ioan. Nep. Mederer.

ANNALES
ACADEMIAE INGOLSTADIENSIS.

SÆCVLVM II.

ANNO DOMINI M D LXXII.

A. 1572.

Rect. CXCI. RHODOLPHVS CLENK, Saxo, LL. Licentiatus, & S. Theologiæ Doctor & Profeſſor &c.

Rect. CXCII. FRIDERICVS COMES IN OETINGEN.

Prorect. *Albertus Hungerus*, D. Theol. & Profeſſor.

Inſcripti 155.

Princeps, PHILIPPVS Marchio Baadenſis &c.

Nobiles, *Iac. Wolfg. Comes a Schwarzenberg.*
Balthaſar Leſch.
Ioan. Adam. ab Hobeneck.
Wolfg. Guilielm. Raming.
Ioan. Caſp. a Meckau, Baro in Krenzen, Auſtriac.
Vit Wolfg. Panchler.
Bernard. Eiſenreich.
Ioan. Iacob. } *a Lamberg*, Barones in Orteneck & Ot-
Raymund. } tenſtein.

A. 1572.

Alexius, } *Fugger*, Barones in Kirchberg & Weiſ-
Ioannes, } ſenhorn.
Ioan. Sigism. } *Bucher*, Bauar.
Ioan. Wilhelm }
Martin. } *Schettel*, Patric. Monac.
Alexand. }
Fridericus Comes in Oetingen.
Andreas Frankenreuter, Palatin.
Chriſtoph. Goder, }
Wolfg. Dattenbeck, } Bauari.
Chriſtoph. Büſſer, }
Chriſtoph. Gremblich a Iungingen, Can. Auguſt.
Burchard. de Kaltenthal, Can. Auguſt.
Philipp. Eiſenberg, Moguntin.
Guilielm. a Taufkirchen.
Michael Maier, Patric. Monac.
Georg. Dauid Lerchenfelder, Straubing.
Erneſt. a Mengersdorf, Can. Bamberg. & Herbipol.
Caſp. Offenhamer, Burghuſ.

Nou. Prof. *Iulius Priſcianenſis* Florentinus S. I. *Theol.*
Ferdinand. Alberus, Oenipontan. S. I. *Philoſ.*

Nou. Doct. *M. Ioan. Hintermair*, } *Medic.*
Philipp. Iac. Pfiſter, }

* Anno Vniuerſitatis ſeculari, caſu potius, vt mihi quidem videtur, quam conſilio quodam aut adhibito ſtudio maior ſolemnitas acceſſit. Certe Acta academica nec vnico etiam verbo aut Iubilei, vt vocamus, aut Seculi academici meminerunt. Verum commode ad eius anni ſplendorem accidit, vt ſolito plures inſtituerentur actus academici, qui ſpeciem quandam ſolemnitatis ſecularis exhiberent; ac noui etiam Vniuerſitatis alumni accederent, qui auita ſanguinis claritate, & ſublimi dignitatum, quas poſthac obtinuere, gradu Academiam hanc illuſtrarent. Hos inter primum locum merito tribuimus Illuſtriſſ. Principi PHILIPPO Marchioni Badenſi, de quo plura ad annum 1574. Deinde *Ioanni Iacobo a Lamberg*, qui poſtea Decanus Eccleſiæ Paſſauienſis, Archiducis LEOPOLDI Præfectus, & Epiſcopus Gurcenſis factus, obiit anno 1630. ac demum *Erneſto a Mengersdorf*, qui anno 1583. Eccleſiæ Bambergenſis Præſul electus eſt.

Neque hoc prætereundum, tanquam ex raro quoddam contingentibus, quod inſcripti ſunt eodem anno, 26. Auguſti, tres

A.

tres fratres germani, *Ioannes*, *Michael*, *Laurentius Hageri*, Vber- 1572.
lingenſes, omnes tres Magiſtri trium Facultatum, primus Iuris, ſecundus Theologiæ, tertius Medicinæ, Studioſi, & nunc temporis tres Doctores ſunt, ex quibus Theologus Friburgi Briſiacorum publice docet, Medicus Lucernæ Heluetiorum Medicinam exercet.

* His iungendi merito ſunt, I. *Vincentius Baſton* Brugenſis, Licentiatus Legum. II. *Paulus Fabricius* Leodienſis, nunc Philoſophiæ ſtudioſus, dein I. V. Doctor apud nos creatus, tandem Sereniſſ. ERNESTI, Electoris Colon. & Leodienſis Epiſcopi Conſiliarius. III. *Dauid Schneider* ex Curia Variſcorum, ſeu vt in matricula notatur, *vom Hof ex Voitlandia*, Bibliopola, poſtea *Sartorius* dictus, vir in re typographica in primis diligens & excellens.

M. Valentinus Rotmarus circa initium menſis Maii Profeſſionem Poeſeos in pleno Patrum academicorum ſenatu abdicauit; eoquod honorifica eidem conditio Auguſtæ Vindelicorum eſſet oblata. *Ioannes* autem *Engerdus* ſupplicauit eadem die Senatui, relictam *Rotmari* prouinciam vt obtineret. Et vero commendatus in eam rem Principi, pauloque poſt ab eodem inſtitutus Poeticæ Profeſſor, die 19. Iunii ſolenne lectionum ſuarum principium fecit.

Obiit hoc anno, die 18. Auguſti vir doctiſſimus, ac longo rerum, praxiosque vſu præſtantiſſimus Dominus *Ioannes Reichold*, qui cum hic Iuris vtriusque Licentiatus eſſet creatus, & deinde per duodecim annos Landishutanæ Reip. Syndicum ſeu Archigrammateum egiſſet, tandem laboribus feſſus, relicto iſto officio, Ingolſtadium reuerſus, 26. Nouembris, anno 66. vna cum *Thobia Frankenman*, Aichſtadiano Conſiliario, genero ſuo, in doctorem vtriusque Iuris eſt creatus. Ambo filii, *Ioannes*, qui nunc temporis Reuerendiſſ. & Illuſtriſſimo Principi ERNESTO Epiſcopo Friſingenſi a Conſiliis eſt, & *Benignus* ſimul Iuris Baccalaurei proclamabantur. Spectaculum erat perquam iucundum, quod nullis vnquam accidiſſe temporibus vel hominum recordatur memoria, vel ſcripta maiorum teſtantur, cum Dominus Promotor, Doctor *Caſparus Lagus*, patrem & generum Doctores, duos eiusdem filios, & fratrem ſuum, *Wolfgangum Lagum*, & Collegam quartum *Ioannem Polnerum* Landishutanum iuris Baccalaureos faceret; & quidem in tanta id factum eſt

A. 1572. Scholarium frequentia, quanta multis retro annis nec poſt viſa eſt.

Altare ſummum apud D. Virginem erectum eſt, impenſis Sereniſſ. Boiorum Ducis ALBERTI, cura & opera cum Academicorum, & Reipublicæ Ingolſtadianæ, tum vero Magnifici Domini Cancellarii *Simonis Eccii*, Illuſtre ſane eſt, magnificum & auguſtum, quodque aliquot millibus florenorum conſtat, opus.

* Pictæ tabulæ, quarum complures aram exornant, atque Seruatoris Chriſti & diuæ eiusdem Virginis Matris myſteria exhibent, *Mielichii* Monachienſis Artificis, manu ſunt factæ.

Die 27. Auguſti (id quod in eiusmodi perſonis illuſtribus quo eſt rarius, eo maiore dignum admiratione, eisdemque valde laudabile) progreſſus eſt in publicam Philoſophici certaminis aream, Illuſtris ac generoſus Dominus *Georgius Comes a Montfort*, & in auditorio Canoniſtaram theſes Logicas ex Introductione Porphyriana, Categoriis Ariſtotelicis, de Interpretatione, ex Prioribus & Poſterioribus, in magno Studioſorum conſeſſu, & Illuſtriſſimi Principis PHILIPPI *Marchionis Badenſis* & *Friderici Comitis Oetingenſis*, omnibus pene omnium Facultatum Profeſſoribus contra argumentantibus, magna auditorum admiratione & ſummo cum honore defendit, Præſide *M. Paulo Vizano* Philoſophiæ Profeſſore. Pari ratione & in eadem materia, eodem Præſide, & pari cum laude ac admiratione Theſes defendit Illuſtris & Generoſus Dominus *Ioannes Comes a Montfort*, Domini *Georgii* frater germanus, 3. die Septembris. Quorum alter nempe Dominus *Georgius* nunc temporis Pincernæ officio apud auguſtiſſimum Imperatorem Dominum RHODOLPHVM II. fungitur. Dominus *Ioannes* vero Cameræ ſeu Iudicii Imperialis eſt Præſes. Habent quod diſcant ingenui, & loco exempli ſibi proponant.

* *Ioannes Lonæus Boſcius* Medicinæ Doctor Comitibus *Montfortiis* honoris ergo elegantem obtulit orationem, qua memoratam diſputationem ad poſteros commendabat.

* Aliam ſolemnitatem eadem Facultas philoſophica die 6. Octobris inſtituit, cum tricenos ex ſuis optimarum Artium ac Philoſophiæ Doctores publice crearet, atque in his *Ioannem Engerdum* Neapolitanum Thuringum Poetam Laureatum atque Poeſeos in Academia noſtra Profeſſorem, & *Ioannem Zachariam*, Confluentinum S. I. Literarum humaniorum Præceptorem. Interfuere actui huic Illuſtriſſ. Badenſis Mar-

A. 1572.

Marchio PHILIPPVS, Abbas Schyrenſis, Legati Abbatis S. Stephani, & Præpoſiti Wettenhuſani, Cancellarius Comitis Oettingenſis, ac Proceres academici omnes cum Comitibus, Baronibus & reliquis Nobilibus Academiæ tunc alumnis. In ipſo actu Orationes ac omnis generis carmina graeco, latinoque ſermone recitata ſunt. Ac *Ioanni* quidem *Engerdo Coronam Poeticam*, publicis typis impreſſam, adornarunt *Ioannes Richardus Oſſanæus* LL. Profeſſor, *Fridericus Martinius* Franco, *Michael Rancchinus* Comitis Oettingenſis Præceptor, *F. Ioannes Dominicus Heſs* Franciſcanus, *Ioannes Menzelius* Sandſeenſis. Eius lucis feſtiuitatem ſolenne clauſit epulum, cui centum ſeptuaginta & octo conuiuæ aſſederunt, florenis tantum octoginta nouem in illud expenſis.

Tandem literatura etiam politior in partem venit ſolennitatis; lectiſſimus enim adoleſcens, Eloquentiæ auditor, *Ludouicus Pronnerus* Monacenſis Patritius, Aſſertiones oratorias publice propugnauit, ſub præſidio *Reyneri Fabricii* Leodienſis, Eloquentiæ Profeſſoris ordinarii.

Eodem anno in honorem ordinis philoſophici concluſum fuit in Senatu academico, vt in poſterum liberalium Artium Magiſtri, ac Philoſophiæ Doctores in publicis actibus diſtincto a ceteris ſtudioſis loco, atque in ſuperioribus ſubſelliis Artium Profeſſoribus proximi aſſiderent, eundemque honoris locum in choro, ſupplicationibus &c. retinerent, niſi ipſi, pro arbitrio, primariis quibusdam viris honoris cauſſa cedere vellent.

Hæc quidem omnia cum præclare in Vniuerſitate noſtra agerentur, gliſcebat interea diſſidium domeſticum inter ipſos Academiæ Patres, in cauſſa videlicet eiusdem artiſticæ Facultatis. Cum enim Sereniſſ. Dux ALBERTVS in fauorem Profeſſorum S. I. circa curſum philoſophicum & eorum ſcholas cum Pædagogio academico vniendas decretum edidiſſet, atque ipſos etiam dictæ Societatis Profeſſores a iuramento ceteris Profeſſoribus conſueto exemiſſet, reliqui Patres academici contra ſanctiones illas proteſtati, quaternos e ſuis Monachium, ablegarunt, vt agerent omni opera, ne decretum illud effectum fortitetur. Quis hisce euentus reſponderit, ſequenti anno explicabitur.

Menſe Nouembri a Facultate Theologica & Academia diſceſſit *Theodorus Peltanus* S. I. SS. Theol. Doct. & Profeſſor. Fuit hic *vnus ex primis Patribus* (monumentum in ſchola Theologica eidem poſitum hic deſcribo) *qui virtute & doctrina claruerunt, & in hac academia omni literarum genere ornatus quam maxime floruit. Poſt multos labores Academiæ & Religionis cauſſa conſumtos, poſt literas græcas, hebraicas, & Theologiam publice explicatas Ingolſtadii, Auguſtæ alienæ ſaluti, conſcriptis etiam libris, tanta felicitate & fructu ſe impendit, vt merito illud Ambroſianum poni poſſit: VIXIT ECCLESIAE, MORTVVS EST DEO. Obiit Auguſtæ an.* 1584. 2. *Maii.* Addamus vero *Engerdi* quoque noſtri de *Peltano* teſtimonium *Acad. Ingolſt. P. VII. pag.* 113.

A. 1572. *Theodorus Antonius Peltanus*, ex inferiore Germania oriundus, Societatis Ieſu &c. anno Domini 1556. cum aliis quibusdam Patribus de Societate Ieſu, nempe *Thoma Lentulio* Nouiomagenſi, *Ioanne Cuuillonio* Inſulenſi, & *Hermanno Tirræo* Noueſienſi, Doctoribus Theologis, menſe Auguſto ad noſtram accedit Academiam, & Græcæ, Hæbricæque literaturæ Profeſſor Ordinarius conſtituitur. In Theologia omnes gradus, tam Baccalaureatus, quam ſupremos eſt adeptus. Anno Domini 1562. menſe Aprili, doctoralia recipit inſignia, & in lectione Theologica, Domino *Cuuillonio*, qui ad Concilium Tridentinum proficiſcebatur, ſuccedit.

Si quis, vel propter ingenii rotunditatem & acumen, vel in diſputando, tam in Philoſophica, quam Theologica arena ſubtilitatem & promptitudinem, meretur laudem, certe ille ampliſſimis dignus eſt Encomiis; vt interim linguarum cognitionem, quam publicis ſcriptis & verſionibus ſeu translationibus, & aptiſſimis, & ornatiſſimis toti Eccleſiæ iam fecit teſtatam, ſilentio præteream.

Atque ſingularis illa tanti Theologi eruditio eo maiori debet omnibus eſſe admirationi, quo ſerius ad literarum Studia fertur acceſſiſſe; adeo vt pene ſit præter fidem, tot autores in omni ſcientiarum genere ab illo eſſe perluſtratos. Multas profecto ab illo vigilatas oportet fuiſſe noctes, nec multum temporis, vel diurno ſomno, vel aliis recreationibus contributum, in quo lineam nullam duxerit, eſt credibile. Verum labor improbus omnia vincit. Docuit Theologiam ab anno 62. vſque ad annum 74. vt arbitror, (*ad annum* 72.) frequentibus in materia Theologica diſputationibus habitis. Seceſſit poſtea Auguſtam, vt ſe quieti traderet, quæ etiamnum eiusmodi eſt, vt cum ſumma totius Eccleſiæ & Religionis Catholicæ vtilitate ſit coniuncta.

Præter multas, easque de diuerſis in Theologia materiis & controuerſiis Theſes doctiſſimas, quas in Schola noſtra Dominus *Peltanus* & defendit publice, & typis euulgari, vt ab exteris quoque legerentur, curauit: Congeſſit nuper ex diuerſis autoribus Græcis & in pulcherrimum ordinem redegit Concilium Epheſinum antea lacerum, diſcerptum & ſparſum,

nec

A.

nec vnquam vno in corpore, multo minus donatum latinitate, 1572.
viſum; ſcripſit item

* *Tractatum Theolog. in XV. Capita diſtinctum de tertia & poſtrema Satisfactionis parte. De Eleemoſinarum vi, vſu, neceſſitate, partibus & periſtaſibus*, ex occaſione grauis annonæ compoſitum & diſputatum, atque typis Weiſſenhornianis editum an. 1572. *De Librorum Canonicorum Numero, Authoritate & legitima Interpretatione*, Ingolſt. 1572. *De Chriſti Satisfactione & Maieſtate, itemque de noſtra Satisfactione Lib. III.* Colon. 1576. *De Matrimonio. De Peccato Originis Tractatus* 18. *De Maieſtate Corporis Chriſti. De Sanctorum Origine, Canonizatione, Cultu & Inuocatione, Reliquiis & Imaginibus. De tribus bonorum operum generibus, Eleemoſina, Ieiunio & Oratione Lib. III.* Ingolſtad. apud Dauid. Sartor. an. 1580. *Theologiam Naturalem & Myſticam.* De græcis latina fecit: *Andreæ Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopi Commentaria in Apocalypſim.* Ingolſt. 1574. *Synodi Epheſinæ primæ Acta, Lib. IV.* periochis illuſtrata ac notis. Ingolſt. 1576. *Septendecim græcorum Patrum Homilias in præcipua Chriſti Saluatoris feſta.* Ingolſt. 1579. *Victorem Antiochenum in Marci Euangelium*, & *Titum Boſtrenſem in Lucam*, qui exſtant Tomo IV. Bibliothecæ magnæ Patrum. Reliquit etiam partum poſthumum, *Catenam græcorum Patrum in Prouerbia Salomonis, latine factam; in eadem Prouerbia Commentarios ac Paraphraſim;* denique *Metaphraſim B. Gregorii Thaumaturgi in Eccleſiaſten, cum notis ſuis.*

In cathedra Theologica *Peltano* ſucceſſit *Iulius Priſcianenſis, Florentinus, Societatis IESV. D. Theologus & Profeſſor*: *vir*, vt Rotmarus ſcribit, *omni laude dignus, & quod inter cæteras eius virtutes, quas habet plurimas, excellit, prorſus candidus, & ſi licet dicere,*

Germanam verſans Italo ſub pectore mentem.

* Ad complementum quaſi Iubilei academici charactere etiam aſtronomico ſignatus eſt memorabilis hic annus:

Noua quædam in cælo ſtella per Germaniam viſa eſt, de qua, Cometane fuerit, an vna ex ſtellis fixis, quæ multis non apparuerit annis, an nouiter a DEO creata, an quodcunque denique aliud Meteoron, varie inter ſe diſceptarunt Mathematici, & adhuc ſub iudice lis eſt, tandem rurſus diſparuit.

M. Hector Wegmann Auguſtanus, SS. Theologiæ Baccalaureus Formatus, & Canonicus Wiſenſtaigenſis, Parochus Academicus textus. Promotus in S. Theologiæ Licentiatum, auocatur ab Epiſcopo Patauienſi ad Suffraganeatum. Vir abſtruſæ & profundæ eruditionis, pius & humanus. Reliquit Parochiam 6. Octob. anno 75.

* Suc-

A. 1572. * Succeſſit ſcilicet *Wegmannus*, Parochus a fundato Spec. Virg. templo viceſimus, *Iacobo Feuchtio* Bambergenſi Suffraganeo, quod ſuperiori anno relatum eſt.

Ad alteram Ciuitatis noſtræ Parochiam Diui ſcilicet Mauritii eodem anno promotus eſt *Caſparus Francus*; vt incepta ſcilicet Theologiæ ſtudia maiori cum fructu continuaret.

A. 1573.

ANNO DOMINI M D LXXIII.

Rect. CXCIII. M. CASPARVS FRANCKH Ortrandus, Eccleſiæ Mauritianæ Paſtor.

Rect. CXCIV. ALBERTVS HVNGERVS, S. Theologiæ Doctor & Profeſſor Ordinarius. II.

Inſcripti 164.

Nobiles, *Georg. ab Aſch*, Landishut.
Henric. Rudolph. a Pappenhaim, S. R. I. Mareſchall. hæredit.
Seruatius Räm, Patric. Auguſt.
Ioan. Theodoric. } *Spet de Zwifalten* in Hettingen.
Wilhelmus }
Ioan. Vdalric. Raming a Seeholz, Bau.
Wolfg Sebaſt. Höchenkircher in Birgen.
Marcus Fuggerus Baro in Kirchberg & Weiſſenhorn.
Petrus a Weibe, Hanoueran.
Georg. Piringer ab Eckershaim.
Wolfg. Maurit. a Rorbach.
Georg. Wilhelm. a Leonrodt.
Georg. Spet a Sulzburg.
Chriſtoph }
Sebaſtian. } *Schenk a Stauffenberg*, fratres.
Wernerus }
Albert. Magnus a Malditz, Dom. in Hayerſchwerda.
Wolfg. Comes in Montfort &c.
Ioan. Wolfg. Muffel de & in Ermreutt.

Nou. Prof. *M. Fridericus Martini*, Hainſtat. Franc. *Dialectic.*
M. Ioannes Prunner, *Phyſic.*

In

A.

In numero inſcriptorum, præter ſupra deſcriptos, cele- 1573.
briores numerantur I. *Henricus Rhodolphus a Papenbaim*, S. Romani Imperii Mareſchalcus: adoleſcens perquam ingenuus, indolis eximiæ, ſpeique maximæ. II. *Ioannes Iacobus Rabus* Argentinenſis, Sereniſſimi Ducis Boiorum ALBERTI Concionator aulicus, & *Rabi* Superinſpectabilis Vlmenſis filius. Is abiurata Lutheranorum hæreſi, agnitisque diuino beneficio erroribus, in quos pene demerſus erat, ad Catholicorum caſtra tranſiit. Quod quare factum ſit, cum alia eius ſcripta, quibus iam nunc ſibi immortale nomen peperit, tum vero ille ad patrem, ea de re pie & Catholice ſcriptus libellus docet. III. *Sebaſtianus Pollinger* Purckhuſianus liberalium artium Magiſter, & Sacellanus apud D. Mauritium, vir eruditione, vitæ integritate, & morum candore præſtantiſſimus, quem ego & honoris & amicitiæ ergo adſcribere volui.

* IV. *Pancratius Motſchenbach* Bambergenſis, Artium Studioſus; poſtea Conſiliarius Epiſcopi Bambergenſis, ac tandem Decanus Monachii & Præſes Conſilii Eccleſiaſtici.

Exceſſit è viuis circa feſtum Purificationis MARIAE excellentiſſimus vir ac Dominus *Adamus Landauus* Medicinæ Doctor & Profeſſor, de cuius virtutibus & ſingularibus tum corporis, tum animi dotibus, quo plura dicerem, eo dicenda reſtarent plura. Magna certe cum laude Medicinam apud Ingolſtadienſes docuit, maxima vero felicitate cum intra, tum vero extra muros exercuit, adeo vt parem felicitatem eruditioni, & parem eruditionem felicitati coniunctam dixiſſes. Vir affabilis, raro triſtis, ſemper lætus & exporrecta fronte, omnibusque gratiſſimus. Fertur iam lecto affixus, & morti vicinus dixiſſe, quod a tribus Principibus in aulas ſuas vocaretur, a Sereniſſimo Boiorum Duce ALBERTO, Reuerendiſſimo Epiſcopo Patauienſi, & a ſummo regum rege DEO: verum ſe cæleſtem ſibi eligere aulam, cæterisque præferre:

* Sepultus eſt apud Patres Franciſcanos, hoc cum Epitaphio: *D. O M. Adamo Landauo Islebienſi D. & in hac ſchola Profeſſori Medico cuius ne nulla eſſet mortui memoria, qui in viuis clariſſimum docendo meritoque nomen fuerat conſecutus, amici poſterorum conſulentes obliuioni poſuerunt Anno Sal. CIↃ. IↃ. LXXIII. Die XXV. Febr.*

A. 1573.

Fumus, bulla, cinis, ſomni ludentis imago,
Omnia ſole ſub hoc, eheu! vana omnia vana!

Scripta, quæ edidit, *Griemwaldius in Albo Bauariæ Iatricæ* hoc ordine recenſet: *Diſputatio de Corporis Exercitio*, an. 1565. *Carmen in obitum Friderici Staphyli*, an. 1565. *Oratio de athletica valetudine. Oratio de Corruptionis Artium cauſſa* &c. Edidit præterea Pragæ *Laurentii Grylli libros duos de Sapore dulci & amaro.*

Obiit Reipublicæ Ingolſtadianæ quaſi quoddam columen *Georgius Schoberus*, vir Conſularis, cuius familia multis annis in ea Republica claruit, ſummis ſemper functa honoribus: Reliquit poſt ſe præter filias, tres filios *Chriſtophorum*, *Vitum*, & *Ernfridum* (*alibi Eraſmum lego*) ex quibus poſteriores duo, *Ernfridus* quidem adhuc minorennis, *Vitus* vero maiorennis felicibus iam factis in legum ſtudio progreſſibus, Muſis ſe dicarunt.

* De Conſilio Facultatis Artiſticæ die 20. Maii omnes Philoſophiæ Auditores mandato publico conuocati ſunt; illisque præter alia impoſitum, vt Phyſici ſimul Ethicam, Logici vero Mathematicam audirent.

Controuerſia eiusdem Facultatis Artium, de qua ſuperiori anno ſcribere cœpi, cum aliquamdiu ab illis quatuor Legatis Monachii eſſet agitata, hoc anno Ingolſtadium translata eſt; miſſi ſcilicet ab ALBERTO Duce *Simon Eckhius* Cancellarius, *Wiguleus Hundius*, *Onuphrius Perbingerus* & *Eraſmus Vendius*, qui cauſſam coram cognoſcerent. Cum ne ſic quidem omnes tolli difficultates poſſe viderentur, *Paulus Hoffæus* Prouincialis Ieſuitarum conſilium ſuggeſſit, non expectatum quidem, probatum tamen a Sereniſſ. Principe, ab *Eckhio* Cancellario, immo ab omnibus Patribus academicis; ſcilicet vt Philoſophiæ ac Pædagogii ſcholæ vna cum Profeſſoribus Ieſuitis Monachium transferantur; Ingolſtadii vero omnia ad priſtinum ſtatum reuocentur. Res eodem adhuc anno executioni data: pridie S. Michaelis *Reynerus Fabricius* Rhetoricæ, & *Ferdinandus Alberus* Logicæ Profeſſores cum reliquis Pædagogii Præceptoribus, vti & cum ſuis diſcipulis, qui de Societate erant, Monachium profecti ſunt. Soli duo Profeſſores Theologiæ in Academia tranquille, vt hactenus, ſubſtiterunt.

In vacuas iam ſcholarum philoſophicarum cathedras ſucceſſere *M. Fridericus Martini* Dialectices & *M. Ioannes Prunnerus* Phyſices Profeſſor. Scriptum quoque Vniuerſitatis nomine ad *Ioannem Lyreſium* huius ſcholæ nuper Magiſtrum, nunc Louanii commorantem, vt in conducendis pro Ingolſtadienſi Academia geminis, vno Philoſophiæ, altero Oratoriæ Profeſſoribus, ſed illis excellentibus, operam ſuam velit commodare; quod ille diligenter præſtitit, cum menſe mox octobri *Georgium Dencanum* Valencennenſem, & *Ioannem Torren-*

A. 1573.

rentinum Geldrenſem, ambos Louanienſes Magiſtros, atque illum Louanii in philoſophica, hunc Leodii in oratoria profeſſione per plures iam annos exercitatum nobis commendaret. Sed cum de conſtituendo ſtipendio ageretur, totum hoc negotium intercidit.

A. 1574.

ANNO DOMINI M D LXXIIII.

Rect. CXCV. PHILIPPVS MARCHIO BADENSIS & Comes in Spanhaim &c.

Rect. CXCVI. CYRIACVS LVTZIVS Medicinæ Doct. & Prof.

Inſcripti 161.

Nobiles, *Wilhelm. Danhauſer*, Bau.
Chriſtoph. Stinglhamer, Stutgard.
Georg. Hoppinger de Perbang, Bau.
Bartholom. Deſider. Baro a Lobkowitz, Bohem.
Wolfgang. Chanowsky, Bohem.
Philipp. Iac. Rembold, Patric. Auguſt.
Bernard. Rhelinger, Patric. Auguſt.
Wiguleus Hund de Lauterbach, in Sulzenmos & Lenting.
Ioan. Chriſtoph. a Grüen, Palat.
Georg. Welder, Vlmenſ.
Iechonias Rechlinger a Leder.
Bonauentura, *Ioannes* } *Furtenbach* in Rechenſchwandt.
Dauid Zehentner a Zehentgruob, Patric. Auguſt.
Ioan. Georg., *Ioan. Chriſtoph.*, *Ioan. Conrad.* } *Herwardi* fratres, nobiles Auguſtani.

Nou. Prof. *Philippus Menzelius*, Sandſeenſis, Medic. Doct. & Prof.
M. Thomas Klayber, Weiſſenhornius Organi Ariſtot. Prof. publ.
M. Valentin. Rotmarus, Oratoriæ.

Nou. Doct. *Iacob Gruber*, Ingolſtadienſ.
Balthaſar Pieſſing, Tynhorshof. Bohem. } *Medic.*

A. 1574. Rector æstiualis PHILIPPVS Marchio Badensis &c. erat Princeps multis & animi & corporis dotibus illustris, Scholæ singulare decus, suæ vero ditionis spes vnica & dulcissima: Religionis Catholicæ fundamenta non felicia solum, Reuerendo Domino *Martino Eisengreinio* monstrante, iecit, atque adeo, vt si quando illustrissima eius Celsitudo de controuersia aliqua in Religionis Articulis quærebatur, præter ætatem, tempus & lectionis auditæ diuturnitatem responderet expedite: sed etiam ita firma, ut quæ superioribus temporibus irrepserat hæresis, ea sub ipsius imperio, auxiliante ac rem totam gubernante Sereniſſimo Boiorum Duce ALBERTO, sit ex tota eius Cels. ditione profligata, itaque eradicata, vt, illo Principe saluo, non sit facile repullulatura. Adhuc cælebs est: DEVS Opt. Max. Illustrissimæ eius Cels. & quæ animo, & quæ sunt corpori salutaria, clementer & benigne largiatur.

* Hæc *Rotmarus* in Annalibus: plura in Academiæ Ingolstad. Parte III. pag. 46. quæ in tanti Principis memoriam describere iuuat.

PHILIPPVS MARCHIO *Badensis*, & Comes in Spanhaim &c. Patre PHILIBERTO ex SIDONIA, (errauit hoc in nomine *Rotmarus*; MECHTILDIS enim vocabatur PHILIPPI mater) GVILIELMI quarti Boiorum Ducis filia, & ALBERTI quinti, piæ memoriæ, sorore natus. Parens Anno Domini 1569. die 13. Octobris in Galliis cecidit, cum fortissime pro rege Galliæ contra Hugenotas & Admiralium Hugenotarum Ducem, pugnasset, magno tui apud Catholicos, vt Historici Catholici vtar verbis, relicto desiderio. Vnum hunc filium PHILIPPVM & tres filias ex SIDONIA Ducissa Bauariæ, genuit, quarum media natu superioribus annis Principi Rosenbergensi in Bohemia nupsit.

Accessit Academiam Ingolstadianam, vna cum Illustri & generoso Domino *Iacobo Wolfgango Comite a Schwarzenburg*, & *Ioanne Lechle* nunc Canonico Frisingensi, Anno Domini 1572. relatus in Album Vniuersitatis, die 23. Martii.

Princeps pulcherrimis & corporis & animi virtutumque ornamentis perquam illustris, humanus & clemens in omnes, præsertim vero Academicis, quamdiu nostram Scholam illustrauit, singularem semper exhibuit humanitatem.

Recto-

A.

Rectoratum & faſces Academicos magno animo magna- 1574.
que cum laude geſſit anno 74. quo Dux Iuliacenſis Comiti Palatino, qui Neoburgi ad Danubium ſedet, filiam elocauit.

Suis vnice charus, pius & religionis Catholicæ amantiſſimus, & collapſæ inſtaurator, inſtauratæque propugnator ſtrenuus. Quæ enim annis ſuperioribus, eius Sereniſſ. Celſ. parente aliis negotiis, & præſertim rebus bellicis occupato irrepſerant in eius Illuſtriſſ. Celſ. prouinciam hæreſes, eas partim auxilio Sereniſſ. Boiorum Ducis ALBERTI, fœlicis memoriæ, iam olim profligauit, dirigente & adminiſtrante eam rem illuſtri *Comite a Schwarzenburg*, qui vices abſentis Principis gerebat, partim adhuc, vtpote reliquias ex tanto incendio relictas, reſtinguere, & quicquid ſupereſt mali, penitus exſtirpare, omnibus conatur viribus. Neque enim in literis tantum apud Ingolſtadienſes profecit (quod nobis, imo omnibus Catholicis eſt commune cum hæreticis, quorum hæreticorum eruditionis pars maxima in literarum politiorum, minima vero, imo pene nulla in vera ſolidaque Theologiæ cognitione conſiſtit) ſed & in religione Catholica, Sereniſſ. Boiorum Duce ALBERTO autore & auſpice, inſtituente vero Reuerendo & ampliſſ. viro ac Domino *Martino Eiſengrein* &c. fundamenta ita fœlicia itaque firma poſuit, vt inuadi quidem, ſed euerti nunquam, impugnari quidem Princeps queat, ſed expugnari minime. Eccleſiam igitur Dei, & religionem Catholicam, quantumuis Illuſt. eius Celſ. ditio circumquaque hæreticis, non aliter atque ouile rapacibus lupis ſepta, circumuallata, & quaſi obſeſſa impetatur acerrime, ſtrenue tamen defendit, magoque animo, vt poëtæ latini verbis vtar:

Ignauum fucos pecus a præſepibus arcet.

Habet ad eam rem Conſiliarios ſelectiſſimos & aptiſſimos, qui & ipſi cum ſint καθολικώτατοι, & non niſi veram & auitam Eccleſiæ Catholicæ religionem ſpirent, non patiuntur ſuo exemplo, Principem aliud, quam Catholiciſmum cogitare, agere & promouere, adeo vt eius Illuſtriſſimæ Celſ. per ſe, & ſuapte natura religionis auitæ amantiſſimæ, magno ſint ad zelum feruentiorem incitamento. Salua igitur eſt per eius Illuſtriſſimæ Celſ. ditiones Religio, reſpirauit, & floret diuinus cultus, &

A. 1574. quicquid ad pietatis ſtudium attinet: quanquam ſemper aliqua latent commixta tritico zizania.

De Conſiliariis eius Illuſtriſſimæ Celſ. hoc ipſum gratitudinis ergo tacere non poſſum, cum elapſo menſe Feburario Badenam veniſſem, abſente Principe, ab iis me omni genere humanitatis exceptum, tractatum prolixe ac magnifice, dimiſſum tandem & honorificentiſſime & liberaliſſime.

Aedificat ſibi princeps, in vrbe Badenſi ſuper collis ſublimitate, magnificam & plane regiam arcem, cuius renouationis initium feciſſe dicitur Comes a Schwarzenburg.

De Marchionibus Badenſibus magnifica ſcribit *Irenicus* Ettlingenſis, de ipſorum origine, eruditione, & ſingulari pietate religioneque Catholica, propter quam & ipſis Pontificibus fuerint chari, & honeſtiſſima ab iisdem ſint meriti teſtimonia encomiaque Lib. 3. Exegeſios Germaniæ, cap. 91. 92. 93. 94. & ſequentibus tribus capitibus.

DEVS Opt. Max. tam generoſum Principem in multos annos ſeruet incolumem, piasque in religione Catholica fideque auita cogitationes, ac conatus foueat, augeat, & confirmet, in animæ Illuſt. eius Celſ. ſalutem, & Eccleſiæ religionisque Catholicæ incrementum.

* Huic PHILIPPO Marchioni *Rotmarus* an. 1580. ſuos Annales Academiæ Ingolſtadienſis dedicauit; eaque, ni fallor occaſione Badenam excurrit. PHILIPPVS, cum proxime abeſſet a nuptiis cum SYBILLA Iuliacenſis Ducis filia celebrandis, præmaturo fato, annos nonniſi nouem & viginti natus, extinctus eſt anno 1588.

Aduerſus Academicos ea humanitate vſus eſt Illuſtriſſ. PHILIPPVS Marchio, & cum *Wegmannus* & *Wagnerus* Licentiatum, quem vocant, Theologicum reciperent, non ſolum actum ipſum ſua præſentia condecorare, ſed prandio etiam, quod pro more apud *Hieronymum Sattlerum* hoſpitem ciuicum inſtruebatur, cum *Friderico Comite Oettingano*, cum *Fuggeris Baronibus* & *Lambergio* intereſſe voluerit.

Inter inſcriptos I. *Bernhardus Wirwitz* Syleſius, Iuris vtriusque Doctor: mortuus apud Ingolſtadienſes & apud Franciſcanos ſepultus eſt, cum monumento. II. *M. Laurentius Schreckenfuchſius*, *Erasmi Oſualdi Schreckenfuchſii*, Mathematici, piæ memoriæ, noſtro tempore nemine ſecundi, & Profeſſoris Friburgenſis

A.

genſis filius: nunc temporis ſucceſſor parentis Matheſin Friburgi 1574.
docet.

Calendis Febr. paulo poſt duodecimam emigrauit ex hac vita ad cæleſtem illam & æternam Patriam incomparabilis heros, *Simon Thaddæus Eccius*, Sereniſſimi Boiorum Ducis ALBERTI Cancellarius ſupremus, poſt multos, & pro Bauariæ incolumitate, & Religionis Catholicæ ſalute exhauſtos labores: magni illius Theologi & inuicti Eccleſiæ propugnatoris, *Ioannis Eccii*, frater germanus. Multis & eximiis dignitatibus, dum vixit eſt perfunctus: Officialis munus apud Patauienſes adminiſtrauit. Conſiliarium egit apud Epiſcopum Aichſtadianum. Mortuo fratre anno 43. Cancellarius Purckhuſianus eſt conſtitutus. Ibi cum ſummopere fidem ſuam, & in rebus tractandis induſtriam Sereniſſimo Principi noſtro probaſſet, ad ſummum Bauariæ tribunal eſt vocatus, & aulicus declaratus Cancellarius. E viuis ſublato *Seldio*, Vicecancellario Cæſareo, a FERDINANDO I. & MAXIMILIANO II. ad Vicecancellariatus dignitatem accerſitus eſt. Quod officium non tam, quod ſuis diffideret viribus, & imparem ſeſe iſti exiſtimaret oneri, quam propter afflictam valetudinem, aliasque iuſtas ob cauſas, modeſte recuſauit: Interim tamen Imperatorii Conſiliarii munus effugere non potuit. Vir pius, iuſtus & incorruptus, grauis, cum res poſcebat, & humanus ſimul: Religionis amantiſſimus, adeo vt repurgandæ a ſordibus hæreticorum Bauariæ primus pene Sereniſſimo noſtro Principi autor fuerit, multumque in ea re deſudauerit. Singularis fuit ſtudioſorum Mecænas, & Academiæ Patronus benigniſſimus.

Qui de eius vita ac virtutibus plura deſiderant, luctum Academicum, Ingolſtadii impreſſum, & terſum Domini *Engerdi*, Poëtæ Ingolſtadienſis, de re eadem Carmen legant.

Eodem anno, menſe Maio, ego *Rotmarus* ad Oratoriæ Facultatis Profeſſionem Auguſta euocatus, redii Ingolſtadium, & ſolenne lectionis Principium in præſentia Illuſtriſſimi & Magnifici Domini Rectoris &c. feci.

* *Iulius Priſcianenſis* ſuperiore iam anno poſt *Theodorum Peltanum* Theologiæ explicandæ initium fecerat; interea neque in Facultatem, neque ad Senatum fuerat receptus, ob difficultatem iuramenti, quod requirebatur. Menſe tandem Nouembri huius anni, cum Sereniſſimus

A. 1574. mus Dux ALBERTVS Profeſſoribus Societatis IESV antiqua Academiæ iuramenta remiſiſſet, ad Facultatem ſacram admiſſus eſt *Iulius*, præſtito iuramento, quod iam fere biennio abhinc ex voluntate Sereniſſimi pro Patribus Societatis ſpeciali quadam formula conditum fuit.

A. 1575.

ANNO DOMINI M D LXXV.

Rect. CXCVII. M. FRIDERICVS MARTINI, Phyſices Profeſſor.

Rect. CXCVIII. PHILIPPVS MENZELIVS Medicinæ Doctor & Profeſſor, de quo plura ſtatueram dicere, ſed adulationis crimen obſtat.

Inſcripti 127.

Nobilis, *Ioan. Guil. a Rechberg* de Hohenrechberg.
Burchard. a Fraunberg, Can. Auguſt.
Ioannes Voyt, Patric. Norimberg.
Ioan. Georg. Reicher a Freihauſen, Bau.
Philipp. Iac. a Breckendorf.
Andreas, *Georgius* } *Barones a Sternberg*, fratres.
Sebaſtian. a Königſtein.
Chriſtoph. Traner.
Ioan. Chriſtoph., *Carolus* } *Vöhlin* a Frickenhauſen, fratres.
Damianus, *Ioan. Adam.* } *Denger* ab Eckaw.
Ioan. Carol. Mülſtetter a Maurn.
Georg. Sigfrid., *Ioan. Chriſtoph* } *Zott* a Perneck.
Ioan Frideric. a Weittingen, Can. Salisburg.
Georg., *Anton.* } *Fuggeri*, Barones in Kirchberg & Weiſſenhorn, fratres, *Marci* Præfecti vrbis Auguſtanæ filii.
Chriſtoph. Vdalric. a Knöringen in Creſsberg.

Nou. Prof. *Gregorius de Valentia*, Hiſpan. S. I. *Theol.*

Lucas

A.
1575.

Lucas Pinellus, Italus S. I. *Theol.*
Ioannes Gailkircher, Iuliacenſ. I. V. D. & Prof. Inſtt. Ord. Codicis extraord.

* Ex inſcriptis præter memoratos Nobiles ac Profeſſores præcipuam meretur mentionem.

I. *M. Ioannes Rutilius* Brabantus, vir & in Philoſophicis ſtudiis, & in Theologia, in Græcis pariter ac Latinis literis apprime doctus; vnus ex primis Dilinganæ Scholæ Profeſſoribus. Is mutato eius Scholæ ſtatu, in Cœnobium Cæſarienſe ſeceſſit, vbi multis annis iuniorum præceptorem egit; nunc temporis Scholam Cathedralem Auguſtæ regit.

Ex *Rutilii* officina prodiit, frater *Leonardus Lauretus Dominicus Steichelius*, & *Gallus Stromair*, itidem Cœnobitæ Cæſarienſes, qui eodem inſcripti ſunt anno. Ex his *F. Leonardus* anno 77. in ipſis feriis Canicularibus Magiſterii inſignia conſecutus eſt, reliqui duo in Monaſterio domi agunt, itidem Magiſteriali laurea digniſſimi. Hoc idcirco adſcribo primo, vt maleferiati quidam homines intelligant, præſertim hæretici & Monachorum hoſtes, literarum Studia, pietatisque exercitium minime apud eos elanguiſſe, nedum intercidiſſe penitus. Quod illi falſo de Cœnobitis blaterant calumniatores, cum non tam diſciplinam eorundem attendant, quam bonis & redditibus eorundem inhient.

Deinde vt noſtræ quoque religionis homines intelligant, quantum & ad religionis incolumitatem, & vitæ integritatem conducat, eos eſſe doctos, qui aliis ſunt præpoſiti. Certe Reuerendus & Doctiſſimus D. Cæſarienſis Monaſterii Abbas, *Vdalricus Kelle* Wiſenſtaigenſis, quem ego honoris & gratitudinis ergo non poſſum præterire, neutiquam tantas in ſuis excolendis Monachis expenſas faceret, cum minoribus ſumptibus intra Cœnobii parietes poſſent inſtitui, niſi & ipſe doctus & ſingularis Studioſorum eſſet Mæcenas, nec otio aut ventri, ſed Diuino cultui & Eccleſiæ, religionique Monachos fieri intelligeret.

* II. *Ioannes Cræſelius*, Vilſeckenſis, per annos octo apud nos Bibliothecarius. Edidit anno 1584. typis Sartorianis Elogia Virorum Principum ac Eruditorum, duabus partibus comprehenſa.

A. 1575. Hoc anno, menſe Februario, ſub Rectore *Cyriaco Lutzio*, nocturnus inter Studioſos aliquot paucos, & vigilum agmen conflictus vehemens & acris contigit, & quidem ita grauis, vt licet vigiles & multitudine & armis longe forent ſuperiores, cedere tamen loco cogerentur, & Academicorum, ciuiumque implorarent opem. Confoſſus eſt vnus ex vigilibus. Latitarunt aliquandiu Studioſi, & obſeſſæ vrbis portæ. Circumſeſſæ ædes, ſed iam caute elapſi: Tandem neſcio quam imprudenter, quidam ex conflictoribus proditus, ab Academicis eſt carceri mancipatus.

Qui creditus eſt poſtea autor fuiſſe cædis, quæſitus inueniri non potuit, tandem mutato habitu, cuſtoditis etiam portis, vrbem egreſſus dicitur: alius pari ratione cuſtodes fefelliſſe putatur; alii denique ſemotis a portis cuſtodibus, vrbem libere & aperte exierunt. Citati ad diem comparuerunt tres: quatuor per conuentionem pecuniis parti læſæ numerandis ſunt damnati: autor cædis qui credebatur, & alter quidam ignotus immunes fuerunt, quia vbi eſſent, & qui forent, neſciebatur. Exul tamen ab Academia per relegationem declaratus eſt nullus, neque enim tam facile ad relegationem deſcendunt Academici, & calamitatem addere calamitati res eſt miſera.

Anno eodem M. Iunio, exceſſit e viuis Reuerendiſſimus & Illuſtriſſimus Princeps ac Dominus *IOANNES AEGOLPHUS a Knöringen* ex equeſtri Sueuiæ familia natus, Epiſcopus Auguſtanus, cum Epiſcopatum per biennium adminiſtraſſet, multaque in eadem Eccleſia emendaſſet, heros prudens, magnificus, ciuilis & humanus, Principibus viris, præſertim Sereniſſimo Boiorum Duci *ALBERTO*, cui a Conſiliis fuit, perquam gratus, Pontifici Maximo & Imperatori *MAXIMILIANO II.* felicis memoriæ, vnice commendatus, ſummis ab iisdem ornatus honoribus, & quod virtutum illius luculentiſſimum eſt teſtimonium, lausque ſumma, non Auguſtano tantum Epiſcopatu (id quod & Pontificis & Cæſaris ad Capitulum Auguſtanum literæ, cum ſedes illa *OTTHONE* mortuo vacaret, teſtantur) ſed longe ſublimiore & ampliore ab iis digniſſimus eſt iudicatus.

Donauit Academiam Ingolſtadianam inſtructa Bibliotheca, quæ vel eo nomine maximi facienda, quod cum ipſius

Knö-

A.
1575.

Knöringeri, tum etiam clariſſimi viri ac Domini *Henrici Loriti Glareani* Glaronenſis, P. L. Familiaris Imperatoris, hiſtorici, & hiſtoriarum apud Friburgenſes Briſgoiæ Profeſſoris excellentiſſimi memoriam, a quo viuo *Knöringus* coemerat, tanquam pignus quoddam ab illis relictum nobis, nunquam apud nos interire patiatur. Addidit præterea multa numiſmata antiqua, ex auro, argentoque fabricata, & alia complura veterum monumenta. Item pretioſa pro Sacello ornamenta & clinodia. Atque inſuper centenorum florenorum in ſingulos annos redditus.

Fuit cum in omnes, tum vero in bonarum artium ſtudioſos, & literatos viros liberaliſſimus, religionis vero Catholicæ amantiſſimus, in cuius incolumitate tuenda, conſeruanda, promouenda amplificandaque nullis parcebat ſumptibus. Quæ omnia prolixo me explicare ſermone memini, cum ſuperiori anno primus Heroi illi magnifico, iuſta oratione, non quidem funebri, ſed panegyrica litarem.

Cum Romam inuiſeret, ſummus Pontifex Palatinatus Lateranenſis dignitate (id quod & ab Imperatore factum) eum exornauit. Quorum maleuolis ſermonibus animus ab illo erat auerſus, cognita ipſius virtute & bene perſpecta, maledicos ſuſurrones execrati ſunt, totoque animo heroem ſunt complexi. Nemo vſquam eſt repertus, qui illi Epiſcopalem inuideret dignitatem, niſi forte ſunt, quibus omnia in omnibus diſplicent.

* Plura *Rotmarus* de *Knöringio* diſſerit in Acad. Ingolſtad. Parte VI. pag. 79. & ſeqq. quæ, quam prolixa etiam ſint, ob inſignia Optimi huius Principis in hanc Academiam merita, præterire minime licet. Sic autem ibi ſcribit:

Inter cæteros, qui ex nobilibus orti parentibus alios excelluere, & ad Epiſcopalem ſunt euecti dignitatem, tanquam vita defuncti feliciter humanis valedixerunt, haud poſtremum ſibi locum vendicat, nec exiguo ornamento eſt laudique noſtræ Academiæ *Ioannes Aegolphus a Knöringen*, ex equeſtri, longeque nobiliſſima apud Sueuos familia procreatus, cuius maiores rebus domi foriſque fortiter & præclare geſtis claruerunt, tam ciuilibus, quam Eccleſiaſticis functi ſunt dignitatibus. Principibus a conſiliis eorundem geſſere vices, & nobiliſſimis coniugiis inſignes extitere, propterea quod etiam Baronum permiſcerentur ſanguini.

A. 1575. Dedit operam in noſtra Academia literis circiter annum quinquageſimum, feruente adhuc iuuenilis ætatis ſanguine. Inde Friburgum circiter annum 60. profectus, omnibus iuuentutis abiectis ineptiis, cum Domino *Henrico Lorito Glareano*, *Ioanne Hartungo*, *Caſparo Stiblino*, & *Conrado Dinnero*, viris tam Græce, quam Latine doctiſſimis, frequenter & quam familiariſſime viuebat. Ibi tum Bibliothecam a Domino *Glareano* etiamnum in viuis exiſtente, vel ſolius *Glareani* nomine nobiliſſimam, aliquot centum emit florenis, ſed ita tamen, vt vſusfructus penes *Glareanum*, quoad viueret, poſſet remanere.

Multa præclara geſſit, heros omnibus virtutum ornamentis illuſtris vereque nobilis, longe tamen & præclariora & maiora ante Epiſcopalem eius dignitatem, quam cum ad rerum gubernacula eſſet euectus, tum quia negotiorum premebatur mole, itaque in Epiſcopatu ſuo Rempub. tum Eccleſiaſticam, tum politicam repererat conſtitutam, vt totum requireret hominem, omnesque cogitationes ad vnam pene reformationem, nouamque Reip. conſtitutionem forent conuertendæ, ſiue quod forte in abſentia ſui anteceſſoris, multi illi videbantur irrepſiſſe errores, ſeu quod credibilius eſt, aliam ipſe ac ſuis cogitationibus rebusque idoneam conceperat reipublicæ ideam; tum vero quod valetudini proſperæ perquam exiguum tempus fortuna conceſſerat, anguſtisque eius adminiſtrationem circumſcripſerat terminis.

Nec dubitandum, quin conſtituta pro ſuo arbitrio ideaque concepta, reipublicæ maxima quæque præſtiturus fuiſſet, niſi Dii tantum heroem nobis inuidiſſent, citiusque tum noſtra, tum ipſiusmet opinione eripuiſſent: quanquam nec adminiſtratio Epiſcopatus ſua caret laude. Quid enim non præſtaret laude dignum, qui in laude perpetua vixerat, neque vel humile abiectumque, vel ſordidum illaudatumque præſtiterat vnquam? Quanquam virtus ipſius animi rerum mole vel oppreſſa concidiſſe nonnihil, vel exterrita, elanguiſſe multis bonis videbatur.

Cæterum quo recentior eſt herois illius apud omnes bonos memoria, eo & illi mihi æquiores erunt in legendo iudices, & minus ego in probando teſtibus egebo. Poſteaquam

Aca-

A.

Academiis nuncium remiſiſſet, & quo ſe a Deo vocatum ar- 1575.
bitrabatur, ad Eccleſiaſticam totus tranſiiſſet Remp. ſacrisque iam initiaretur ordinibus, ilico etiam ad dignitates Eccleſiaſticas promouetur, & primo quidem Scholaſtici in Eccleſia Herbipolitana, deinde vero in Auguſtana Cuſtodis officio honoratur, adeo vt cum ætatis augmento, dignitatum acceſſio, & cum dignitatibus reddituum quoque auctiones fierent. Erat autem egregiis tam ingenii quam corporis dotibus præditus: Statura corporis procera, & pene heroica, vultu ſereno, nitido ac læto, humanitate & affabilitate ſumma, qua omnes recreabat, omnes in ſui amorem & reuerentiam pertrahebat. Perquam eruditus, prudens, & in rebus agendis induſtrius. Magnificus, liberalis, & excelſi vere animi, adeo vt nihil ſordidum, humileue cogitaret, ſed omnia magnifica, excelſa & heroica præſtaret affectaretque. Inde fiebat, vt non plebis tantum ſibi conciliaret animos, quæ bonis corporis & fortunæ facilius, quam animi dotibus mouetur, ſed ſummorum etiam virorum ac Principum in rep. Chriſtiana gratiam fauoremque promereretur. Præcipue vero Sereniſs Boiorum Duci *ALBERTO* non tantum gratus, ſed familiaris etiam pene fuit, & ab eodem in Conſiliariorum ſuorum numerum adſcriptus.

Cum vero exterarum quoque nationum viſendarum, præcipue vero Italiæ inſpiciendæ ſingulari afficeretur deſiderio, primo totam pene Italiam vſque in vrbem perluſtrauit. Romæ non in Cardinalium tantum colloquium & amicitiam vltro admiſſus (vidi enim, coramque inſpexi doctiſſimas, humaniſſimasque Cardinalis *HOSII* aliorumque ad ipſum ex vrbe datas literas) ſed etiam, quod primas fælicitatis partes obtinet, ſummus Pontifex ſuo fauore ipſum dignatus, patrocinioque, & Comitis Palatini Lateranenſis dignitate benigne exornauit.

Perluſtrata Roma, Italiaque, Imperatoris quoque aulam inuiſit, in qua nemo ex proceribus aulicis tanti vel nominis vel autoritatis vel generis ſplendoris erat, qui non de *Knöringio* præclare ſentiret, eius amicitiam exoptaret, contractamque ſancte coleret; & vt paucis multa comprehendam, cum ſibi exiſtimationem, nominisque celebritatem pepererat, tot amicos ſibi coniunxerat, vt poſteris temporibus eius ædes raro præclaris hoſpitibus carerent. Imperator itidem, vt ſummus Pontifex,

A.
1575. Comitis Palatini Dignitatem, aliasque immunitates eidem contulit.

Quin & inferiorem Germaniam, ipſumque Belgium viſendi ſtudio percurrit. Ita diuerſis Germaniæ Italiæque perluſtratis regionibus, peregrinationibus valedicit, res ſuas melius conſtituit, totumque ſe ad Eccleſiam Dei iuuandam, religionem conſeruandam, propagandamque, bonaque ſtudia promouenda conuertit, hominumque commodis, quantum pro facultatibus illi liceret, inſeruit.

Munificentiam & liberalitatem in eo ſpectare licebat eximiam, peneque viro Principe dignam. Eleemoſynis quotidie pauperum ſublenabat egeſtatem, Studioſos adoleſcentes Mecænatibus facultatibusque deſtitutos, qui ad ipſius fidem, liberalitatem, & patrocinium confugerant, vel viatico proſequebatur, vel maiori releuabat ſubſidio, neque quenquam a ſe mæſtum, nedum inanem, modo honeſti ſpeciem præſeferre videretur, abire paſſus eſt.

Nec minor erat in viros doctos ac præſertim Eccleſiaſticos liberalitas, quos vltro muneribus ad ſe alliciebat, & ad ſacram quaſi militiam, religionisque defenſionem incitabat. Quin etiam ſuos in ſtudiis habebat alumnos, quos aliquando Eccleſiæ profuturos ſperabat.

Illud vero eximiæ ac plane regiæ liberalitatis, magnificum eſt exemplum, quod pietatis ergo, in communem Reip. literatiæ ſalutem, præſertim vero Eccleſiæ, religionisque Catholicæ incolumitatem, ampliſſimam, inſtructiſſimamque bibliothecam, tum ex libris Domini *Henrici Loriti Glareani* Hiſtorici inſignis comparatam primitus, tum nouorum deinde voluminum acceſſione abunde auctam & locupletatam egregie Ingolſtadianæ Academiæ, cui multis de cauſis impenſe fauebat, viuus donauit, eamque omnibus ad communem Studioſorum vſum patere voluit.

Addidit inſuper precioſum variorum monumentorum & antiquitatum ex diuerſis materiis fabrefactarum theſaurum, quem ille minime exiguis ſibi comparauerat ſumptibus, numiſmata antiqua ex auro, argento & ære aliquot centum florenorum precio æſtimata: pretioſa in vſum Sacelli & cultus diuini ornamenta

menta & clinodia, Denique annuos conſtituit redditus, quibus bibliothecarius ali, & bibliotheca conſeruari, augeri & locupletari poſſet. A. 1575.

Voluit præterea in eo ſacello anniuerſarium poſt feſtum Diui Martini, cum vigiliis, officio & Oratione ſibi fieri, & Profeſſores Vniuerſitatis prandio aliquali refici. Atque ea ipſa donatio (quod certe apud me admiratione minime caret) aut eo ipſo die, quo Reuerendiſſimus & Illuſtriſſimus Princeps Dominus *OTHO* Cardinalis & Epiſcopus Auguſtanus &c. Romæ obiit, aut non multo ante facta & ratificata, idque Auguſtæ in ædibus eiusdem Domini *Knöringii*, præſentibus reuerendis, nobilibus & ampliſſimis viris ac dominis *Martino Eiſengreinio* Vicecancellario Ingolſtadienſi & Præpoſito Patauienſi Oetingenſique, ac *Rhodolpho Clenckh* Saxone Doctore Theologo & Profeſſore, qui eo euocati aduenerant, & harum lucubrationum autore. Quæ hactenus a me dicta ſunt, ea omnia ante Epiſcopalem dignitatem euenere. Nunc ad eius Epiſcopalem ſtatum tranſeamus. *Vid. Annal. acad. Pars IV. N. LII.*

Anno Domini 1573. mortuo Cardinali & Epiſcopo Auguſtano *OTHONE Truckſeſs a Walpurg*, indicitur electioni 18. dies Maii, qui proximus tum erat poſt feſtum Trinitatis, ad quem Canonici adeſſe iubentur omnes. Mirum eſt dicere, quantus iam tum & multo ante tempore omnium pene Canonicorum, multorumque & quidem præcipuorum Germaniæ Principum (teſtata viſaque loquor) ad eligendum *Knöringium* conſenſus fuerit, quaſi ad eius dignitatem ac honorem non defendendum tantum, ſed etiam amplificandum conſpiraſſent.

Aderat breue Apoſtolicum, quo *Knöringium* ſummus Pontifex Collegio Canonicorum commendabat, & quaſi dignum Epiſcopatu declarabat. Aderant interceſſiones Imperatoriæ, & aliorum Principum Catholicorum, atque etiam Lutherani cuiusdam tum literæ commendatitiæ, tum etiam Oratores, propterea quod eum inter omnes vt digniſſimum, quam maxime ad Epiſcopalem dignitatem euectum cuperent.

Itaque 18. die Maii conſenſu communi & vnanimi totius Collegii Canonicorum, in magno hominum concurſu & expectatione, eligitur Auguſtanus Epiſcopus, & ſupra ſummum eius tem-

A. templi altare collocatus, congratulabunde ſalutatur. Hic noua
1575. rurſus bonorum omnium videre erat gaudia: Spectatorum, reique euentum auide expectantium applauſus, ſubditorum iubilationes, Clericorum in omnibus pene templis exultationes, gratiarumque actiones. Electione per tabellarios, literas & veredarios hac illac nunciata, tum priuatæ, tum publicæ Principum ilico adſunt gratulationes, & ex ipſa etiam vrbe, & ex ampliſſimo Cardinalium Collegio adſunt literæ. Ita nemo erat, qui non maxima quæque de recens electo Epiſcopo, vt qui antehac magna, præclaraque præſtitiſſet, ſibi polliceretur.

Cum primum Epiſcopatu legitime potitus ad rerum gubernacula ſederet, ilico prouinciæ ſuæ ſtatum diligenter explorat, rationes inſpicit, acurateque ipſemet ſubducit, omniaque ſingulatim perluſtrat, vt ſi quæ Respubl. vel temporum difficultate, vel aliena adminiſtratione, vel quocunque caſu accepiſſet vulnera, ea maturo, opportuno ſalubrique ſanaret remedio, & quæ integra erant, confirmaret, ſtabiliretque.

Deinde cum piiſſimus Princeps Eccleſiaſticam diſciplinam nonnihil in Epiſcopatu ſuo labefactatam, conuulſamque animaduerteret, non minus eo, quam ad rempublicam politicam, omnem conuertendum animum, omnem cogitationem, laborem & curam ei rei impendendam cenſet, vt diſciplinæ vel diſſolutæ, vel vacillanti ſucurreret, quæque in prauum temporum iniuria detorta erant, tempeſtiuam, idoneamque adhiberet correctionem. Itaque cleri per totam ſuam Diocæſin inſtituit reformationem, abuſus in Eccleſiis tollit, mores deprauatos, quantum poteſt, corrigit, & quo malo piorum hominum animi vehementer etiamnum oſtenduntur, concubinas ſacerdotales, ne cui in poſterum malo eſſent exemplo, proſcribit, & extra ſuæ prouinciæ terminos abire iubet.

In vtraque igitur repub. tam Eccleſiaſtica, quam ciuili repurganda, inſtituenda, ornanda & regenda, tanquam in vigilia quadam Senatoria prudentiſſimus Princeps ſemetipſum conſtituebat, neque vsquam, quamdiu per valetudinem ei licuit, diſceſſit: imo ne lecto quidem affixus a Repub. ſua oculos deiecit, vt illa quaſi Colonia quædam perpetuis præſidiis, cuſtodiis, vigiliisque munita eſſet.

In

In eadem Epiſcopatus ſui adminiſtratione, multum diuque de vſuris tollendis, abolendisque penitus, elaborauit, quemadmodum libellus de ea re typis euulgatus teſtatur. Quam rem etiam alii poſt eum, ſed nullo omnino ſucceſſu, tentaſſe dicuntur. Sed libet hoc loci iisdem exclamare ex noſtro Epicedio verbis: A. 1575.

Heu nihil inuitis homines fas fidere Diuis,
Qui fuerat longo Præſul dignissimus æuo,
Vix ille oſtenſus terris in limine regni
Deficit & primis heros cadit inclytus annis.

Etenim primo ſtatim anno ſui regiminis incipit cum aduerſa valetudine conflictari. Varii erant de ea re hominum ſermones & opiniones. Alii cauſam morbi in malitiam improbarum mulierum reiiciebant, alii naturæ adſcribebant iracundæ: alii alias comminiſcebantur rationes.

Præfuit Epiſcopatui prudenter, ſalubriter & fructuoſe per biennium tantum. Obiit menſe Iunio, anno domini 1575. cum ſummo omnium bonorum luctu.

Succeſſit ei in Epiſcopatu, reuerendus, nobilis & ampliſſimus vir ac dominus, *Marquardus a Berg* Præpoſitus Babenbergenſis & Auguſtanus, quem Deus opt. max. diu incolumem ſeruet.

Obiit die 9. Iunii in ipſa Octaua corporis Chriſti, *M. Paulus Aemilius*, Hebraicæ linguæ Profeſſor, ſub ſtatione proceſſus cum Sacramento, ad ipſius ædes. Habet Epitaphium lapideum apud D. Mariam, cum figura Conuerſionis D. Pauli.

* Eſt vero monumenti illius hæc inſcriptio vernacula: *Anno 1575. den 9. Iun. ſtarb der Ehrnveſt und wohlgelehrt Herr M. Paulus Aemilius Romanus, der Heil. Sprach Profeſſor allhie. Aemilius* a Iudæis ad Chriſtianos conuerſus, anno 1547. ad noſtram Academiam acceſſit. Ducta dein vxore *Anna Pflanzmannia*, genuit ex eadem filios ſex, atque vndecim filias; id quod dictum monumentum exhibet, in Sacello S. Barbaræ eidem poſitum. Linguæ ſacræ cognitione inprimis claruit, quod ſcripta loquuntur Auguſtæ ab ipſo edita; ſcilicet *Quinque Quinarii Legis, cum quinque Hiſtoriis, Canticis Canticorum, Ruth, Eccleſiaſte, Threnis Hieremiæ, & Hiſtoria Eſther.* Vulgauit præterea typis Ingolſtadianis, *Widerlegung etlicher Vrſachen, warum die Iuden Meſſiam nicht annemen.* Catalogum quoque Codicum hebraicorum, qui in Bibliotheca aulica Monachienſi aſſeruantur, magnam

A. 1575. partem confeciſſe videtur, cum in margine illius Catalogi hæc verba legantur: *Paulus Aemil. hic finem fecit.*

Profeſſores Theologi curſum Theologicum cæperunt hoc anno ſecundum D. Thomæ Summam docere.

* Ex eodem Theologorum Collegio, atque ab ipſa Academia hoc anno abierunt I. *Hieronymus Torres*, Hiſpanus, ex Catalauniæ oppido Montblanc oriundus; qui cum Romæ curſus aliquot Artium, vt vocant, & Philoſophiam publice explicaſſet, Ingolſtadium anno 1567. delatus Theologiam per integrum octennium docuit. De eiusdem laudibus *Ioan. Engerdus* in Acad. Ingolſtad. Parte VII. p. 156. b. ſequentia adnotauit:

Alphonſo Piſano in Hiſpania nato, Doctori Theologo Societatis IESV, cum anno 1567. hinc ad Dilinganam Academiam ſe conferret, illinc ad nos profectus, in Theologica Profeſſione ſucceſſit *Hieronymus Torrenſis*, & ipſe Hiſpanus & Doctor Theologus, eiusdem Societatis, vir integritate vitæ, pietate, humilitate atque eruditione præſtantiſſimus, qui anno eodem in menſe Maio, ſub nobili doctiſſimoque viro, D. *Raphaele Ninguarda* Iureconſulto, & Vniuerſitatis Rectore Magnifico, Albo Academiæ inſcriptus, & lectiones Theologicas feliciter auſpicatus, per octo annos hic Theologiam magna cum laude & fructu publice legit. Idem Anno 1569. edidit *Confeſſionem Auguſtinianam* in libros quatuor diſtributam, & certis capitibus locorum Theologicorum, qui ſunt hodie ſcitu digniſſimi, comprehenſam, & ex omnibus B. Auguſtini libris in vnum Opus reductam. Anno 1571. Menſe Nouembri transmiſit ad Facultatem Theologicam Sereniſſimus Boiorum Dux *ALBERTVS* &c. Agendam quandam Eccleſiaſticam a Lutheranis quibusdam conſarcinatam, & typis excuſam, petiuitque eius Illuſtriſs. Celſitudo, cum per Doctas & orthodoxas Theologorum informationes efficiendum intelligeret, ne ea Agenda in perniciem quarundam Eccleſiarum concederetur, vt Collegium Theologicum ilico transmiſſam Agendam examinaret, ſuamque cenſuram quamprimum ſuæ Sereniſſimæ Celſitud. transmitteret. Itaque Dominus *Hieronymus Torrenſis*, iubente Collegio, ſtatim generalem iſtius Agendæ confutationem breuem, ſed pulcherrimam & vtiliſſimam, facile confecit, eamque cum literis Facultatis

ſine

A.

ſine mora ad Sereniſs. Principem remiſit. Premit & alios vti- 1575.
les Tractatus, quantum intelligo de Mediatore Chriſto, de In-
dulgentiis &c.

* Scripſit præterea contra *Bidembachium* Lutheranum; Item in *Caput I. Epiſtolæ S. Pauli ad Timoth.* 3. Lectionem Theologicam pro ipſo ſuſcepit *Gregorius de Valentia* Hiſpanus. Deceſſit *Hieronymus* ex hac vita Monachii die 9. Ianuarii an. 1611.

II. *Iulius Priſcianenſis* Florentinus Italus SS. Theologiæ Doctor & Profeſſor, de quo *Engerdus* l. c. p. 157.

Equidem ingenue fateor, me huius viri, Præceptoris mei plurimum obſeruandi, lectionibus publicis multum debere; plerasque enim Religionis noſtræ partes, quæ hac noſtra tempeſtate in controuerſiam vocantur, & docte & copioſe explicauit. Idem nuper Dilingæ *Regulas Diui Auguſtini cum doctiſſimis Commentariis Vmberti S. Rom. Eccleſiæ Cardinalis & Hugonis de S. Victore* edidit.

* Obiit Dilingæ anno 1607. poſtquam Theologiam annos omnino viginti docuit. In Cathedra Theologica Ingolſtadienſi ſucceſſorem habuit *Lucam Pinellum* Italum.

Menſe Octobri electus eſt Auguſtæ Tiberii (Ratisbonæ) in regem Romanorum *RHODOLPHVS ab Habsburg*, Archidux Auſtriæ &c. *MAXIMILIANI* II. Romanorum Imperatoris filius, coronatus 1. die Nouembris: in magna & Septemuirorum & Principum Imperii multitudine & gratulatione.

M. Ioannes Baptiſta Pihelmair Parochus Academicus decimus ſeptimus, & ab initio Parochiæ XXI. Reſignata anno 78. Parochia, Vicariatus officium apud Epiſcopum Ratisbonenſem ſuſcepit: anno vero præſenti, id eſt 79. pridie Cal. Sept. in Suffraganeum Ratisbonenſem conſecratus eſt, & menſe Maio in Doctorem Theologiæ creatus: DEVS bene vertat.

* Scilicet reliquit *Hector Wegmannus* die 6. Octobr. huius anni memoratam Parochiam, vt Suffraganei munus Paſſauii ſuſciperet; & *Pihelmarium* ſucceſſorem accepit.

* In autumno eiuſdem anni *Ioannes Gailkircherus* Iuliacenſis, I. V. Doctor a Sereniſſimo Principe noſtro *ALBERTO*, contra omnem ſpem ſuam, atque opinionem, ad publicam & ordinariam Inſtitutionum, extraordinariam vero Codicis cathedram Oeniponto fuit euocatus, vbi in ſupremo Archiducis Ferdinandi Iudicio cauſſarum patronum hactenus egerat.

A. 1576.

ANNO DOMINI M D LXXVI.

Rect. CXCIX. IOANNES GAILKIRCHER LL. Doctor & Profeſſor, vocatus ad Profeſſionem ex Oeniponte, vbi cauſſis clientum in regimine Archiducali patrocinabatur.

Rect. CC. Illuſtriſſimus Princeps GEORGIVS LVDOVICVS Landgrauius in Leuchtenberg, & Comes in Hals.

Vicerector, *Ioannes Gailkircherus* LL. Doctor & Profeſſor.

Inſcripti 223.

Princeps GEORGIVS LVDOVICVS Landgrauius Leuchtenbergenſis, Comes in Hals.

Nobil. *Chriſtophor.*, *Ioan. Georg.*, *Hector.* } *Gribelii*, fratres.
Franciſcus Madrucius, Tridentinus.
Ioan. Wolfg. Schnabel a Schönſtain.
Ioan. Chriſtoph. Ambshamer a Galzweiſs.
Ioan. Beckmann, Colonienſ.
Wolfg. Adam. a Wirsberg, Can. Wirzburg & Eichſtad.
Henric. Conrad. ab Enhaim.
Wilhelm Scburff, Oenipontan.
Philippus Curtius, Oenipontanus.
Ioan. Theodoric. a Stain.
Tobias a Fraunberg.
Ioan. Erneſt., *Ferdinand.* } *a Baumgarten*, Barones in Erbach & Hohenſchwangen.
Ioan. Rut in Bedingen & Collenberg.
Adam a Muckentbal.
Ioannes Nothaft, *Gabr. Dionys. de Schellenberg*, *Zacharias de Hebenkirchen.* } D. Landgranio a ſeruitiis.
Georg. Conrad de Milen.
Georg. Vlricus ab Ende, Miſnius.
Conrad a Schönfeld, Bohemus.
Ioan Crafto a Weittingen, Can. Auguſt.
Philippus Fuggerus, Baro in Kirchberg & Weiſſenhorn.

Ioan.

A. 1576.

Ioan. Conrad, ab Habsberg, Sueuus.
Ioan Vrbanus a Cloſen.
Conſtantin. Münchauer.
Haimeram. Nothaft.
Ioan. Baro in Wolkenſtain & Rotheneck.
Erhard a Liechtenſtain, Can. Herbipol.

Nou. Prof. *Antonius Balduinus*, } S. I. *Philoſ.*
Mathias Mayrhofer, }
Ioannes Holonius, S. I. *Orator.*

Nou. Doct. *Gregorius Clumpeius*, Vberling. *Medic.*

Illuſtres erant & celebres I. GEORGIVS LVDOVICVS Landgrauius in Leuchtenberg, Comes in Hals &c. Patre LVDOVICO ex ingenua heroina, matre MECHTILDE, Comitiſſa de Marckh & Arnberg natus. Auus eius paternus fuit GEORGIVS Landgrauius in Leuchtenberg, qui Anno Domini 1519. Rectoratum geſſit. Acceſſit ad Academiam menſe Auguſto h. a. Rectoratus officio & dignitate magnifice perfunctus eſt anno eodem ſemeſtri hyemali. Præceptor eius *Ioannes Lederle* Poſchingenſis Boius, inſcriptus anno 70. die 16. Iulii, vir egregie doctus & humanitate erga omnes commendabilis. II. *M. Antonius Balduinus*, & *M. Mathias Mairhofer*, Societatis IESV, & Philoſophiæ Profeſſores. *Balduinus* abſoluto curſu Philoſophico, in ipſo Decanatu abiit Dilingam ad conſcientiæ caſuum profeſſionem. III. *M Ioannes Holonius* Societatis IESV, in Oratoria noſter Collega, facundus & magnæ in hiſtoricis lectionis, qui iam per quindecim annos aut vltra Oratoriam eſt profeſſus.

* Rediere hoc anno ad curſum philoſophicum & ad Pædagogium Patres Societatis IESV: ſuperiori iam anno id petierant Senatores Academiæ ab ALBERTO Duce, cum venationis cauſſa Ingolſtadium acceſiſſet; ſed ob Comitia Ratisbonenſia differre negotium oportuit, quod menſe mox Ianuario huius anni reſumtum eſt; vrgente maxime Conſilio Eccleſiaſtico Monacenſi. Concertatum aliquamdiu de ratione pacis & concordiæ in Academia ſtabiliendæ; ac demum in id conditum eſt, vt duobus quos Princeps nominaturus eſſet, Conſiliariis poteſtas fieret, cum *Paulo Hoffæo* Prouinciæ Præpoſito pactiones condendi, in quas Patres academici omnes conſentirent. Nominati fuere *Eraſmus Vendius* & *Georgius Lautherius*. Conuentum autem eſt in hæc fere capita: Gaudeant Patres Societatis cum reli-

A. 1576.

quis Philoſophiæ Profeſſoribus pari iure, etiam ſuffragii in Senatu Facultatis, in examinibus, in conferendis gradibus, reſtituanturque cathedris tam Philoſophiæ quam Pædagogii, ita tamen, vt liberum ſit Scholaribus vel ſeculares, vel religioſos audire Profeſſores; qui vero apud alterutros curſum philoſophicum integrum, per triennium ſcilicet, non abſoluerit, ad Magiſterii gradum non admittatur. Liberum ſit Studioſis a lectionibus Patrum ad illas Secularium tranſire, & viciſſim; dum fiat conſcio Profeſſore, a cuius lectione recedunt. Denique liberi ſint Ieſuitæ a cura Collegii Georgiani, & ab omni tractatione pecuniarum. Aſſenſum præbuere his pactis Patres academici omnes; præbuere & Superiores Societatis. Quare *Eiſengreinius*, cui, *Lautherio* & *Vendio* alibi impeditis, decreti promulgatio commiſſa erat, per ipſum Vniuerſitatis Rectorem, & *Albertum Hungerum*, duosque alios ex Academia, *Hoffæum* vrgendum curauit, vt ante finem feriarum canicularium nouos Profeſſores adeſſe iuberet; quod ille non liberalius promiſit, quam fidelius præſtitit; adſunt enim paulo poſt Monachio *Balduinus* & *Mayrhoferus* Philoſophiæ, ac *Vitus Leinerus*, *Petrus Louanienſis*, *Fridericus Gaudanus* & *Ioannes Holonius*, Pædagogii Profeſſores.

Inuenere hi cum reliquis ſociis nouam, qua reciperentur, habitationem, eam videlicet, quam ALBERTVS primum quidem Alumnis ſuis deſtinatam ædificarat; dein vero amplificatam, & religioſis vſibus accomodatam Societati tradidit, vna cum ædicula ſacra Collegio recens adſtructa, quam ipſo hoc anno, Diui Bartholomæi feſta die *Wolfgangus Hollius* Suffraganeus Eichſtettenſis æterno Numini ſub Diui Hieronymi nomine ac patrocinio conſecrauit. Immigrarunt Patres in nouas ædes die viceſima menſis Iunii.

Eautherius & *Vendius*, cum ſub extremum autumnum Ingolſtadium reuerſi, circa negotia Vniuerſitatis omnia complanata reperiſſent, in Alumnos, quos ALBERTVS Dux nuper inſtituerat, ſuam curam intenderunt. Domus, quam inhabitarent tantiſper, dum commodior pararetur, coemta eſt trans Schutteram amnem. Primus autem illis Gubernator (Regentem vocant) datus eſt *Lucas Pinellus*, Theologiæ hactenus Profeſſor, adiunctusque illi *Ferdinandus Alberus*, magni poſtea vir nominis.

Petrus quoque *Caniſius* eodem anno Ingolſtadium acceſſit. Is abſoluta iam *Marialis* ſui ſecunda parte, cum librum hunc ALBERTO Bauariæ Principi dedicaſſet, vt bauarico etiam prælo, *Dauidis Sartorii* ciuis ac typographi academici probe excuderetur, ex Ratisbonenſibus Comitiis aduenerat.

Celebrauit Ingolſtadii 13. Cal. Sept. nuptias vir omni laude digniſſimus, Medicus feliciſſimus & amicus ac fautor noſter ſingularis, Dominus *Philippus Menzelius*, Medicinæ Doctor

&

A.

& Profeſſor, cum nobili & honeſtiſſima, beneque morata Vir- 1576.
gine *Eliſabetha Peiſſerin*, cuius atauus fuit *Wolfgangus Peiſſer*, Doctor Medicus & Profeſſor. In earum nuptiarum celebritatem, & Sponſi Sponſæque honorem multi eruditi viri iuuenesque, quaſi inter ſe de palma certantes, Epænetica ſcripſerunt, ſcilicet, *M. Ioannes Engerdus*, P. L. & Poeſios Profeſſor. *M. Martinus Brenner*, Illuſtrium DD. *Wolfgangi Comitis a Montfort*, & *Marci Fuggeri* Baronis in Kirchberg, Præceptor. *M. Caſparus Khirchmair. F. Ioannes Dominicus Heſſus*, Franciſcanus. *M. Hadrianus Wenger* Neapolitanus Franco. *Ioannes Georgius Lorichius. Michael Franckhenmann. Dauid Cloſtermair.* Ego quoque auſus inter ſtrepere anſer olores. Tot vnum ver in vnius Poetæ, poetarumque Principis, & in Phœbi gratiam, protulerat poetas fœcundiſſimum. Extat carmen numerale Domini *Engerdi* eiuſmodi:

En fVge ſteLLa CanIs: Phœbo VenIt InnVba Virgo
MenzeLIo Conſors ELIſabetha pLaCes.

Obiit 17. die Iulii, doctiſſimus vir ac Dominus *Wolfgangus Zettelius*, Ethices Profeſſor emeritus, cum multos annos & Dialecticam & Ethicam docuiſſet, iamque per ſexennium Camerariatus officium adminiſtraſſet. Vir hiſtoriarum ſtudioſiſſimus, præſertim vero rerum Bauaricarum diligentiſſimus inquiſitor. Bene tum de Facultate Artiſtica, tum de tota Academia meritus. Viuat DEO.

* Coniuges habuit duas; primam Ingolſtadienſem, *Barbaram Barthiam*; alteram Schrobenhuſianam, *Margaretham Hereszellerinam*. In Templo Academico prope aram S. Ioannis eius exſtat Epitaphium, quo hæc ipſa continentur. Scripſit *Cauſſas ruentis Reipublicæ exemplis illuſtratas*, anno 1562. Item *Orationem de Rectoratu academico*, anno 1567.

Fecimus ſupra anno 21. Granarii Academici *Erhardi Sampael* mentionem. Erant enim circa aut non ita longe poſt Academiæ initium Camerarii & Granarii officia a ſe inuicem diuiſa. Sed neſcio quam ob cauſam, vel quod vnus ex iis profuſor rerum Academicarum fuerit, vel quod multitudo imperatorum Cariam perdidiſſe in prouerbio dicebatur, vel quod a pluribus geritur, peius, quam quod ab vno adminiſtratur, vel ob minuendos ſumptus, vel denique ad Stipendii Camerarii auctionem (neque enim auaritia nuper eſt nata) inter ſe rurſus ſunt coniuncta, vt idem foret Granarius, qui eſſet Camerarius. Mortuo

A. 1576. tuo vero *M. Wolfgango Zetelio* rurſum ea officia ſeparare (ſed neque hic cauſſam ſcio) viſum eſt Vniuerſitati. Itaque primus quaſi poſtliminio, quæ olim erat abolita, renouata conſuetudine conſtitutus eſt Granarius, *Ioannes Chryſoſtomus Simon*, Aichenſis.

* Camerarii vero officium *Caſparo Lago* I. V. Doctori & Profeſſori commiſſum eſt.

Comitia Imperialia Ratisbonæ ſunt habita, & Imperator MAXIMILIANVS ſemper Auguſtus extremum clauſit diem.

A. 1577.

ANNO DOMINI M D LXXVII.

Rect. CCI. MARCVS FVGGERVS Baro in Khircherg: admirandæ indolis adoleſcens, præclarique animi & corporis ornamentis illuſtris.

Vicerect. *M. Fridericus Martini* Dialectices Profeſſor.

Rect. CCII. IOANNES BARO IN WOLCKHENSTAIN & Rodeneckh.

Vicerect. *Bartholomæus Viſcherus*, S. Theologiæ Licentiatus &c.

Inſcripti 255.

Nobil. *Sigiſmundus Illſung.*
Laurentius Gembitius, Polon.
Raphael a Buebenhofen.
Michael Barth, Monacenſ.
Wernerus a Muckenthal zu Parr, Can. Eichſtad.
Ioan. Adam. a Muckenthal zu Parr.
Ioan. Wolfgang. a Schwarzenſtain.
Ioannes Dauid a Nusdorf.
Chriſtoph. } *Fuggeri* Baron. in Kirchberg & Weiſſehorn.
Iacobus. }
Wolfgang. } *Rehlinger*, fratres.
Carolus }
Vit. Vdalric. } *Marſchalk ab Ebenet*, Canonici Herbi-
Sigismund. } polit. & Bamberg. fratres.
Wolfgang. Franc. a Zeilhofen, Can. Ratisbon.
Ioannes Saſtrouius, Pomeranus.
Ioan Laurent. } *Stor* ab Oſtrach.
Chriſtophorus }

Wil-

A. 1577.

Wilhelm a Freiburg.
Ioan. Pyrminius Stor ab Oſtrach.
Angel. Ioan. Gaudens } *Barones in Madrutſch.*
Ludouicus }
Euſtach. Tiſsknowiz, Palatinides Smolienſcenſ.
Vrban. Sieſs a Nustorf, Auſtriac.
Petrus Knoſsinski, Baro.
Wilhelm.
Ioan. Wolfg. } *a Seyboltsdorf.*
Sigiſmund. }
Martin. Bart, Monacenſ.
Ioan. Alphonſ. } *a Taxis*, fratres.
Franc Barthol. }
Gerhard a Thau, Viennenſ.
Rudolph a Schönbrun.
Sigismund. Comes in Montfort &c.
Ioan. Frideric. } *Liechtenauer.*
Ioan. Conrad. }
Caſpar Eiſengrein, Stutgard.
Chriſtian. Barnekau de Birkholm, Danus.
Nou. Prof. *Chriſtophor. Parchingius*, Anglus, S. I. SS. Theol. Lic. & Prof.
Bartholomæus Viſcherus, SS. Theol. Lic, Prof. Caſ. Conſc. & Regens Colleg. Georg.
M. Richardus Haller, S. I. Philoſ.
M. Balthaſar Hagelius Murnauienſ. S. I. Prof. Ling. hebraic.

Inter inſcriptos numerantur præter antea memoratos I. *Henricus a Mirbach* Angeli Ioan. Gaudentii in Madruz Baronis præceptor, qui anno inſequente, Menſe Maio, LL. Doctor eſt creatus. II. *Georgius Galicantus* eques Lituanus. III. *Matthias Coclerus* Philoſophiæ & Medicinæ Doctor. IV. *Caſparus Eiſengrein*, magni illius *Martini Eiſengreinii* frater, expectationis iuuenis maximæ. V. *Martinus Has* Kirchamenſis LL. Doctor.

* VI. *Laurentius Gambitius*, nobilis Polonus, primum Regis Poloniæ Secretarius, tum Epiſcopus Culmenſis, paulo poſt Regni Cancellarius factus eſt. Inde ad Epiſcopatum Vladiſlauienſem & Pomeraniæ

A. 1577. niæ translatus; tandem Archiepiſcopus Gneſnenſis, Legatus Natus, Regni Poloniæ Primas & primus Princeps eſt creatus.

Celebrauit nuptias vir clariſſimus *Ioannes Gailkircherus* LL. Doctor & Profeſſor, cum honeſtiſſima Virgine *Anna Reiſacherin, Sebaſtiani Reiſacheri* LL. Doctoris, & aſſeſſoris Burckhuſiani Ducalis filia, quæ anno 79. in fine Aprilis poſt partum obiit, ſuperſtite filiolo, quem pepererat.

Diſcedenti in Saxoniam ad Ducem ERICVM Brunſuicenſem *D. Rodolpho Clenckhio*, vt Eccleſias ibidem reformaret, ſucceſſit in Collegii adminiſtratione, & Profeſſione Caſuum Conſcientiæ *Bartholomæus Viſcherus* S. Theologiæ Licentiatus.

* Eidem theologicæ Facultati ac Collegio Albertino valedixit *Lucas Pinellus* SS. Theologiæ Doctor & Profeſſor, ac Regens Collegii Albertini, Muſſipontum abire iuſſus ad explicandam ibi Theologiam. Inde in Italiam translatus præcipua in variis Collegiis munia cum laude geſſit, ac tandem anno 1607. Neapoli obiit. Scripſit Ingolſtadii duas diſputationes theologicas: vnam *de Statu animarum in altero ſeculo*, anno 1577.; alteram *de Chriſto Opt. Max. ac Matre eius ſanctiſſima*, eodem anno. In Academia Muſſipontana propoſuit diſputationem honorificam atque præclaram *de Eccleſia*, S. D. N. GREGORIO Papæ XIII. dedicatam, reſpondente Illuſtriſſimo Cardinale Lotharingo. Edidit præterea varias *Meditationes* & pios Tractatus *de Miſſæ Sacrificio, de Sacramento Pœnitentiæ, de quinque Vulneribus Chriſti, de Perfectione Religioſa* &c. In regimine Collegii Albertini *Pinello* ſucceſſit *Ferdinandus Alberus*, & poſt paucos menſes *Otho Eiſenreichius*; in cathedra vero theologica *Chryſtophorus Parchingius* Anglus.

Cum *Ioannes Prunnerus* Linguæ hebraicæ Profeſſor, antea Paſtor Caluinianus, neſcio quibus ex cauſſis, cum numeroſa admodum familia Ingolſtadio diſceſſiſſet, atque alius idoneus eius linguæ Profeſſor inueniri haud poſſet, petierunt Patres academici a *Paulo Hoffæo*, Præpoſito prouinciali Ieſuitarum, vt aptum quendam hebraicæ Grammaticæ Magiſtrum ſubmitteret. Aſſenſit ille petitioni, & *Balthaſarem Hagelium* huic labori admouit.

Cæpit Collegium Albertinum, ſeu Conuictus, vt poſtea vocabatur, S. Ignatii Martyris, pietate inprimis florere; & fuere hi conuictores primi in noſtra Academia, qui auctore *Eiſenreichio* in ſacram Sodalitatem condicerent, DEI, Deiparæque cultui peculiaribus virtutum exercitiis augendo inſtitutam; ex qua ſubin florentiſſima illa Congregatio, quam dicunt, Academica enata eſt.

Viſus eſt menſe Decembri ardere in cœlo Cometa per alquot ſeptimanas, doctis viris, vt experientia docuit, atque etiam Regibus & Principibus lethalis. Nobis a meridie apparuit, proiecta ad occaſum cauda. Anno

A. 1578.

ANNO DOMINI M D LXXVIII.

Rect. CCIII. BARTHOLOMAEVS VISCHERVS, S. Theol. Licent. &c.

Rect. CCIV. WOLFGANGVS COMES IN MONTFORT, Dominus a Brigantio, in Tetnang, Argen & Manſperg.

Vicerector, vt ſummo procerum conſenſu electus & conſtitutus, ita applauſu maximo perfunctus eſt officio *M. Martinus Brenner*, Illuſtris eius Magnificentiæ, & Generoſorum *Marci*, *Chriſtophori* & *Iacobi Fuggerorum* fratrum germanorum, *Baronum in Khirchberg* &c. Præceptor.

Inſcripti 202.

Nobil. *Euerhard.* *Statius* } *Muſeltin*, Luneburg.
Wolfg. Henric. a Redwitz, Can. Bamberg. & Herbipol.
Meſſius Berk, Pomeran.
Georg. Adelzhauſer, de Hohenwart.
Sebaſt. Kelderer de Hackli, Can. Ratisbon.
Wolfg. Sigismund. ab Haunsberg.
Hermannus Peticher, Halberſtad. Sax.
Ioan. Grunsbeckh, Geſdnenſ. Baro.
Ioan. Anſtenrædt, Ruremundenſ. Baro.
Ioan. Georg. Eiſenreich, Auſtriac.
Ioan. Wilhelm. Hundt &c. Monacenſ.
Adam Zech, Auguſtan.
Conrad. *Chriſtoph.* } *Fieger*, Brixinenſes.
Carolus Wimpfling, Wormatienſ.
Wolfgang *Henricus* } *a Schellenberg.*
Georg. Wilhelm. Ligſalz, Monacenſ.
Ioan. Thuringius Reich a Reichenſtein.
Egebertus a Malsburg, Heſſus.
Hermannus a Werſabe, Heſſus.
Ioannes Fürer, *Gabriel Paumgartner* } Patricii Norimberg.
Sigismund. Tettelbach ab Onſpach.

A. 1578.

Ioannes, *Benedictus*, *Georgius* } *Fieger*, Tirolenſ.

Henricus Rembold, *Victor Reblinger* } Auguſtani.

Carolus Obenburger, Viennenſ.

Ioan. Vdalric. Stinglhaimer, Abacenſ.

Guidobaldus, *Veſpaſianus*, } *Comites ab Arch.*

Nou. Prof. *Caſpar. Francus*, SS. Theol. Doct. & Prof. Parochus ad D. Mauritium.

In inſcriptorum erat numero *Heningus Reckbershauſen* Einbeckhenſis, Saxo, Catholicus, & Canonicus apud D. Virginem Halberſtadii, magnæ in iure eruditionis & doctoralibus inſigniis, ſi repoſceret, digniſſimus. Hæc idcirco addo, vt Catholicam fidem nondum penitus e Saxonia profligatam, intelligant noſtrates.

M. Bartholomæus Scholl, Hochenwartenſis, SS. Theologiæ Baccalaureus formatus, Anno 79. creatus, Parochus ab initio Parochiæ 22. & Academiæ 18. Vir præter ætatem maturus, & grauis, magnæ & prudentiæ, humanitatis, & in dicendo facundiæ.

* De *Schollio* plura ad annum 1581.

Quarto die Maii placide in Chriſto obdormiuit vir nulli ſecundus, & Catholicæ Religionis columna & aſylum, *Martinus Eiſengrein* Stutgardianus, SS. Theologiæ Doctor & Profeſſor, Protonotarius Apoſtolicus, Comes Palatinus, Sereniſs. Boiorum Ducis ALBERTI Conſiliarius, Præpoſitus Eccleſiarum Patauienſis Cathedralis, & Collegiatæ apud veterem Oettingam, Scholæ Ingolſtadianæ Vicecancellarius & Superintendens benigniſſimus, humaniſſimus, heros omni exceptione maior, inuictus Religionis propugnator, cui nemo ex hæreticis etiam audaciſſimis & anteſignanis vnquam contradicere, aut ſcriptis eius reſpondere, nedum illa refutare auſus eſt, præter vnum Phyſicum *Lieblerum*, qui neſcio quas aniles effudit nugas, indignus, qui vel minimis in Catholica Eccleſia ſcriptoribus matulam porrigat. Reſponſum iſti eſt Philoſopho aſopho in Oratione funebri Domini *Alberti Hungeri*, &c. & pellis leonina ridiculæ illi detracta vulpeculæ.

Quan-

A. 1578.

Quantam vel Religio Catholica, vel Academia noſtra in iſtius viri morte iacturam fecerit, ſi nondum intelligimus, ſentiemus fortaſſis, cum dolorem longitudo temporis aboleuiſſe iam videbitur. Creatus eſt Baccalaureus formatus Ingolſtadii 6. Iulii, anno 63. Licentiatus 12. Cal. Decembris anno eodem, Doctor vero 71. & cum eo (par profecto nobile) Dominus *Albertus Hungerus.*

Dicerem de noſtro Eiſengreinio plura, niſi & noſtra rerum eius geſtarum, & totius vitæ plena eſſet Oratio, & qui poſt me perorarunt Reuerendi, magnifici & clariſſimi viri fere nihil, quod erat ſingulare, ſilentio præterierunt.

* Iuuat huc ea transſcribere, quæ *Engerdus* in Academiæ Ingolſtad. P. VII. pag. 124. præter multa alia ſuperius memorata, de *Eiſengreinio* noſtro literis conſignauit.

Anno Domini 1575. Sanctiſſimus Pontifex eundem *Eiſengreinium* primum in Oettingenſi Præpoſitura Infulatum declarauit Præpoſitum, tum quidem quod eius pietas, Zelus in religione Catholica, eiusque defendendæ ſtudium ardentiſſimum, & virtus pulcherrima iam dudum Romæ innotuiſſet; tum vero quia ea de re apud Summum Pontificem, Sereniſſimus Princeps ALBERTVS inſtabat, qui ſingulari quodam affectu erga eum locum, Prodigiis & Miraculis inſignem ducebatur. Vnde idem Sereniſſimus Princeps aliquot mille aureorum Infulam ac Pedum fieri curauit, pieque ac religioſe liberaliterque ad id Templum D. Mariæ conſecratum dono dedit; de qua re luculentam D. *Ioannis Lonæi Boſcii*, Doctoris Medici ac Profeſſoris, viri clariſſimi, orationem, in Septimis Sereniſſimi Boiorum Ducis ALBERTI habitam, videre licet.

Cæterum vt nihil eſt ab omni parte beatum, iam tum atrociſſimus hoſtis podagra cum doctiſſimo & placidiſſimo viro conflictari cæperat; non tamen ille cæptam ſemel ſtationem deſerit, & ne tunc quidem, cum lecto affixus nuſquam prodire poteſt. Non relinquit Academiam: Non Eccleſiam Dei, & religionem deſerit: Propugnat eam contra impuriſſima hæreticorum ora: Et quæcunque in eiusdem incolumitatem, propagationem & incrementum videntur facere, eorum intermittit nihil, ne quidem in ſummis articulorum doloribus conſtitutus.

A. 1578. Is ipſe morbus, cum in ſingulos annos magis magisque increſceret, ſemperque vehementius inuaderet, & iam pene per triennium lecto affixiſſet; tandem eo proceſſit, vt non ſolum totum exhauriret corpus, & ad ſummam redigeret maciem; ſed & ventriculi vires euerteret, continuo præſertim aquæ potu accedente, vt ex nobili illa penu, reliquis partibus, aut parum, aut pene nihil alimenti diſtribueretur. Itaque non longe ante finem Aprilis anni 78. ex largiſſima alui reſolutione ſummus virium collapſus eſt ſecutus, adeo vt extremum vitæ limitem haud procul abeſſe, facile intelligeret. Succurrebat & illud, genio procul dubio ſuggerente admonenteque propitio, idem eſſe tempus, quo ſuperiori anno, æque lethaliter decubuiſſet.

Referunt eius domeſtici, quod tum temporis (rideant licet hæretici, & cachinnis excipiant, quemadmodum omnia Catholicorum argumenta excipiunt, ſoluuntque ſcilicet) vnum tantum vitæ annum a Deo Opt. Max. precatus ſit, & proinde D. Mariæ Virgini in veteri Oetinga votum fecerit, propterea quod res ſuas nondum compoſuerat: Nec ſane votis precibusque ipſius Chriſtus filius cum matre ſua ſanctiſſima defuit.

Cum igitur de die in diem vires minuerentur, ea ſola, quæ Chriſtianum & Catholicum hominem migrationi proximum decent, & requiruntur neceſſario, cogitare cæpit, cum iam antea res ſuas ita ordinarat, vt iis nullam amplius cogitationem impendere foret neceſſum, totumque ſe ad migrationem præparat, peccata per Sacerdotem aliquoties expiat, ſacramque percipit Synaxin, ac ſacro denique pridie, quam efflaret animam, inungitur oleo; tandem die quarto inter manus ſuorum, ſpectantibus Reuerendis Patribus de Societate, *Philippo Menzelio* Medico, *Sebaſtiano Franck* S. Theologiæ Licentiato qui vno die e Monaco ad eos euocatus aduolarat, & *M. Ioanne Engerdo* Poeſios Profeſſore; item fratre eius *Caſparo*, aliisque domeſticis, pie, placide, obdormituroque ſimilis extremum ſpiritum vna pene cum voce reddidit.

Prætereunda illa minime videntur, quæ in ipſo pene articulo mortis, vt admiratione digniſſima, ita Chriſtianiſſima, Catholiciſſima, pietatis & conſolationis pleniſſima, quæ nos omnes-

A.
nesque morientes non mediocriter ad animositatem & constan- 1578.
tiam hortari debent, in heroe isto spectare licuit.

Cum summis pridie, quam animam exhalaret, doloribus affligeretur, & pene non cum ipsa conflictaretur morte, circumstantibus & fortiter ad pugnam capessendam hortantibus, & præsertim suo collocutus Medico; Non horreo mortem, sanum est cor, fides integra, Deus confirmet. Et paulo ante quam migraret, cum morituro similis decumberet, & Reuerendus Pater *Wendelinus Focckius*, Rector Societatis Iesu acclamasset: Iesu fili Dauid miserere mei; ilico quasi reuiuiscens subiunxit: Miserere mei Deus secundum magnam tuam misericordiam; & paulo post: Nihil possum amplius, cupio dissolui, & esse cum Christo, & quasdam alias voces bene pieque migrantis indicia certissima.

Cum iam pene oculi morte essent grauati, nec linguam posset tollere, sentiretque procul dubio Dæmonis insultus, quam viuus contra hostes & hæreticos defenderat, ad eiusdem sanctæ Crucis signaculum confugere videbatur.

Hæc fere est totius vitæ *Eisengreinii* series & cursus, in qua quid Ecclesiæ, & religioni, quid Academiæ præstiterit, qua eidem humanitate & beneuolentia præfuerit, si vellem dicere, materies quidem me non deficeret, sed in eloquentia verba, sententiæ & flores oratorii. Dicendum tamen breuiter aliquid, ne ipsius benefacta silentio inuoluisse consulto videar. Iam dudum, ac tum quidem, cum Dux ALBERTVS Quintus rerum esset potitus, non irrepere tantum Lutheranismus in Bauariam, sed & obsederat eam, itaque pene occuparat, vt proceres quidam rotundis verbis quædam ex *Lutheri* doctrina penuque deprompta sibi concedi, ab Illustrissimo Principe auderent petere. Nec minus exorbitare Clerus cæperat, ac transuersum ire, suoque malo exemplo (quemadmodum plerunque pro corrupta hominis natura, deteriora citius, quam meliora imitamur) animos plebeios offendebat.

Erat tum illi Ecclesiastes quidam insignis, pietate, vitæ integritate eruditioneque nulli secundus, *Ioannes Gressenicus*, Professus Ordinis Dominicani: Is cum omnibus viribus, neruisque contra iam pullulantem & pene confirmatum Lutheranismum sese opponebat, & perpetuo saniissimis dictis & religionis Catholi-

A. licæ doctrina Principis aures perſonabat, ne forte phaleratis
1578. quorundam dictis, quod timendum tamen non erat, tranſuerſum raperetur. Vt itaque Princeps iſtis ſchiſmaticis & ſuam in Catholica religione conſtantiam, inuictumque in eadem tuenda teſtaretur animum, & iiſdem omnem ſpem alicuius obtinendi præcideret, viſitationem per totam Bauariam, & præcipue Cleri, vnde plurimum videbatur offenſionis ad plebem dimanare, prudenter inſtituit, & præter alios ei negotio Reuerendum Dominum *Georgium Theandrum*, Doctorem Theologum, Profeſſorem & Procancellarium, &c. Anno 1558. Semeſtri hyemali præfecit.

Verum ea viſitatione parum aut nihil omnino effectum, demonſtrabat euentus, ipſaque hæreſis indies magis magisque inualeſcebat, vt iam benigna reſpueret medicamenta, & non niſi extrema remedia tanquam morbo extremo viderentur adhibenda. Intelligebat hoc cum cæteris quibusdam Dominus *Eiſengreinius*, poſteaquam paucis annis totum Bauariæ ſtatum perdidicerat.

Itaque de noua Viſitatione inſtituenda inſtat apud Principem, nec ipſum Clerum tantum cenſet reformandum, ſed etiam ſeculares, & quoſcunque de plebe, propterea quod id genus hominum plerunque ad hæreſes nouasque opiniones eſt procliue, primumque quaſi impete quodam, aut torrens aliquis ruit, viſitandos arbitratur, de religione apud omnes ſtatus inquirendum, & ſiqui eſſent ſeducti, quocunque labore, ſi fieri queat, ad meliorem ſanioremque reducendos mentem, ſin minus, ſaluis ipſorum bonis, ne Tyrannis inſtituta videatur, e Bauaria excludendos, ne contagio iſta latius ſerpat.

Nec difficulter tam ſalubri conſilio Sereniſſimus Princeps annuit, ſcilicet, quia proprio iam edoctus eſſet periculo, quænam Lutheraniſmi natura & effectus, quam ad ſeditiones & machinationes cruentas, & nulla non audenda ſcelera hominum animos erigeret inflammaretque, & ſi tuto liceat dicere, manus ſubditorum in Domini ſui caput armaret.

Ad eam rem promouendam opportuni ſtrenuique acceſſere autores, adiutoresque nobiles quidam in aula Principis viri, quorum pars maior iam dudum abiit, & inter eos haud poſtre-

A.

ſtremas egit partes, Dominus *Simon Thaddæus Eccius*, Principis ſu- 1578.
premus Cancellarius. Et quoniam Academiæ, quæ vere Catholicum merentur & adhuc ſincere obtinent nomen, religionis quaſi aſyla & propugnacula quædam eſſe debent, quibus expugnatis, reliquam prouinciam facile expugnari, infectis, infici poſſe, iam dudum nos euentus, & vna Saxonia abunde ſatis edocuit, non aliter atque laborante capite, & vel cum Apoplexia, vel Epilepſia, vel denique quocunque grauiore cum morbo conflictante totum corpus laborare neceſſum eſt, primo omnium Academiam Ingolſtadianam ab hæreticis inquinamentis purgandam cenſuit, excrementaque exportanda. Eiicitur proinde (imo ipſimet potius ſeſe eiiciunt) vnus & alter atque etiam tertius.

* Fuit hos inter *Philippus Apianus*, *Petri* filius & in Profeſſione Mathematica ſucceſſor; qui cum an. 1566. *Mappam Geographicam Bauariæ*, Opus hodiedum æſtimatiſſimum, abſoluiſſet, occaſione memoratæ Viſitationis, ab Academia noſtra diſceſſit; ac Tubingæ poſtea eandem diſciplinam, cum magna ſui nominis celebritate Profeſſor excoluit, ibidem mortuus anno 1589.

Inde ad primarias itur ciuitates, vbi pari ratione examina inſtituuntur, donec ad inferiora etiam oppida deuenitur, omniaque caſtella, vici, pagi & ſinguli pene Bauariæ anguli perluſtrantur. Alii tergiuerſantur publice, maluntque quamuis inire conditionem, quam ſemel quaſi iuratam mutare religionem. Alii vero procraſtinant, nondum patientes aures ſanis monitis & Catholicis inſtitutionibus edocti. Alii denique vltro victas porrigunt manus, & informari ſubmiſſe petunt. Ex quibus certe ita quoſdam religionis Catholicæ, cum ad Eccleſiæ rediiſſent gremium, vidimus inflammatos amore, vt nihil illis iam ſit Catholicoteron, & priores ſuas omniumque hæreticorum opiniones execrentur: Quanquam etiam non defuiſſe ſcimus, qui vel bonorum & poſſeſſionum dulcedine, vel officiorum pinguedine & dignitatibus pellecti palinodiam & Catholicam religionem in aliquot ſimularint annos.

Nihil hic dicam de *Panthaleone Hudlero* Archigrammateo Ingolſtadiano, quam ille & ſuos ciues & Academiam, imo ſeipſum potius & ſuam animam multis fefellerit annis (quanquam

A. 1578. ſemper Academicis erat de vulpina mente ſuſpectus) cum vlcus tangere, perquam eſſe periculoſum, meo didicerim periculo. Vtut ſeſe habent, certe beneficio tum aliorum quorundam clariſſimorum virorum, tum vero opera, ſtudio ac labore Domini *Eiſengreinii* repurgata eſt, & Eccleſiæ pax ac tranquillitas reddita.

Nec minus profecto illius, tum de Eccleſia Dei, tum de Academia noſtra bene merendi ſtudium & illud teſtatur, quod inſtructiſſimæ noſtræ Bibliothecæ non augmentator tantum & locupletator extiterit, ſed & primum eius autorem fuiſſe tota nouit Academia, vt non tantum viuus, ſed etiam mortuus Eccleſiæ, religionique Catholicæ & Academiæ bonisque literis bene conſuleret. Etenim primo non ignorabat, quantum & ornamenti, & vtilitatis, & in ſtudiis incrementi, tum ipſismet Academiis, tum etiam ſtudioſæ iuuentuti ex bene inſtructis, iisque publicis & omnibus ad acceſſum patentibus, accederet.

Deinde quoties Boiorum Principum in ſe benemerita, & ſingularem Academiæ beneuolentiam, ſtudium & obſeruantiam conſiderabat (conſiderabat autem & prædicabat ſæpiſſime) nemini ſe plus debere affirmabat, quam Boiorum Duci ALBERTO, & quam Scholæ Ingolſtadianæ.

Cum itaque nunquam ſuam ab Vniuerſitate ornanda & locupletanda cogitationem auocaret, intellexiſſetque, pulcherrimam Bibliothecam & vel vnius *Henrici Glareani* nomine celebrem a Domino *Aegolpho a Knoringen*, Canonico, & ſummo tum temporis Scholaſtico Auguſtano, apud quem & fide & autoritate pollebat plurimum, eſſe coemptam; primam hic ſibi aleam eſſe iaciendam, periculumque faciendum cenſuit, nec deſtitit apud eum precibus opportune & importune inſtare, donec bibliothecam ſuam cum opulento & ſplendido antiquitatum theſauro, annuiſque inſuper conſtitutis redditibus, Academiæ noſtræ in viuis donaret.

Quo impetrato, cum iam ad nos ea translata eſſet bibliotheca, & in noſtra poteſtate ac manibus foret, eadem felicitate Magnifici viri ac Domini, *Simonis Thaddæi Eccii*, Boiorum Ducis ALBERTI Cancellarii ſupremi hæredes aggreſſus, partim eo precibus permouit, partim argumentis perſuaſit. *Eiſengrei-*

greinius, vt eiuſdem Cancellarii locupletiſſimam bibliothecam, & vel ideo nobilem & Academiæ acceptam, magnique faciendam, quod maior pars ab inuicto religionis Catholicæ propugnatore & noſtræ Academiæ lumine quondam clariſſimo erat profecta, vltro ac libere Vniuerſitati in perpetuum ſine omni remuneratione concederet, donaretque. Iam vero quid de Reuerendi & Doctiſſimi viri ac Domini *Rudolphi Clenckii*, Saxonis LL. Licentiati, & S. Theologiæ Doctoris ac Profeſſoris, & Collegii Georgiani Regentis, bonæ recordationis, bibliotheca dicam? A. 1578.

Tanta certe illa eſt omnium iudicio, tam locuples & omni genere librorum in quibuſcunque ſcientiis, literis & linguis inſtructa, tam nitida & ornata, vt apud eius conditionis ordinisque homines parem illi nec quisquam in Germania viderit, nec vnquam viſurus ſit: vtpote quam circiter quinque millium florenorum pretio eſſe comparatam nobis conſtat. Eam a Domino *Clenckio*, cum iam iter in Saxoniam ad ERICVM Ducem Brunſuicenſem adornaret, vnus impetrauit *Eiſengreinius*, & ita impetrauit, vt eam & ſcriptis poſt ſe relictis, & viua voce coram toto Senatu Academico donaret Vniuerſitati. Cuius acceſſione, tantum Bibliothecæ noſtræ comparatum eſt incrementi, vt iam pene cum omnibus aliis Germaniæ & quidem Principum virorum Bibliothecis, excepto vno Boiorum Ducum incomparabili Theſauro, poſſit certare.

Sed ne tum quidem voluntati Domini *Eiſengreinii* ſatisfactum, neque Bibliotheca ſatis locupletata illi videbatur, ſed & ipſe ſuam teſtamento Vniuerſitati legauit. Atque ita factum, vt Academia Ingolſtadiana ea Bibliotheca, tanquam ſingulari ornamento, Theſauro regio & bono incomparabili non immerito, vereque & poſſit & debeat gloriari. Eam vero gloriam vnius Domini *Eiſengreinii* piæ voluntati, ſtudio indefeſſo & fideli operæ ac laboribus nos debere, ingenue fatendum eſt.

Adde hic & illud æterna memoria dignum, quod idem *Eiſengreinius* de ſuis bonis duo ſatis opima ſtipendia in Collegio Georgiano fundarit, perpetuam ſuæ pietatis memoriam in æde D. Mariæ Virginis reliquerit, donauerit religioſos, legarit Eccleſiis, pauperum non oblitus: Atque hæc ſilentio a me præteriri neutiquam debebant.

A. 1578. Cæterum quamdiu Academiæ noſtræ Sereniſſimi Ducis loco præfuit, eam omni amore & humanitate eſt complexus, ſumma animi moderatione rexit, ſumma fide protexit, & quod quidam inſignis Orator de eo publice perorando dixit, quantum ipſi erat conceſſum poteſtatis, tantum quoque humanitatis cum ſeueritate quadam temperanter adiunxit, vt hæc dignitas & autoritas non ſuperbiæ, aut quælibet pro libidine faciendi libertati, ſed bonitati & moderationi dederit materiam.

Sed vela contrahenda, & in aliis quoque Scholæ noſtræ luminibus periculum faciendum. Sepultus eſt heros ille apud D. Mariam Virginem, in choro ante ſummum altare, cum ferreo monumento, quod eiuſmodi habet inſcriptionem.

D. O. M.

Martini Eiſengreinii Theologi quicquid mortale fuit & terrenum, hic in terræ parentis gremio depoſitum, reſuſcitationis nouiſſimam expectat placide tubam.

De te quid fiet, amice lector cogita.

Vixit annos 42. menſes 4. dies 7.

Obdormiuit in Chriſto III. Non. Maii, Anno ſalutis humanæ M. D. LXXVIII.

Sed & alterum perquam magnificum eidem *Ioannes Eiſengrein* LL. Doctor & Canonicus, frater & ex inſtitutione hæres illi in Sacello D. Chriſtophori, Altaris inſtar erigi ſuis expenſis curauit, quod in ſummitate eiuſmodi habet inſcriptionem aureis literis factam:

Reuerendo, Nobili & Magnifico D. Martino Eiſengrein S. Theol. D. ac Prof. Prot. Aplco., Com. Pal. Cæſ. Cathed. Paſſau. Eccliæ & in Vet. Oetinga Ppo. S. Cæſ. Mtis & Sereni. Bau. Ducis Conſil. & Concionatori, Scholæ huius Procancellario & Patrono, Fidei Catholicæ Propugnatori inuicto. IV. Non. Maii. Anno ſal. M. D. LXXVIII. Ætat. ſuæ XLII. Menſe V. Die VII. in Chro pie defuncto, & ad ſummum Altar. huius templi ſepulto, Can. Paſſau. ſanguine frater, inſtitutione filius & hæres gratitud. ergo P.

* Quæ *Martinus Eiſengreinius* typis euulgauit, hæc fere ſunt: *Oratio de dignitate Iurisprudentiæ*, an. 1555. *Conciones polemicæ*, *De Cauſſa tam frequentis Apoſtaſiæ*; *De bonis Operibus*; *De Cerimoniis Catholicorum in funeribus*; *De Reliquiis Sanctorum*; *De Remiſſione peccatorum*; *De Meritis Chriſti* &c. annis 1562. 63. 64. & 65. *Orationes de Reſur-*

A.
1578.

ſurrectione Domini; *De corrupto Iudiciorum vſu*; *De Inſtauratione Curſus philoſophici ac Pædagogii in Academia Ingolſt.* *De officio boni Paſtoris*; an. 1566. *Purgatorium ſex concionibus aſſertum*. *Concilium Patrum ac Doctorum Eccleſiæ de Euchariſtia, Baptiſmo Infantium, & Suffragiis pro defunctis*, an. 1567. *Declaratio Capitum quorundam catholicorum de Fide circa Remiſſionem peccatorum*, an. 1568. *De B. Virgine Oettingana*, an. 1571. *Vindiciæ Maieſtatis ac Gloriæ Chriſti*, an. 1572. *De Signo S. Crucis*; *Concio in Luc.* 2. an. 1574. *De Salutatione Angelica*, an. 1575. *Eccleſia Catholica a Nouatorum calumniis vindicata*, an. 1576. *Conciones, in Feſtum Luminum*; item *in Dominicam Septuageſimæ*, an. 1577. Inter Opera eius poſthuma recenſentur *Confeſſionale*, ſeu *de Peccatorum Confeſſione*, an. 1579. *Poſtilla Euangeliorum Dominicalium & Feſtiualium*, an. 1583. *Miſſale*, ſeu *Precationes*, *Contemplationes piæ* &c. *Exercitia chriſtianæ pietatis*; *De Certitudine Gratiæ* &c.

Die 17. Maii eiuſdem anni ſubſecutus eſt *Eiſengreinium* ad æternam & cæleſtem patriam, D. *Michael Pentzius*, D. Theologus & Præpoſitus in Vilshofen, qui egregium aduerſus *Schmidlinum* edidit opus, & ſatis opimum Collegio Georgiano fundauit ſtipendium, vir, vita longiori & grandiori ætate dignus.

* Stipendium eſt 50. florenorum: Ius præſentandi competit duobus ſenioribus Familiæ Benzianæ, in cuius fauorem fundatum eſt.

Coloniæ obiit inter hiſtoricos noſtro tempore clariſſimus *F. Laurentius Surius*, Carthuſianæ Profeſſionis Monachus.

Valedixit rebus humanis Calenbergæ in Brunſuiga Reuerendus vir ac Dominus *Rhodolphus Clenckh*, Saxo, LL. Licentiatus, & SS. Theologiæ Doctor ac Profeſſor.

* Omiſſis iis, quæ *Rotmarus* hoc loco per compendium de *Clenkio* narrat, ne repetere eadem inutiliter videar, prolixiorem eius viri hiſtoriam ex *Engerdo*, Acad. Ingolſt. Part. VII. pag. 129. b. & ſeqq. deſcribam.

Inter bona, quæ in perſonarum exornationem cadunt, vim habere nulla videntur habere maiorem, ornamentique ac laudis plus adferre, quam quæ animum reſpiciunt, & præſertim ſalutem noſtram, Chriſtianam, & Catholicam religionem, cuius agnitio bonis omnibus cenſetur ſuo iure ſuperior; quanquam nec cætera, ſiue corporis, ſiue fortunæ ſunt bona, negligenda arbitror.

In *Clenckhio* noſtro deſcribendo, rudique tantum calâmo delineando, primo quidem occurrit patria, natalisque locus,

A. 1578. præcipue tamen religio Catholica in eo ſpectanda, quæ tanto plus ad exornationem laudemque *Clenckhii* momenti adfert, quanto ea magis a natali eiuſdem loco oppugnata eſt ſemper. Natus eſt *Clenckhius* anno Domini 1528. in Saxonia ex honeſta *Clenckhiorum* familia, & in vrbe quidem Archiepiſcopali Brema, iam tum deterrimis Lutheranæ hæreſis ſordibus, non inquinata ſolum, verum etiam obſeſſa penitus, adeo vt nihil *Clenckhio* noſtro procliuius eſſet, quam vel nihil omnino de religione Catholica ſcire, vel cognitam negligere, repellereque, & dulci illo hæreſios & Pandoræ poculo inebriari. Recte enim, quisquis ille eſt, dixit: Frangas citius, quam corrigas, quæ in prauum induruere. Et tenaciſſime nobis dicuntur illa inhærere, quæ teneris annis imbiberimus.

Cum primum per primos ætatis annos eſt licitum, parentum cura bonis eſt addictus literis, & poſteaquam grauioribus ſtudiis operam locare poterat, patria deſerta, Saxoniæ inviſit Academias, & primo quidem Wittenbergam, tum & nouis in religione opinionibus, ac doctrina, & ipſius Hereſiarchæ *Lutheri* nomine celebrem, deinde Ienam Miſniæ, & poſt Ducum Megapolitanorum Scholam Rhoſtochii. Circa annum 1550 cum Poloniæ regnum SIGISMVNDVS AVGVSTVS, vltimus ex Iagellonum Proſapia Rex, teneret, Cracouiam ſtudiorum gratia venit, & vel iam tum fundamenta religionis Catholicæ habuiſſe iacta, vel certe ieciſſe Cracouiæ veriſimile eſt.

Excelluit autem præ cæteris noſter *Clenckius* in linguarum cognitione, in qua, tum propter varietatem, tum excellentiam omnibus doctis merito fuit admirationi, atque in eam rem eo poſt incumbebat vehementius, poſteaquam ad Theologiam tranſierat, quo plus ad eius ſtudii cognitionem videbatur conducere. Itaque Græcam literaturam non infæliciter Latinæ coniunxit: Nec Hebraicæ neque Chaldææ, nec denique Siriacæ rudis eſſe voluit.

Cæterum abſoluto Philoſophiæ curriculo, iuriſprudentiæ dabat operam, in qua tantos fecit progreſſus, vt in celeberrima Louanienſium Academia Licentiatus titulum conſequeretur.

Cum vero deſerto iuris ſtudio, totum ſe Theologiæ addixiſſet, tum demum Sereniſſimus Boiorum Dux ALBERTVS, piæ

A.

piæ memoriæ, Quintus eum in ſuam tutelam ac patrocinium re- 1578.
cepit, & in Schola Louanienſi Theologiæ operam dantem libe-
raliter ſuſtentauit, aluitque.

Anno Domini 1562. cum paulo ante ſeſe *Clenckhius* Ingolſtadium contuliſſet, 6. Idus Iunii Baccalaureatus gradum in Theologia recepit; Anno vero 1563. pridie Idus Decembris Licentiæ titulo inſignitus, & ipſis Idibus veſperialem diſputationem obiuit; denique poſtridie Iduum eiuſdem menſis Doctoralia inſignia, in magna totius Scholæ frequentia, Procancellario & Promotore Domino *Georgio Theandro*, eſt conſecutus. Certe eius ſtudii aſſidui ſtrenuique illud ipſum eſt vberrimum teſtimonium, quod infinitæ pene lectionis fuerit; præſertim vero in hiſtoriis, adeo vt nulla pene res in conuerſationem colloquiaque incideret, de qua non & ille poſſet aliquid in medium afferre.

De peregrinationibus eius aliquid etiam mihi dicendum videtur. Et quanquam *Clenckhius* noſter non ita heroica eſſet corporis ſtatura præditus; laborum tamen, æſtus & frigoris, famis & ſitis erat patientiſſimus, & duriſſimum quenquam, qualis Saxonibus eſt familiaris, & coctu difficillimum cibum deuorabat concoquebatque, nec facile ab extrinſecus occurrentibus lædebatur; atque adeo, ita robuſtam habebat naturam, beneque diſpoſitum temperamentum, vt aut nunquam, aut certe rariſſime cum aduerſa conflictaretur valetudine, & ego quotiescunque eum adhuc ſuperſtitem intuebar oculis, aut etiamnum cogitatione animoque apprehendo & perluſtro, illa ſemper Vergilii in memoriam reuocem:

Non hic Atridæ, nec fandi victor Vlyſſes,
Durum a ſtirpe genus: natos ad flumina primum
Deferimus, ſæuoque gelu duramus & vndis.

Vnde factum, vt cum exterarum quoque viſendarum nationum deſiderio flagraret, tum vt diuerſas gentium linguas & mores addiſceret, tum etiam, vt antiquitates veterum, quæque ex multis hauſiſſet magiſtris, coram intueretur, diuerſas Europæ partes peragrauerit. Perluſtrauit totam ferme Germaniam, cui ſuos in ſtudiis profectus, omnes rerum ſuarum fælices ſucceſſus & honores ac dignitates pene vni debet. Dein-

de

A. 1578. de aſperrimas periculoſiſſimasque in remotiſſimam & plane barbaram Moſcouiam perreptauit regiones. Erat autem tum in comitatu cuiuſdam Ducis Lithuaniæ, quem Sereniſſimus Rex Poloniæ SIGISMVNDVS AVGVSTVS, anno 1551. ad Regem Moſcouitarum miſit. Immenſos labores in ea profectione exhauſit, moleſtias & difficultates deuorauit grauiſſimas. Vix tertio quoque die ad hoſpitium eſt deuentum, & ſuper niues quandoque ac glaciem, ſtratis & inuolutis tenuibus, quæ ſecum ferebant, erat decumbendum, atque ita plurimæ noctes ſub dio tranſactæ ſunt. In ea quoque profectione vidit Liuoniam, Sueciam, Lithuaniam, Daniam, Angliam, & quæcunque tellus ad Balthicum iacet pelagus.

Poſt id tempus ad ſtudia rediit, & primo GEBHARDI *a Walpurg*, nunc Reuerendiſſimi & Illuſtriſſimi Principis & Septemuiri, & Archiepiſcopi Colonienſis præceptorem egit; poſt etiam aliorum Baronum curam habuit, in quorum ſeruitio chriſtianiſſimum & florentiſſimum quondam regnum Galliæ perluſtrauit, ac Parrhiſiis & Tulli Burgundiorum literis operam dedit. In Italia vero Bononiæ, Senis & Romæ militauit. In Germania vero inferiori, Sereniſſimi Boiorum Ducis ſumptibus ſtudio Theologico incubuit. Quin etiam Poloniam & Lithuaniam, vt paulo ante indicaui, non obiter inſpexit.

Ita *Clenckhius* noſter varias & late diſſitas perreptauit nationes, vidit complures, easque diuerſiſſimas gentes, multarumque didicit linguas, moresque inſpexit, vt non immerito in ædiculis ſuæ præbendæ apud Ingolſtadienſes illum Homeri verſum, de ſe ſuisque peregrinationibus lapidi inſcripſerit:

Πολλων δ'ανδρωπων ιδεν αστεα και νοον εγνω.

Multorum hominum vidi vrbes, & animum cognoui.

Anno Domini 1564. cum Reuerendiſſimus Princeps ac Dominus MARTINVS *a Schaumberg* Epiſcopus Aichſtadianus in prouinciæ ſuæ & Eccleſiæ religionisque Catholicæ incolumitatem, in Epiſcopali ſua vrbe Collegium exſtruxiſſet, & ad profeſſiones plerosque ex Ingolſtadio euocaſſet, *Clenckhius* quoque, concedente id Sereniſſimo Boiorum Duce ALBERTO, &c. Aiſtadium ad recens inſtitutum Collegium regendum, & Præſidis Profeſſorisque in Theologia officium ſubeundum eſt accerſitus: Vbi etiam

A.

etiam pene per annos ſex, quoad Præſidis eſt functus munere, 1578.
Suggeſtui & Eccleſiaſtæ officio in ſummo Templo, magno cum Zelo & diligentia præfuit.

Anno vero 1570. cum elapſis menſibus Reuerendus & pietate grauitateque vir præſtantiſſimus, *Chriſtianus Khripper* S. Theologiæ Baccalaureus &c. in Suffraganeum Patauienſem electus, Regentiæ Collegii Georgiani renuntiaſſet, eidem ex mandato Illuſtriſſimi Ducis ſubrogatus eſt *Rhodolphus Clenckhius*, & ſimul illi profeſſio Theologica, quam poſitiuam vocant, commendata eſt: Cui annis inſequentibus lectionem Dominicalem de caſibus Conſcientiæ vltro, nullo interueniente ſtipendio aut emolumento, ipſemet adiunxit.

Et quanquam cum terra marique, tum variis iisque plurimis obeundis negotiis immenſos pene labores exhauſerat, vt iam nihil niſi quies & tranquillitas illi ſpectanda videretur, nec ignoraret, quantis ſibi difficultatibus, moleſtiis periculisque ſuperior in Moſcouiam profectio conſtitiſſet; nihil tamen territus, in Eccleſiæ Dei & religionis Catholicæ plantationem, propagationem & incolumitatem, alteram profectionem & in Moſcouiam legationem, ordinante id ita Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Cardinale *Morono*, plenam periculi, & tempore prorſus incommodo, nondum tranſacta hyeme, obire ſtatuerat. Itaque ad iter omnia iam apparauerat, cum neſcio quo fato, aut caſu interueniente, inſtitutum iter eſt interceptum, magno quidem cum *Clenckhii* dolore, qui non ſolum magnam nominis ſui celebritatem ſibi propoſitam habebat, ſed certiſſimam etiam fælicis rerum omnium ſucceſſus ſpem conceperat.

Anno deinde 1577. cum ſecunda vice ab Illuſtriſſimo Principe ERICO, Duce Brunſuuicenſi Catholico, in Saxoniam euocaretur, diſſuadentibus Academicis, inuito pene Duce Bauariæ, & Epiſcopo Aichſtadiano, fato quodam forte ſuo, Saxonicum ingreditur iter, & ad Ducem ERICVM Calenbergum properat: Vbi quid profecerit, aut quomodo res eius ſucceſſerit, euentus docuit. Certe cum integrum annum & circiter quatuor menſes Eccleſiaſten egiſſet, Eccleſiam reformare, & religionem propagare omnibus viribus, ſed fruſtra elaboraſſet; in electione denique Archiepiſcopi Colonienſis, Sereniſſimi Ducis ERICI

A. 1578. Legati munere fuiſſet functus, anno Domini 1578. octauo Iduum Auguſti in feſto Diui Sixti Pontificis & Martyris, in arce Calenbergo, animam ei, vnde acceperat, pie placideque reddidit: Deus animæ defuncti ſit propitius.

* Supplere hic nonnulla ex Rotmari Annalibus oportet.

Anno vero 77. circa feſtum Bacchanaliorum ingreſſus eſt iter Brunſuigam verſus, a Sereniſſimo Duce ERICO, ad Eccleſiæ reformationem, hæreſum exſtirpationem, & Religionis Catholicæ ædificationem vocatus. Eum comitatus eſt religioſus & doctiſſimus Vir, *M. Ioannes Diethmarus* SS. Theologiæ Baccalaureus Formatus, Profeſſus Monaſterii Fürſtenfeldenſis Boiorum, Ordinis Ciſtertienſis, qui tum temporis, liberalitate ac beneficio ſui Abbatis D. *Leonhardi Treutwein*, viri prudentiſſimi, & optimi ſacris literis hic operam nauabat, precibus D. *Clenckhii* excitus ob ſingularem eruditionem, & in concionando gratiam. Quid vero ambo profecerint, vel potuerint proficere, facile illi intelligunt, qui Sereniſſimum Ducem ERICVM ſemper domo abfuiſſe ſciunt. Obiit autem Dominus *Clenckhius* Calenbergæ in ſede ducali. Sepultus in cænobio Virginum apud Eldagnenſes.

Fuit profecto vir ille magnæ lectionis, laboris immenſi, adeo vt quo plus illi oneris impoſuiſſet, eo plus in ſe recepiſſet; breuiſſimi ſomni & multarum vigiliarum. Gratus Academicis, & de Schola noſtra bene meritus. Bibliothecam ſibi propriis expenſis compararat pulcherrimam & refertiſſimam, qualem apud priuatam perſonam, ne in tota quidem Germania, licet videre: In ea ſuas habuit delicias, voluptatem quæſiuit, & quodamodo ſuperbiuit ingenue.

Eam, cum non male imprudenterque cogitaret, omnes ſuos ſucceſſus, honores, dignitates, totamque ſubſtantiam inclytæ Domui Bauaricæ & Academiæ Ingolſtadianæ ſe debere, antequam iter ingrederetur (forte hoc ipſum genio propitio illi ſuo dictante) viua voce, in pleno Academiæ conſilio, Vniuerſitati ad pios vſus libere donauit.

Reuerendiſſimus Epiſcopus Aichſtadianus, vt dolorem, quem ex ipſius morte perciperet, omnibus teſtatum faceret, & quia animæ defuncti bene cuperet eſſe, curauit illi exequias

fie-

A. 1578.

fieri, cum oratione funebri latina, quam Reuerendus Dominus *Petrus Steuartius*, S. Theologiæ Licentiatus, & Profeſſor Aichſtadianus habuit. Et Ingolſtadii itidem eſt illi cum Oratione funebri litatum in Collegio Georgiano. Theologi in ſuo auditorio, collegæ ſui chariſſimi non immemores, dignum defuncto ſtatuerunt monumentum.

* Fundauit *Clenkius* in Collegio Georgiano duo ſtipendia, quodlibet ad quinquaginta florenos. Stipendiarius, quoad eius fieri poteſt, ſit ciuis Ingolſtadiani filius legitimus; habeat gradum Magiſterii, & inclinet ad Statum eccleſiaſticum. Ius præſentandi ſit penes Epiſcopum Eichſtettenſem, & Senatum ciuicum huiatem, per vices.

Reuerendo & ampliſſimo viro ac Domino *Martino Eiſengrein* ſubrogatur Sereniſs. Principis ALBERTI mandato, in Vicecancellariatu, & Scholæ inſpectione, Reuerendus & incomparabilis vir, Dominus *Albertus Hungerus* Sacræ Theologiæ Doctor & Profeſſor, Canonicus Aichſtadianus & Vicecancellarius Decimus, in quo pietatemne magis, an eruditionem pulcherrimam admirer, ſane non intelligo. Pari inter ſe conueniſſe ratione ac menſura dixeris. In lucem emiſit anno præſenti 79. Catholicas preces, ex veterrimis Eccleſiæ Doctoribus & poetis collectas. Premit adhuc quæſtionum admirabilium farraginem.

* *M. Fridericus Martini* Dialectices hactenus Profeſſor, Legum Doctor hoc anno creatus, lectionem ſuam dimiſit & ab Academia diſceſſit; eo ſcilicet animo, vt ſibi de conuenienti conditione alibi prouideret. Rediit tamen paulo poſt, & ad annum vſque 1597. Iuris primum ciuilis, tum canonici cathedram tenuit. Profeſſionem dialecticam eius loco ſuſcepit *M. Hellmarius-*

ANNO DOMINI M D LXXIX.

A. 1579.

Rect. CCV. CASPARVS FRANCVS, S. Theologiæ Doctor & Profeſſor, Protonotarius, Sereniſſimi Boiorum Ducis Conſiliarius, & Parochus apud Diuum Mauritium.

Rect. CCVI. IOANNES EISENGREIN LL. Doctor, & Canonicus Patauienſis, magni illius *Martini Eiſengreinii* frater.

A.

1579. Inſcripti 213.

Nobil. *Ferdinand. Khuen* de Belaſi in Liechtenberg & Gartenau, L. B. in Neuenlembach.
Ioan. Thomas Leſch.
Henric. Baro a Gumpenberg.
Ioan. Georg. a Seiboltsdorf.
Sigefridus Nunz, Saxo.
Ioan. Sebaſt. } *Rhelinger*, Patricii Auguſt.
Chriſtophor. }
Ioan. Egolph. Liechtenauer.
Ioan. a Beneckendorf, Marchiacus.
Veſpaſian. } *Grangier*, Pariſienſ. Gall.
Renatus }
Chriſtophor. a Sterz, Sileſius.
Ioannes a Berbisdorf, ex Miſnia.
Georg. a Waltecken, Brunſuicenſ.
Vit. Vdalric. a Schaumberg, Bauar.
Dominicus de Kema, Leowardienſ. Friſius.
Ioan. Paul. Vehlin, Auguſtan.
Bernard. Barth, Monacenſ.
Ioan. Ludou. a Mindlishouen, Conſtantienſ.
Ioan. de Aventanio, Ratisbonenſ.
Caſparus, } *Grübelii* a Stockaw.
Philipp. Ludou. }

Nou. Prof. *Bartholom. Viſcher*, SS. Theol. Doct. ac Prof. Collegii Georgiani Regens.
Otho Eiſenreich, S. I. SS. Theol. Licent. & Prof. ac Collegii Albertini Regens.
M. Sebaſtian. Hilmarius, Dialect. Prof.
M. Nicolaus Carpentarius Heidelbergenſ. S. I. Philoſ.

Nou. Doct. *Bartholom. Viſcher* vt ſupra.
Ioan. Ertlinus, Eccleſiaſtes Forchemienſ. } Theol.
Io. Bapt. Bibelmayr, Vicar. Gen. & Suffr. Ratisb. }
Frideric. Staphylus Conſil. Ducal. Monach. } Vtr. Iur.
Ioan. Eiſengrein, Can. Paſſau. }

Inter inſcriptos I. *Ferdinandus Khuen* de Belaſi &c. adoleſcens heroicæ indolis & Spei optimæ, Reuerendiſſimi & Illuſtriſ-

A.

ſtriſſimi Principis IOANNIS IACOBI Archiepiſcopi Saliſburgenſis nepos ex fratre germano. Præceptor eius diligens & induſtrius, vitæque integerrimæ *Georgius Dorner* Munderkhingenſis Sueuus. 1579.

* Factus eſt poſtea *Khuenius* Straubingæ Vicedomini, quem vocant, Locumtenens. *Dornerus* vero, cum doctorali ex vtroque Iure laurea eſſet inſignitus, demum Aſſeſſoris in Spirenſi Camera munus obtinuit.

II. *Chriſtoph. Vdalricus Elſenhaimer* Monacenſis, Cancellarii filius, Mainburgenſis poſtea & Wollenzachenſis Præfectus, ac tandem Cameræ Aulicæ Præſes.

III. *Caſparus Strauſs* Weilhamenſis, Profeſſus Schirenſis, Ordinis D. Benedicti. Hoc ego adſcribo lubentius, quo in Monachorum ſocordiam & inſcitiam vehementius invehuntur hæretici, vt ipſorum iniquitas deprehendatur, & pia Abbatum cogitatio, & in bonas literas, Religionemque Catholicam propenſa voluntas ſua non deſtituatur laude. Schirenſis Abbas *Benedictus Prummer* Monacenſis, quantopere honeſtas literas cupiat, & velit promotas, vel hoc vnum luculentum exhibet nobis teſtimonium, quod non domi tantum ſuis fratribus doctos alat præceptores, qualis per triennium ibi fuit *M. Vdalricus Hackherus*, egregie cum in vtroque iure, tum vero in literis politioribus, tamque in ligata, quam proſa oratione exercitatus, ſub cuius diſciplina, prædictus *Caſparus Strauſs*, prima Latinæ linguæ non infeliciter iecit fundamenta, ſed etiam, quantumuis magnis expenſis prematur cœnobium, in Academiis alumnos habet. Nam *Caſparum Strauſs* iam aliquo tempore Dilingæ aluit. Neque me hoc loci mouet, quod mihi forte hæretici obiiciant, vix tandem excitatos ex graui & profundo ſocordiæ, negligentiæque ſomno Monachos vigilare, & reſipiſcere: non refert, modo ſapiant. Et certe quo tempora progrediuntur longius, ſerumque Mundi appropinquat magis, eo magis eſt Religioſis, & iis, quibus Eccleſia DEI, & Religio Catholica eſt commiſſa, vigilandum, ſapiendum, & hæreticis eundum obuiam.

Tertio Iduum Maii Doctoralibus in vtroque iure inſigniis aucti & honorati ſunt doctiſſimi & clariſſimi viri *Fridericus Staphylus*, Conſiliarius Ducalis Monaci, & *Ioannes Eiſengrein* Canonicus Patauienſis, nunc temporis Rector, inuictorum Religionis Catholicæ propugnatorum, ille quidem *Friderici Staphyli*

A.
1579. filius, hic vero magni illius *Martini Eiſengreinii* frater, promotore clariſſimo viro ac Domino *Nicolao Euerhardo* LL. Doctore & Profeſſore.

Die 16. Iunii, cum præcedenti die eſſent Veſperiati, Doctoralia in S. Theologiæ ſtudio receperunt inſignia, Reuerendi & doctiſſimi viri ac Domini S. Theologiæ Licentiati, *Bartholomæus Viſcherus*, Regens Collegii Georgiani, Caſuum conſcientiæ Profeſſor, & Canonicus Ratisbonenſis: *Ioannes Ertlinus*, Eccleſiaſtes Vorchemius, & *Ioannes Baptiſta Pibelmair* Vicarius & Suffraganeus Ratisbonenſis, promotore Reuerendo & ampliſſimo viro ac Domino *Alberto Hungero*, Doctore Theologo, & Profeſſore, ac Vicecancellario.

Frequens & celebris ille fuit actus, quemadmodum & Iurisconſultorum fuerat. Legati interfuere, ſuaque præſentia illuſtrarunt, Reuerendi & doctiſſimi viri, *Matthias Oximannus* vel *Saurman* Doctor Theologiæ Friburgi creatus; Patria Conſtantienſis, nomine Reuerendiſſimi & Illuſtriſſimi Principis & Epiſcopi Babenpergenſis: *Wolfgangus Holl*, S. Theologiæ Doctor, & Suffraganeus Aichſtadianus, loco Reuerendiſſimi & Illuſtriſſimi Principis ibidem: *Thomas Gallus* D. Theologus, & ad D. Ioannem Canonicus Ratisbonæ, nomine Reuerendiſſimi eius Vrbis Epiſcopi. Reuerendi autem Domini Abbatis Cæſarienſis loco aderant Religioſi, doctiſs. & optimi viri ac Domini, *Georgius Fueterknecht*, Burſarius ſuperior, quem ego honoris, amicitiæque & humanitatis erga me cauſſa libenter poſteritati commendo, & *M. Leonhardus Lauretus* Granarius, vterque Profeſſus ibidem: Abbatis vero S. Emerami Ratisbonæ loco erat Reuerendus & doctiſſimus vir *Ioannes Vngenemius* D. Theologus, & ibidem ad D. Ioannem Canonicus. Suo vero & Ducalis Regiminis Straubingenſis nomine aderat, perquam doctus, prudens, ſolers, diſertiſſimus, rebusque agendis maxime induſtrius, & cauſſarum patronus ſupremus *Martinus Semockh*, vir ætatis iam grandæuæ, ſed quam adhuc leuiter fert & iucunde. Legati denique Vorchemenſes erant viri, eruditione, prudentia, humanitate, omnique virtutum genere præſtantiſſimi, *Andreas Lechner*, vrbis Prætor, cum fratre *Ioachimo Lechner*, & qui nullis ſuæ conditionis, & ſtatus hominibus Senatoribusque eſt ſecundus, Lati-

A.
tinis literis eleganter excultus, & tam in poeſi quam in proſa 1579.
oratione perquam exercitatus, & promptus, *Ioannes Knorr*, ci-
uis & Senator Vorchemius.

In comitatu Straubingenſi (ſtultorum enim plena ſunt omnia, nec ſolenniora feſta conuiuiaque morionibus carent) erat quidam ludio *Leonhardus Callinger*, de quo, vt & ille de tam celebri actu aliquid reportaret, quoddam luſi carmen.

* Eodem anno theologici Doctoratus capeſſendi licentia data eſt præter alios *Melchiori Kleſelio*, Profeſſori poſtea Viennenſi, Præpoſito ad S. Stephanum, & Epiſcopo Neoſtadienſi, ac tandem S. R. E. Cardinali; cuius ſingularia fata paſſim alibi legere eſt.

Obiit eodem anno 5. die Maii clariſſimus & doctiſſimus vir ac Dominus *Laurentius Siffanus*, LL. Doctor & græcæ linguæ apud Ingolſtadienſes Profeſſor, qui ſuis lucubrationibus, & verſionibus Græcolatinis toti rei literariæ, literatisque eſt notiſſimus.

* Scripſit *Orationes de laudibus linguæ græcæ & Iſocratis*, an. 1564. Conuertit e Græco *Gregorium Nyſſenum*; item *Theophylacti Commentarium ad Acta Apoſtolorum*, anno 1567. Eius ſepulchrum, quod in æde D. Virginis viſitur, hanc habet inſcriptionem: *Exuuiæ Viri Clariſs. Laurentii Siffani, Brunsfeldii, I. V. Doct. Linguæ Græcæ Profeſs. celeberrimi ſub hoc ſaxo reconditæ ſunt, cuius ſpiritus Deo viuat. IV. Maii, anno M. D. LXXIX.*

Orta eſt inter ſtudioſos, & plebeios quoſdam contentio, & qui ſuas volebat partes interponere, piſtor quidam forte fortuito, ab inſcio ſtudioſo eſt transfixus. Concurſum a ciuibus ad arma, Studioſi ædibus incluſi male a ribaldis tractati fuſtibus, & in quosuis obuios Studioſos, & qui Studioſis videbantur ſimiles ſæuitum eſt. Fuiſſe aiunt quendam ex ciuibus Therſiten, qui campana ſignum dari ciuibus volebat, ſcilicet, vt mactarentur Studioſi (vera noſtrisque viſa ſcribo) quaſi egregiam de inermibus paucisque relaturus victoriam. Sanum profecto Conſilium Vulcani, & quod poſteritati tradatur, perquam dignum. Sed ex vnius imprudentia non debet totus iudicari conuentus, & falſum eſt illud Vergilii: *Crimine ab vno — Diſce omnes.* Tumultus ille, non ſine ſanguine alioquin comprimendus, cum Stubam potatoriam Studioſi armata manu occupaſſent, & aliquot iam per ſcalas deturbaſſent noctuas, interuentu, & prudentia, clariſs. viri ac Domini *Nicolai Euerhardi*, de

qua

A.
1579. qua re ſupra dictum, & vere nobilis, doctiſſimi, & prudentiſs. viri ac Domini *Henrici Langenmantel*, Prætoris vrbis, magno cum periculo, inter ipſa arma compoſitus eſt. Quidam ad idem vocati negotium metu ſe ſubduxiſſe dicuntur.

Valedicit rebus humanis 24. die Octobris ſub noctis initio Sereniſſimus & Catholiciſſimus Princeps ALBERTVS, Comes Palatinus Rheni, Dux & Monarcha vtriusque Bauariæ clementiſſimus, Aurei Velleris eques, Religionis Catholicæ inuictus propugnator, verus patriæ pater, Romanique Imperii columna, Principum ſapientiſſimus, multisque rebus egregie geſtis, & in Eccleſiaſticam, politicamque Rempub. benemeritis clariſſimus. Omnia ſunt illi optimo Principi ab Academia, a ciuibus, & vtroque collegio iuſta apud nos exhibita. Orationibus litarunt eius animæ, & exequias illuſtrarunt apud D. Mariam Virginem, primo clariſſimus vir ac Dominus *Nicolaus Euerhardus*, LL. Doctor, & Profeſſor primarius: Secundo *Ioannes Lonæus Boſcius*, Medicinæ Doctor & Profeſſor: Tertio Reuerendus & ampliſſimus Dominus Procancellarius, *Albertus Hungerus*, SS. Theologiæ Doctor & Profeſſor & Scholæ ſupremus inſpector. In collegio Albertino *M. Laurentius Eiſzepf*, Sereniſſimi Principis alumnus, & Reuerendus Pater *Gregorius de Valentia* S. Theologiæ Doctor & Profeſſor. In Georgiano vero autor Annalium.

Succeſſit in Regimine defuncto Principi Sereniſſimus & Optimus Princeps GVILIELMVS nominis illius quintus, in quo ſumma maximarum virtutum, & paterni animi relucet imago, filius tali parente digniſſimus, ætatis ſuæ Anno 31.

Tranſiit hoc ipſo menſe Decembri Reuerendiſſimus, & Illuſtriſſimus Princeps ac Dominus MARTINVS Epiſcopus Aichſtadianus, Monacum ad exequias Sereniſſimi Ducis ALBERTI profecturus, magno, pulchreque cum ornato comitatu, in quo etiam erat *Ioannes Iacobus Kuechner* Yberlingenſis, (cuius nomen anno 47. in album Vniuerſitatis eſt relatum) Reuerendiſſimæ eius Celſ. vicarius in ſpiritualibus, Chori S. Wilibaldi Canonicus, & Collegii Epiſcopalis Aichſtadii Præſes & Rector. Recepit idem Ingolſtadii, anno 1559. ſub decanatu Reuerendi Patris *Ioannis Guuillonii*, iam tum Vicarius Aichſtadianus, in SS. Theologia

lau-

A.
1579.

lauream formatam, conferente eam Reuerendo viro ac Domino *Georgio Theandro*, cum antea de Decimis diſputaſſet publice.

Celebrabatur eodem menſe Monaci conuentus Statuum Bauariæ, adeo vt frequentiſſimæ, & celeberrimæ triceſimi Diei exequiæ Sereniſs. Duci ALBERTO exhibitæ fuerint. Nam præter Ordines Bauariæ, legati quoque Imperatoris, & aliquot Principes Germaniæ, partim propriis perſonis, partim per legatos pie eas exequias honorarunt.

Rediit ex Hiſpania Illuſtris & generoſus D. *Georgius Comes a Montfort*, eruditione, & omni virtutum genere præſtantiſſimus heros, Imperatoris Auguſtiſſimi RHODOLPHI ſecundi ad potentiſſimos Reges Hiſpaniarum & Portugalliæ Legatus, ab iiſdem Regibus regiis muneribus, titulis, honoribusque donatus. Fungitur apud auguſtiſſimum Imperatorem etiamnum Pincernæ officio, quod munus etiam apud MAXIMILIANVM primum, piæ memoriæ, adminiſtrauit.

* Menſe Februario h. a. *Antonius Poſſeuinus*, notum literatis nomen, hac tranſiit; ac poſt aliquot dierum moram Pragam diſceſſit, indeque in Sueciam, pro Summo Pontifice Legatus.

* Cum hoc anno finiuntur *Annales Academiæ Ingolſtadienſis Valentini Rotmari*; qui & ipſe anno ſequenti 1581. ſub veris initium viuere deſiit. Abſoluto iam typis Weiſſenhornianis hocce opere, in edendo *Almæ Ingolſtadienſis Academiæ Tomo Primo*, ad Partem illius ſextam, quæ Archiepiſcopos & Epiſcopos complectebatur, progreſſus erat, cum mori ſe ſentiens, *Ioanni Engerdo* Poetices Profeſſori negotium commiſit, vt Tomum illum imprimi iam cæptum, ad finem perduceret. Præſtitit *Engerdus* fideliter, quod agenti animam *Rotmaro* promiſerat; atque exeunte anno 1581. dictum opus e Typographia Sartoriana in lucem publicam emiſit. Optandum ſane, vt alterum quoque Tomum, qui reliquarum Facultatum, Iuridicæ ſcilicet, Medicæ & Philoſophicæ, Profeſſores complecti debuerat, æque feliciter cum literato orbe communicaſſet.

ANNO DOMINI M D LXXX.

A.
1580.

Rect. CCVII. FERDINANDVS BARO KHVEN a Belaſi, in Liechtenberg &c.

A.

1580. Prorect. *Bartholomæus Viſcherus*, SS Theol. Doct. & Prof.

Rect. CCVIII. IOANNES DOMINVS IN ANSTENRAEDT, Baro in Falkenburg &c.

Prorect. *Bartholomæus Scholl*, SS. Theol. Lic. Paroch. ad D. Virg.

Inſcripti 223.

Princeps. ALEXANDER, *Dux Slucenſis & Copelienſis*, Lithuanus, cum quindecim partim Aulicis, partim famulis.

Nobil. *Staniſlaus Baro in Ruſoczicze*, Palatinus Lancicienſis, ex antiquiſſima Laſconum familia.

Paulus Baro in Dzialyn, Palat. Cuiau.

Albertus Baro in Ponethaw, Palatin. Lancicienſ.

Ioan. Albert. Düchtel, a Tützing, Bauar.

Ioan. Melch. Saurzapf a Rorbach, Palat.

Laurent. Paribelli, Ital.

Ioan. Eraſm. } *Rhodt*, Patrit. Auguſt.
Ioan. Frideric. }

Ioan. Vdalric. Liechtenauer.

Chriſtoph. }
Conrad. } *Peuttinger*, Patrit. Auguſt.
Claud. Pius. }

Adamus } *a Neudeck.*
Georg. Sim. }

Albert. Fuggerus, Baro in Kirchberg & Weiſſenhorn.

Iacob. Hudroth, Patrit. Norimberg.

Ottho Comes a Mansfeld.

Henricus a Wendele.

Philipp. ab Adelshauſen, Can. Eichſtad.

Wolfg. Theoderic. Lunus, Bauar.

Guilielm. de Schwonga, Sueuus.

Chriſtoph. Köck in Prun & Maurſtetten.

Ioan. Rumel ab Herſpruck, Patrit. Norimberg.

Leonard. de Aſch, Landishut.

Martin. a Palant, Iuliacenſ.

Nicolaus Sauiolus, Roboretan. Ital.

Caſp. Conrad. de Guettenberg, Can. Herbipol. & Eichſtad.

Andreas Torelli de Villa Vallis telinæ.

A.

Illuſtriſs. Princeps ac Dominus GEORGIVS Landgrauius Leuchtenbergenſis valedixit Academicis, & Ciuibus die 5. Aprilis, regio prorſus exceptis conuiuio. Die vero 7. eiuſdem menſis vrbem cum ſuis exiuit, anno Domini 1580. In eius Illuſt. Celſitudinis fælicem diſceſſum *quoddam* carmen vna atque altera hora, die 6. Aprilis αυτοσχεδιασι luſi. 1580.

Scripſit in eiuſdem diſceſſum alterum carmen *Ioannes Eiſengrein*, LL. Doctor, Canonicus Patauienſis & tum temporis Scholæ Rector &c. quod vna cum meo typis eſt euulgatum.

Princeps eſt, vt hoc coronidis loco ſubiungam, præter ætatem eximiis animi dotibus, & admiranda prudentia valens, vt vere illud Vergilianum de eo poſſit dici:

Ante annos animumque gerens, curamque virilem.

Expedite, eleganterque loquitur Latine, quotiescunque in conuerſationibus & colloquiis eius vſus ſermonis incidit, & non exiguam iurisprudentiæ cognitionem habet. Omni humanitate Academicos ſemper eſt proſecutus, plurimaque tum in omnes, tum vero in me contulit beneficia. Præſidis nunc fungitur munere in ſupremo Boiorum Ducis tribunali, quod eſt Monaci. DEVS Opt. Max. tantum Principem quam diutiſſime incolumem ſeruet & in omne bonum opus adaugeat.

* Huius GEORGII LVDOVICI filia MECHTILDIS anno 1612. ALBERTO Duci Bauariæ MAXIMILIANI I. fratri nupta, cum MAXIMILIANVS ADAMVS Landgrauiorum Leuchtenbergenſium vltimus an. 1646. ſine prole obiiſſet, tanquam vnica eius familiæ hæres, Landgrauiatum Leuchtenbergenſem domui Bauaricæ aſſeruit.

* Iacturam, quam ex diſceſſu Domini Landgrauii paſſa eſt Academia noſtra, eodem anno reſarciuit ALEXANDER Dux Slucenſis & Copelienſis, Lithuanus, de quo copioſe ſcribit *Rotmarus* Acad. Ingolſt. P. III. pag. 49. & ſeqq.

Quantum ex frequenti, accurataque, vt opinor, matriculæ Academicæ inſpectione, lectione, relectioneque obſeruare potui, niſi forte quem locum feſtinantius opinione vel præterierim tranſilierimue, vel imprudentius incogitantiusque inſpexerim, nulla omnino Academiæ noſtræ tempora fuiſſe video, quibus plures Poloni, Lithuanique Scholam noſtram illuſtrarunt, quam paucis hisce annis proximis. Inter Lithuanos primus (nam

A.
1580. de Polonis poſt dicam) Academiæ nomen dedit anno 1577. Illuſtris Dominus *Euſtachius Tiſſenowitz*, Smolienſcenſis Palatinus, & eiuſdem Præfectus *Georgius Calicantus*, eques Lithuanus. In ſecundis vero numeratur Sereniſs. & Illuſtriſſimus Princeps ac Dominus ALEXANDER Dux Slucenſis & Copelienſis Lithuanus, qui anno 1580. Academiam noſtram acceſſit. Is vt generis vetuſtate, nobilitate maiorum, præclare geſtis, propriis denique tam animi quam corporis & fortunæ bonis Polonos, Lithuanosque, qui noſtræ Academiæ fuere cogniti, longe antecellit, ita quoque plurimum ornamenti, lucis & ſplendoris præ cæteris omnibus, Scholæ Ingolſtadianæ adferre, credi debet. Eius Principis generis ortus ad *Wlodimirum* fratrem *Iagellonis*, excellentiſſimi herois, & magni Ducis Lithuaniæ, *Olgierdi* filium, refertur. De quorum vtroque, tanquam duobus Lithuaniæ luminibus, cum vtriusque gloria, quaſi iure quodam hæreditario, in Principem ALEXANDRVM deuoluatur, non ægre feret modeſtus lector, rerumque non iniquus arbiter, ſi paucula quædam hoc loci dixero, non tam, quod qualemcunque auram popularem, quam plerique faciunt plurimi, apud eam nationem, & beneuolentiam apud Principem velim captare, quam vt Academiæ noſtræ celebritas, quæ apud exteras quoque gentes diuulgata Principum & ingenuorum animos perſtringit, allicitque, innoteſcat melius, & quod ea res ad originem & familiam Principis Lithuani illuſtrandam, omnino pertinet. Dicam igitur primo de *Iagellone*, eiusque poſteris; de *Wlodimiro* poſt ſermonem inſtituam.

Fuit Lithuanis Princeps, ſeu Dux magnus (ita enim inſcribebantur, antequam Lithuania vnita Poloniæ, & mutilata fuerat) nomine *Olgierdus*, *Gediminio* parente genitus, quem & pace & bellis potentem fuiſſe, totique Lithuaniæ imperaſſe, cum ex Cognomento Magni Ducis, tum etiam ex eo colligo, quod illi cruenta cum Polonis bella, præliaque fuerunt, multique captiui Poloni apud eundem detenti. Habebat is complures filios, diris Ethnicorum erroribus, tenebrisque implicatos omnes, velut & ipſe *Olgierdus*, totaque cum eo erat Lithuania. Colebant enim eius regionis incolæ pro Deo vero varias res, adorabant ſolem, ignem, ſyluas, ſerpentes & quædam alia venerabantur numina idolaque. Cæterum inter fratres,

Ol-

A.
1580.

Olgierdi filios, vt natu erat pene maximus *Iagello*, certe fratre *Widimiro* grandior, ita cæteris quoque ingenio heroico, ſapientia, animique fortitudine, præſtabat facile. Ille cum circa annum 1380. regnum Poloniæ vacare, vnamque tantum filiam, nomine HEDWIGIN ex LVDOVICO rege Poloniæ & Vngariæ, & MARGARETHA CASIMIRI ſecundi regis Poloniæ filia progenitam (regnum enim Poloniæ ſæpe in muliebre genus, virili deficiente ſexu, translatum exteros acquiſiui dominos) totius regni hæredem eſſe relictam intelligeret, neque ſibimet ipſi, alteriori quodam & pene diuino Spiritu intus excitante, deeſſe, neque tam oportunam tam opulenti regni acquirendi occaſionem prætermittere voluit. Erat autem Polonia iam ante ad Chriſtianam religionem conuerſa. Miſſis itaque per fratres ſuos, tanquam legatos, regiis muneribus, facile apud HEDWIGIN Virginem, iam in reginam Poloniæ vnctam, apud Matrem MARGARETHAM Vngariæ reginam, & reliquos regni Polonici proceres, *Iagello* obtinuit, vt a filia in maritum, a matre in generum, a ſtatibus denique regni in regem & dominum acceptaretur: tum quia Chriſtianæ fidei ac religioni nomen erat daturus, captiuos reſtituturus libertati, & Ducatum Lithuaniæ regno Poloniæ in perpetuum vniturus, & vt vocant, incorporaturus: tum etiam, quod ſtatus Polonici pene continuis exterarum nationum incurſionibus miſere vexati pacatius & quietius ſibi pollicebantur regnum.

Multis ille *Iagello*, cui in Baptiſmo VLADISLAI nomen eſt impoſitum, præclare geſtis & nobiliſſimis affinitatibus apud ſuos Lithuanos ac Polonos, tum etiam apud exteras nationes claruit. Poſtquam enim regina, regnoque Polonico potitus eſſet fæliciter, & vna cum fratribus ſacro Baptiſmatis fonte ablutus, reuerſus eſt in patriam, gentiliſmum, omnemque Idololatriam ſuſtulit & exſtirpauit, templa Idolorum deſtruxit, noua exſtruxit, & Vilnæ, quæ eſt Lithuaniæ Metropolis, Cathedralem conſtituit Eccleſiam, veramque fidem ac religionem in totam Lithuaniam induxit, multis viris religioſis, multisque Epiſcopis ad eam rem cooperantibus. Inde rebus omnibus bene conſtitutis, fratrem BOLESLAVM Lithuaniæ præficit, ipſe in Poloniam cum coniuge reuertitur. In Polonia Craccouienſem

A. 1580. Academiam, multis quidem ante annis in vrbe Casimiria a CASIMIRO secundo tentatam inchoatamque, sed non absolutam perfectamque, quasi de nouo erexit, accersitis ex Academia Pragensi Magistris & Doctoribus, qui in recens instituta Schola profiterentur. Graue cum Teutonicis fratribus bellum gessit, tandem senio laboribusque confectus, anno 1437. moritur: reliquit post se duos filios, VLADISLAVM, qui parenti in regno Poloniæ succedens, eidem Vngariam coniunxit: & CASIMIRVM secundo genitum, qui Dux magnus Lithuaniæ constituitur, & paulo post, occiso in prælio fratre a Turcis, regnum quoque Poloniæ adeptus est. Ab hoc ipso CASIMIRO tertio, rege Poloniæ, descendunt reliqui omnes reges Poloniæ, vsque ad SIGISMVNDVM AVGVSTVM, SIGISMVNDI filium, nepotem CASIMIRI, & *Iagellonis* pronepotem.

Nunc ad *Wlodimirum* deuenio; ei mortuo parente *Olgierdo*, in diuisione paternarum ditionum Ducatus Kywiensis, Slucensis & Copeliensis, contigit. Bellis Princeps ille perquam inclytus filium vnum genuit *Olieleckhonem*, qui in Baptismo nomen ALEXANDRI accepit, græcæque Ecclesiæ sese addixit. Hinc græcam profluxisse apud Lithuanos religionem arbitror, quæ in hunc vsque diem perdurauit. Huic in Ducatu Slucensi & Copeliensi filius MICHAEL successit, qui SIMEONEM, vnicum genuit filium. Ex hoc natus est Principis nostri proauus SIMON Dux Slucensis, ditissimus Princeps & bellicosissimus, qui vixdum annum ætatis suæ decimum octauum egressus, Tartarorum, ac Turcarum duodecim millia prælio superauit, profligauitque fæliciter. Emigrauit ex hominum commercio vnico filio GEORGIO, filiaque post se relictis. GEORGIVS Dux Slucensis, non minus ipso parente armis, manuque inclytus, ALEXANDRI Principis auus, Tartarorum 24000 vno profligauit prælio, genuitque SIMEONEM secundum, qui sine prole decessit, & GEORGIVM, ex quo GEORGIVS, SIMEON & ALEXANDER Princeps noster sunt geniti.

Habet profecto Sereniss. Princeps ALEXANDER, in quo, si vellet, iure suo non mediocriter posset efferri, ac præcipue quidem ratione suæ originis, paternæque familiæ, quod a tantis heroibus patrium suæ stirpis ortum trahit. Et *Iagelloni* quidem

A.
dem, quia vel in vna ea re euadit ſimillimus, quod quemad- 1580.
modum ille adhuc iuuenis ad veri Dei agnitionem peruenit, religionem Chriſtianam & Catholicam eſt amplexus, diuinum denique cultum, gentilium confringendis, Deo vero, Chriſto filio, eiuſque matri D. Mariæ ſemper Virgini nouis conſtruendis templis plantauit, promouit & amplificauit, ita pariter hic noſter Princeps ALEXANDER, abiuratis quibuscunque ſchiſmatis, erroribusque ad verum Chriſti ouile, & Eccleſiam Catholicam totus tranſierit, nunquam intermorituram meretur gloriam. Parentem vero multis anteuertit paraſangis, quod licet omnium rerum copia & immenſis affluebat diuitiis, occaſionem tamen, vt opinor, ad Eccleſiæ Catholicæ diuertendi tam amplam, tamque oportunam & plane magnificam nunquam habuerit, quantam ſingulari Dei beneficio contigiſſe filio coram aſpicimus. Atque id ipſum quanquam non ſine propitio Dei præpotentis numine eueniſſe fatemur, Sereniſſimus tamen Boiorum Dux GVILIELMVS fælici ſuo auſpicio primas maximasque in eo negotio partes egit, ſuſtinuit, & rem promouit. Nam cum menſe Auguſto, hoc ipſo 80. anno Sereniſs. noſter Princeps GVILIELMVS, viua pietatis, cæterarumque paternarum virtutum imago & exemplar, non obſcure ex quibuſdam fidei probatæ viris intelle-xiſſet, & re ipſa coram experiretur, quam bene Principis ALEXANDRI animus in Religione Catholica informatus, non niſi vlteriori progreſſu, calcaribus & confirmatione indigeret, tum propter cætera negotia, tum etiam hanc ob rem, vt euentus docuit, Reuerendiſs. & ampliſs. Epiſcopum Aichſtadianum MARTINVM *a Schaumberg*, ſenio canisque, pietate & grauitate venerandum Principem, ad ſe Ingolſtadium amice ac benigne inuitauit, vbi tum Princeps GVILIELMVS, non venationis tantum cauſa (quanquam & illam non tam oblectatio, quam neceſſitas, quam amor in ſuos Principis efflagitabat) ſed etiam, (quæ potiſſima illi commorandi cauſa fuit) Academiæ & ciuilis Reipub. in primo ſui regiminis ingreſſu conſtituendæ gratia, hærebat, & qua ſingulari eſt pietate, & in religionem Catholicam Zelo flagrat ardentiſſimo, omnem dedit operam, vt Sereniſs. Princeps ALEXANDER a ſchiſmate per eundem Reuerendiſs. Epiſcopum abſolueretur, Eccleſiæque reſtitueretur. Neque difficile ſane erat,

A. 1580. erat, iam ad iter accinctum perſuadere. Itaque Princeps noſter Sereniſs. GVILIELMVS ab vtraque parte, quod volebat, ſine labore impetrauit, resque omnino ceſſit fæliciter. Neque certe apud me dubium hic eſt amplius, quin Princeps ALEXANDER, cum Diis fælicibus ad paternos lares aliquando redierit incolumis, grandiorque ætas ei acceſſerit, *Iagellonis* veſtigia ſit inſecuturus, & quemadmodum ille gentiliſmum extirpauit in Lithuania, ſic ipſemet quicquid vel temporum diuturnitate, iniuriaue, vel incuria paſtorum, hominumque malitia in ipſius ditiones aut hæreſis (late enim illud virus & quam facillime ſerpit) aut ſchiſmatis irrepſit, omnem moturus ſit lapidem, vt illud ipſum paulatim aboleat, tollatue, eradicet, profligetque penitus. Nec deſunt profecto iam nunc ad eam rem non infælicia auſpicia, initiaque.

Atque hæc omnia ad ſanguinis paternique generis gloriam, maioribus cum Principe ALEXANDRO communem pertinent. Quod ſi ad generis nobilitatem, affinitates quoque faciunt, non video, quid in hac fælicitatis parte Princeps ALEXANDER vel a Deo Opt. Max. omnium bonorum primo & munifico datore, vel a fortuna poſſit requirere magnificentius. Paternæ ſtirpis origo pene eſt regia, in qua & Poloniæ & Vngariæ & Bohemiæ recenſentur reges. Affines & ipſi reges, Imperatores, Duces, & Archiduces exſtiterunt. CASIMIRI tertii, *Iagellonis* filii, coniunx erat ELISABETHA Archiduciſſa Auſtriæ, ALBERTI Romanorum Imperatoris filia, LADISLAI Vngarorum regis ſoror, SIGISMVNDI Imperatoris ex filia neptis, multorum & filiorum, qui pene omnes, præter FRIDERICVM Cardinalem, ſucceſſiuis temporibus regno Poloniæ ſunt potiti, & filiarum parens, SIGISMVNDI AVGVSTI, vltimi ex *Iagellonis* linea apud Polonos, regis auia. Atque hæc illi familiæ cum Auſtriaca domo eſt coniunctio: quanquam & SIGISMVNDVS AVGVSTVS FERDINANDI primi Imperatoris filiam matrimonio ſibi copulatam habuit. Cum Bauarica vero domo eadem eſt permixta familia; cum Brandenburgenſi, Lignicenſi & Stetinenſi. Cum enim rex CASIMIRVS tertius complures genuiſſet filias, natu maxima HEDWIGIS GEORGIO Duci Bauariæ, cognomento *Diuiti*, LVDOVICI *Diuitis* & Scholæ Ingolſtadianæ Fundatoris filio, nupſit. SO-

PHIA

A.
PHIA FRIDERICO nono Marchioni Brandenburgenſi & Norici 1580.
caſtri Burggrauio, FRIDERICI & GVILIELMI, qui anno 1515. &
1516. rectoratus dignitate ſunt perfuncti, parenti fuit coniuncta: ANNA BVGISLAO Duci Stetinenſi, BARBARA GEORGIO Marchioni Miſnenſi, & ELISABETHA Duci Lignicenſi. Prætereo nunc filias SIGISMVNDI regis Poloniæ ex *Iagellonis* proſapia penultimi, quarum alia Duci Brunſuicenſi, alia regi Vngariæ, alia regi Sueciæ fuit nupta: minima natu ANNA etiamnum in matrimonio STEPHANI Poloniæ hoc ipſo tempore regis conſpicitur. Et profecto, ſiquis rem recte conſiderat, tanta huic familiæ contigiſſe, tam ampla regiaque comperiet, quanta vix alteri cuipiam accidiſſe legimus.

Verum non tam maiorum inſigniis, parentumque gloria innitendum, quam propriis nos oportet virtutibus excellere. Et quisquam de ALEXANDRO Duce, tantæ indolis Principe dubitet, qui pulcherrimum omnium virtutum poſuit fundamentum? Omnia pene mihi habere videtur, qui e tenebris in lucem aſſertus, veram religionem, & doctrinam Catholicam amplexus eſt, quam tanquam indiuiduus comes & perpetua pediſſequa, omnium virtutum parens & honeſtatis fons vberrimus, ſequitur pietas. Ea minime nos tranſuerſum rapi ſinit, ducit viam veritatis, virtutis & honeſtatis, morumque eſt magiſtra longe doctiſſima. Hac inquam Princeps ALEXANDER ſtipatus, communitusque, maxima quæque venturis temporibus præſtabit. Cui tanquam adminicula quædam & inſtrumenta accedunt, tam corporis, quam fortunæ bona pulcherrima, quæ vſque adeo non inuidere illi Superi, vt parens ipſius merito Diuitis cognomento potuiſſet appellari. Habet Sereniſs. eius Celſitudo in ſuo comitatu egregios quoſdam viros, præcipue vero *Ioannem Dzierzekium*, ex nobili & equeſtri familia natum, præfectum aulæ, morumque magiſtrum, & *M. Nicolaum Romanum*, Præceptorem in honeſtis literis, viros Catholiciſſimos, piiſſimosque, quorum conſiliis ſi paruerit, vt paret maxime, opinionem & ſpem de ſe conceptam minime fallet. DEVS Opt. Max. pater Miſericordiarum, tantum Principem, tam bene natum, educatumque, tam pie inſtitutum, clementer protegat, & in Eccleſiæ religionisque Catholicæ & ſubditorum eiuſdem incolumitatem, quam

A. 1580. diutiſſime ſeruet incolumem, & in omne bonum opus adaugeat.

* Sed neque geminos huius anni Illuſtres ac magnificos Rectores præterire nobis licet, *Ferdinandum Khuenium* & *Ioannem Anſteradium*; quippe qui inde ab anno 1578. quo inſcripti ſunt, ita ſeſe probarunt Academiæ, vt concordibus Patrum ſuffragiis, & læto Scholarum applauſu Rectores Vniuerſitatis fuerint electi.

Erat *Khuenius* adoleſcens heroicæ omnino indolis & ſpei optimæ. Parens eius eſt illuſtris & generoſus Dominus *Iacobus Khuen* Baro &c. eques auratus, Salisburgenſis Archiepiſcopatus Camerarius hæreditarius, ſummus Capitaneus & præfectus in Mildorf & Mitterſil &c. habet matrimonio ſibi coniunctam *Eliſabetham*, ex illuſtri Baronum *a Thanhauſen* familia natam, quæ vnicum hunc ex *Iacobo Khuen* Barone &c. ſuperſtitem habet filium; de familia *Thanhauſiorum* vide ſupra (1543.) Claruit *Khuenorum* familia iam multis annis in FERDINANDI primi Imperatoris, & adhuc claret in eiuſdem nepotum aula, & ſi celebritatis haberet parum, vti plurimum ſemper habuit, ſat vno Archiepiſcopo Salisburgenſi, IOANNE IACOBO *Khuen*, noſtri Magnifici Domini Rectoris *Ferdinandi* parentis fratre claruiſſet, de quo totaque familia dicerem plura, niſi res ipſa per ſe loqueretur.

* *Anſteradius* erat Leodienſis Epiſcopi & S. R. E. Cardinalis GERARDI *Græsbeckii* ex ſorore nepos. Adduxerat is ſecum *Ioannem Græsbeckium* Geſnenſem, eiuſdem GERARDI Cardinalis ex fratre nepotem. *Anſteradio* Rectore *Bonhomius* Cardinalis Ingolſtadio Viennam tranſiens, rarum modeſtiæ exemplum præbuit, cum in die Paraſceues, quo B. Virginis Sodalitas piam ſupplicationem circumducebat, priorem locum honoris cauſſa Præfecto ſacri illius cætus perhumaniter detulit, atque re ipſa etiam ceſſit; quod æquum eſſe affirmaret, vt vbi tanta cum religione totum Congregationis corpus in publicum procederet, eiuſdem caput pariter publice conſpicuum procederet.

Ex inſcriptorum numero non pauci occurrunt ſpeciali ad poſteros memoria digni.

I. Dominus *Otho Comes a Mansfeld*, cuius maiores domi forisque, pacis bellique ſtudiis, tamque Eccleſiaſticis, quam politicis dignitatibus claruere. Ipſe vero Comes *Otho* non minorem rerum maximarum ſpem de ſe exhibet, pulcherrimis multarum virtutum ornamentis commendabilis, magni animi heros, & tam eruditione, humanitateque, quam nobilitate & generis

A.
ris ſplendore excellens. Præceptore vtitur *M. Laurentio Finch-* 1580.
tuſio Lipſenſi, viro humaniſſimo, doctiſſimoque.

* II. *Ioachimus Denichius* Bruxellenſis, poſtea I. V. Doctor & Profeſſor, de quo alias his in Annalibus cum laude fiet mentio. III. *Stephanus Nebelmair* Monacenſis, Parochus poſthac Straubinganus, ac denique Suffraganeus Ratisbonenſis. IV. *Melchior Härtl* Allingenſis, qui ingreſſus Societatem IESV, præcipua in eadem munia obiuit, vt Rectoris atque etiam Prouincialis. V. *Georgius Stobæus* Braunsbergenſis Prutenus, SS. Theologiæ Baccalaureus, anno 1585. creatus Epiſcopus Lauantinus.

Ex natione polonica præter eos, qui ad aulam Ducis Slucenſis pertinent, vltra duodenos vnico hoc anno ad Vniuerſitatem noſtram acceſſere; vt adeo vna cum illis, qui ex prioribus annis apud nos reſtiterunt, ad quadraginta cum primi, tum inferioris ordinis nobiles Poloni in Athenæo boico numerati fuerint.

Sereniſſimus Dux noſter GVILIELMVS, quem menſe Auguſto huius anni Ingolſtadium diuertiſſe paulo ante memoraui, cauſſam, quam ſub initium eiuſdem anni ſcripto propoſuerat Vniuerſitati, nunc coram in arce agitari voluit, vocatis in eum finem *Alberto Hungero* Procancellario, *Othone Eiſenreichio* Decano theologicæ Facultatis, & *Caſparo Lago* Iurium Doctore & Profeſſore. De Vſuris, ſeu *Cenſibus*, vt vocant, *Carolinis* erat quæſtio; probarine illorum vſus, an damnari deberet. Cum vero Doctorum Ingolſtadienſium ea ſuper re ſententiæ concordes haud eſſent, atque ipſe Dux GVILIELMVS, qua erat pietate, in rigidiorem potius partem inclinaret, Romam delata eſt cauſſa ad Pontificem; qui animorum tranquillitati conſulturus, peculiarem in curia ſua congreſſum inſtitui, atque ad eundem, *Gregorium* quoque *de Valentia* Ingolſtadio euocari iuſſit. Ventilata eſt quæſtio in vtramque partem magna contentione. Pronuntiatum eſt deniqne iuxta *Gregorium de Valentia*; ſcilicet permitti poſſe *Cenſus Carolinos* abſque piaculo, ſi certi explicatus, conditionesque adiungantur. Rediit *Valentia* ſequenti anno Ingolſtadium.

ANNO DOMINI M D LXXXI.

A.
1581.

Rect. CCIX. BARTHOLOMAEVS SCHOLL, Parochus ad D. Virg. &c.
Rect. CCX. STANISLAVS BARO A RVSOCZICZE in Borislawicze, Dambroua, Cazimierz, Polonus.
Prorect. *Caſparus Francus*, SS. Theol. Doct. &c.
Inſcripti 215.

A.
1581. Nobil. *Ioan. Georg. a Welwart*, Can. Eluacenſ.
Arnolph. a Belfeld, Can. Spirenſ.
Ioan. Caſp. a Neuneckh, Sueuus.
Parauicinus Mazorus, } Vulturienſes.
Fabricius Lauizarius, }
Wunibald. Müller de Zweyraden.
Venturas Fucius, Tiuernas.
Dauid Welſer, Patrit. Auguſt.
Ladislaus, } *Barones a Terringen*, fratres.
Iacobus, }
Balthaſar a Gleinitz.
Ioan. Chriſtoph. a Weſterſtetten, Can. Eichſtad. & Eluacenſ.
Philippus, }
Ioan. Hector, } *a Freyberg.*
Ioan. Volkerus }
Bartholom. Schrenk a Nozingen.
Stanislaus, }
Eraſmus, } *Herborth*, Baro a Fulſthain &c. (*Fulſtin*)
Nicolaus, }
Bernard a Gich, Can. Herbipol. & Bamberg.
Ioan. Chriſtoph. a Rendorf.
Ladislaus, }
Stenko Adelbert. } *Popel a Lobkowitz*, fratres.
Wenceslaus, }
Chriſtoph. Baro Naruſzewicz.
Petrus Lyppensky a Tein.

Nou. Prof. *Robertus Turnerus*, Anglus, Phil. & Theol. Doctor, ac Profeſſor Rhetor. & Moral.
M. Georg. Phederus, S. I. Prof. Matheſ.

* Præ reliquis ad hunc iterum annum memorandi veniunt duo magnifici Vniuerſitatis Rectores; ac primo quidem loco *Bartholomæus Schollius* cuius vitam ac laudes *Engerdus* Acad. Ingolſt. Parte VII. pag. 170. & ſeqq. prolixe deſcribit; eaque narratione operi ſuo colophonem imponit.

Anno Iubilæo 1550. in die S. Magni, 8. Idus Sept. qui tum incidit in Feriam quintam, Ingreſſus eſt in hanc mortalis vitæ lucem *Bartholomæus Scholl*, ex Parentibus *Guilielmo Schollio* &

A.

& *Anna Forſterina*, legitime honeſteque natus, ortu Hohenwar- 1581.
tenſis Bauaricus: Eſt autem Hochowartum locus Bauariæ cele-
bris, qui ab *Auentino* in Annalibus Boiorum lib. 2. *Alta ſpecula* & *Summontorium* vocatur; olim Arx munitiſſima, vnde quam latiſſime quoquoverſum proſpectus patet, ac Principibus ſuis plurimum nobilitata: Hinc enim oriunda eſt Diui *Conradi* Pontificis Conſtantienſis Mater. Nunc vero eſt oppidum, quod Bario amne ad decimum ab Ingolſtadio lapidem alluitur, & Cænobium fæminarum, quod *Ortulphus* Tetrarcha Boiorum locupletiſſimus, & *Wildruda* filii *Rapatonis* & *Hemmæ* (teſte eodem *Auentino* lib. 5. & 7.) ſacratis condidere Virginibus, & in hunc vſque diem Diuorum oſſibus ſacratiſſimum, a frequenti populo ſupplicandi gratia crebro viſitatur. Equidem in ea ſum opinione, locum natalem in multis aliquod ſingulare pietatis atque virtutis indicium prælucere.

Schollius ergo noſter, puer admodum, indole bona præditus, a Patruo ſuo, viro clariſſimo, D. *Hieronymo Schollio* Theologo, liberaliter educabatur, & prima literarum rudimenta fauſte iaciebat Schwatzii, in Comitatu Tyrolenſi, loco propter res metallicas, argentum, æs, nobiles lapides, ac potiſſimum Magnetem & Malachitem, qui ex montibus ibi copioſe effodiuntur, in Germania notiſſimo. Sæpiſſime profecto me ex D. *Schollio*, cuius honeſtiſſimo conuictu vltra biennium, & literata familiaritate vltra decennium libenter vſus ſum, audire memini, ſe mente gratiſſima, quod ad optimarum literarum ſtudia animum adiecerit, & quicquid in iis profecerit, Patruo ſuo debere. Fuit autem *Hieronymus* illius Patruus, vir ſacra liberalique doctrina excultus, Sacerdos optimus, & Concionator diſertiſſimus, qui cum primo ad D. Mauritium Auguſtæ Vindelicorum Canonicus, ac deinde in Kauffpeurn Imperiali ciuitate Eccleſiaſtes multis nominibus eſſet celebratus; illinc a D. FERDINANDO, Romanorum Imperatore pientiſſimo, Schwatzium vocabatur, ibique Parochi atque Concionatoris officium ſumma cum laude, auditorumque fructu vigilanter adminiſtrauit, & ſtipendio & muneribus ex Aula Cæſareæ Maieſtatis digniſſime honoratus.

A. 1581. Sed progredior ad *Bartholomæum* noſtrum: Is, cum Suatzio Oenipontum, vbi Sereniſſimi FERDINANDI Archiducis Auſtriæ &c. Aula eſt & Regia, tanquam ad nobilius literarum Emporium ſe contuliſſet, adoleſcens natus ad annos quatuordecim, & in Collegio Societatis IESV ſtudia Humanitatis vtiliter inchoaſſet; circiter annum 1568. Monacum profectus, in Collegio eiuſdem Societatis diligentem literaturæ politiori operam nauauit, & fructuoſam in ea fecit progreſſionem. Eo autem quadriennio, quo Monaci commorabatur, & ſe & alios ſtudioſe bonas docebat literas: Qui enim alios docet, vt vulgo vereque aiunt, ſe ipſe docet. Vſi ſunt primum fideli eius inſtitutione Nobiles optimæque ſpei adoleſcentuli, *Ioannes Schrenckius*, iam Sereniſſimo Boiorum Duci, GVILIELMO a Conſiliis, & *Chriſtophorus Schrenckius* eidem Principi iam a ſeruitiis; filii ambo Nobilis atque prudentiſſimi Domini *Caſpari Schrenckii* ab Emmating, Patricii Monacenſis, ac tum temporis Sereniſſimo Duci ALBERTO, a Feudorum Præfectura & Conſiliis, viri tum de *Schollio* tum de multis aliis præclare merito; pro eo ſane atque Nobilis & peruetus hæc *Schrenckiorum* familia, pietate, virtute, doctrina & meritis in Rempub. ſemper fuit excellentiſſima, & adhuc inſigniter excellit.

Atque, cum ſingularis *Schollii* fides, induſtria & ſedulitas in diſcipulis informandis, eſſet non paucis Monachii perſpecta; Anno 1568. *D. Hieronymus Nadlerus*, Iurisconſultus excellentiſſimus, Sereniſſimo vtriusque Bauariæ Duci, GVILIELMO a Conſiliis, & inclyti Fœderis Landſpergenſis Cancellarius, &c. ea commendatione, quæ potuit eſſe diligentiſſima, commendauit illum Nobili Magnificoque viro, D. *Wigulæo Hundio* in Sulzenmos & Lending, Iureconſulto exercitatiſſimo, eidem Principi GVILIELMO a ſecretioribus Conſiliis, Aulicique Senatus Præſidi &c. Patrono mihi plurimum colendo; cuius duos filios eximia ſpe animi & virtutis præditos *Wigulæum* & *Ioannem Wilhelmum*, adoleſcentem ſuauiſſimis ornatum moribus, optimis literis *Schollius* per biennium accurate fideliterque imbuit.

Ne vero ſtudiis humanioribus aliquanto longius occuparetur, anno 1570. Ingolſtadium ad celeberrimum optimarum artium domicilium venit, inſcriptus in Academiæ Ma-

A.

Matriculam, 4. Non. Iunii, a Magnifico Rectore D. *Ioanne Lyrefio* Cliuenſi, literaturæ Græcæ Profeſſore, viro optimo atque doctiſſimo, cui & ego duobus poſt menſibus, cum Paſſauia huc me contuleram, 5. Cal. Octob. nomen meum dedi. Hic vltra biennium nos ambo, Philoſophiæ curriculo fæliciter abſoluto, vna cum aliis duodecim Candidatis, pridie Nonar. Octobr. anno 1572. liberalium artium Magiſtri, ac Philoſophiæ Doctores publice ſolenniterque fuimus inaugurati; quemadmodum & ante ſub initio eiusdem anni, Philoſophiæ, & poſt anno 1579. Theol. Baccalaurei vna ſumus creati. Porro Monacum *Schollio* reuerſo Magnificus D. *Hundius* filios ſuos eoſdem, quos ſupra nominaui, in fidem & diſciplinam rurſus commiſit, quos cum per alios integros annos (*duos*) non minus fideliter atque antea ingenuis artibus informaſſet, anno 1574. menſe ſextili, ad noſtras Athenas rediit, & ſacris ſe totum literis conſecrauit: anno enim ſequenti Iubilæo Sacerdos Eyſtadii rite ordinatus, feria ſecunda Paſchatis in æde D. Mauritii ſacrorum Primitias celebrauit. 1581.

Poſtquam vero *Schollius* noſter per integrum fere annum diligenti Cooperatoris officio ad S. Mauritium perfunctus eſſet, eodem adhuc anno Iubilæo ad Parochiam in Hoſpitali, ob egregias ſuas virtutes & doctrinam, facile eſt promotus: Quam ſpartam ille tam laudabiliter exornauit, vt anno 1578. 11. Calend. Iun. ad auguſtiſſimam Chriſtianæ Virginis ædem Parochus & Eccleſiaſtes Academicus legitime confirmaretur; vir præter ætatem maturus & grauis, magnæ prudentiæ, humanitatis, & in dicendo facundiæ, & in concionando eruditionis.

Verum enimuero, vt publicum aliquod eruditionis ſpecimen Parochus noſter ederet, anno 1579. 3. Non. Iunii difficillimas de Sacroſanctæ Miſſæ ſacrificio Theſes ipſe vna cum Reuerendis atque doctiſſimis viris, D. *Ioanne Diethmaro*, Monaſterii Fürſtenfeldenſis, ordinis Ciſtercienſis Profeſſo, iam SS. Theologiæ Licentiato; Et D *Sebaſtiano Pollingero* ad ſplendidas expectato conditiones, erudite propugnauit, & ſimul cum iiſdem Theologiæ Baccalaureus Formatus factus eſt.

Proinde, cum Senatus Academicus ſingularem morum & iudicii grauitatem in hoc viro vbertim cognoſceret; Anno

1580.

A. 1581. 1580. in feſto S. Lucæ, Generoſo Iuueni, Domino *Ioanni*, Domino in Anſtenræd, Geleein, & Baronatus Eyſden, Fulckenburgenſi, Rectori Magnifico, Prorectorem ſapienter adiunxit; & anno hoc currente 1581. in feſto S. Georgii Rectorem digniſſimum vnanimi conſenſu elegit. Tam amplas vero & præclaras laudes, ex vtraque adminiſtratione, ob raram & prudentiæ & iudicii ſui maturitatem, fortunate proſpereque reportauit, vt in graui Prorectoratus officio, a Reuerendiſſimo, Sereniſſimoque Boiorum Duce, ERNESTO, Leodienſi, Hildesheimenſi ac Friſingenſi Epiſcopo Ampliſſimo &c. Suffraganeus Friſingenſis, & Concionator Eccleſiæ Cathedralis deſignaretur; & SS. Theologiæ Licentiatus a Reuerendo Collegio Theologico merito crearetur.

Faxit ille cælum atque terras tuens & regens Deus, vt *Bartholomæus Schollius* noſter (qui iam a S. D. N. GREGORIO Papa XIII. confirmatus eſt Epiſcopus Darienſis, & Suffraganeus Friſingenſis, quamprimum rite conſecrandus) tantæ dignitati tantoque muneri laudatiſſimo præſit, vitam longiſſimam eamque ſaluam & nullis afflictam moribus ducat, & denique vita fruatur ſempiterna; quam, vt vna cum S. Cælitibus idem DEVS Opt. Max. & mihi, & omnibus Catholicæ Romanæque Eccleſiæ membris fidelibus clementiſſime donet, omni animi ſubiectione ac veneratione, ad extremum vſque vitæ ſpiritum precari non deſiſtam: Summæ Dei Trini & Vnius Maieſtati ſit laus, honor, gloria & gratiarum actio in ſecula ſeculorum, Amen. Fiat, fiat.

* His verbis concludit *Engerdus* Tomum I. Acad. Ingolſt. quem hoc ipſo anno 1581. in lucem edidit. Superſunt tamen nonnulla ex eius libro, vt de *Andrea Fabricio* Franciſcano, quæ paulo poſt; & de *Alberto Hungero*, ac *Gregorio de Valentia*, quæ ſuo tempore referemus; prout ſcilicet rerum ordo poſtulabit.

* Rector hyemalis Illuſtris ac Magnificus D. *Stanislaus Baro in Ruſoczicze* &c. cum ante finitum Rectoratus ſemeſtre, ſuorum voluntate in Italiam abire iuberetur, Magiſtratum academicum in pleno Patrum Senatu depoſuit; *Caſparo* autem *Franco* Prorectori onus regendæ Academiæ iniunctum eſt ad ordinarium vſque electionis tempus.

* Ex inſcriptis memoriam noſtram præcipue merentur I. *Ioannes Chriſtophorus a Weſterſtetten* Canonicus Eichſtadianus & Eluacenſis, ac ſummus poſtea vtriuſque huius Eccleſiæ Præpoſitus; & tandem anno

A. 1581.

no 1612. Epiſcopus Eichſtettenſis. Plura de eodem ad annum 1637. quo vita functus eſt. II. *Ioannes Benedictus* Abbas Benedictoburanus, qui cum ab omnibus totius Bauariæ Abbatibus Ordinis Benedicti electus fuiſſet, vt omnium nomine ageret cum Sereniſs. Duce eiusque Conſiliariis in negotio Seminarii, pro Religioſis iunioribus ad ſtudia mittendis, Ingolſtadii erigendi, hoc anno ad Academiam noſtram inuiſiſſe, eique ſuum nomen honoris cauſſa dediſſe videtur. *Vid. Annal. Acad. P. IV. Num. LVI. pag.* 356. III. *M. Leonardus Zindecker*, poſtea Iurium Doctor & Profeſſor, Aſſeſſor Spirenſis Cameræ, ac tandem Cancellarius Landishutanus. IV. *M. Caſpar. Torrentinus* Mindelaltheimenſis Sueuus, primum *Antonii Welſeri* Præceptor, ac eius itinerum per Galliam ac Italiam ſocius & moderator; dein I. V. Doctor & deſignatus SS. Canonum Profeſſor Ingolſtadii; poſt Theologiæ Licentiatus & Eccleſiæ Friſingenſis Canonicus; demum anno 1588. Ieſuita, & Sereniſs. Bauariæ Duci GVILIELMO a ſacris confeſſionibus. V. *Hieronymus Auerbachius*, I. V. Doctor, Conſiliarius Ducalis aulicus, & Friſingenſis Cancellarius. VI. *Ioannes Hackerus* Ehingenſis, poſtea SS. Theologiæ Doctor & Profeſſor Friburgi.

* VII. *Gotfridus Fabricius* Ord. S. Franc. Alumnus, de quo die 21. Iunii h. a. venerunt ad Academiam literæ Sereniſs. Ducis GVILIELMI, vt publice theologicas haberet lectiones. Iuuat virum hunc ſingularem ex *Engerdo*, pag. 166. b. penitius noſſe.

Quanquam ſane plurima de hoc viro omni laude cumulato prolixe dici poſſint; ne tamen etiamnum hac vita commorantem nimis, quaſi in os laudare videar, breuiter ſaltem laboriosum illius vitæ curriculum hic percenſebo.

Gotfridus Fabricius Leodii Eburonum, Nobili populoſaque Germaniæ vrbe, cum aliis laudibus multis illuſtri, tum vero iam etiam Rmi. Smique Præſulis ERNESTI, Comitis Palatini Rheni, & vtriuſque Bauariæ Ducis præſentia ac dominatione percelebri, honeſto loco inter ſuos, in menſe Octobr. anno 1520. natus fuit. Puer admodum, cum vix annos ſex natus eſſet, auunculorum maioris ac minoris, quorum vterque nominabatur *Gotfridus Fabricius*, & Leodii amplo S. Pauli Canonicatu fruebantur, viri præclara eruditione atque doctrina ornati, ſtudio & diligentia literas diſcere cæpit: Auunculus enim maior illum adoptauit (quemadmodum etiam Summus Pontifex, PIVS Secundus, antea *Aeneas Siluius Picolhominius* Senenſis vocatus, PAVLVM Secundum, EVGENII Quarti ex ſorore nepotem) ac *Fabricius* cognomen im-

A.
1581. poſuit illi, qui *Matius* a Patre alioqui vocaretur. Neque vero vel id ætatis, propter ſummam ingenii docilitatem, immaturum cenſebat, qui & primis literarum rudimentis & paulatim politioribus diſciplinis animum excoleret. Celeriter vero omnibus artibus, quibus puerilis ætas imbui ſolet, ita profecit, apud inſtituti Hieronymiani Societatem, quæ ea tempeſtate percelebris erat, vt æquales ſuos omnes doctrinæ laude longe præſtaret; ex his autem generoſiſſimum quemque imitandi cupiditate incenderet. Ineunte ætate, cum in Patria Latinis & Græcis literis eſſet excultus, Louanium ad celeberrimum optimarum diſciplinarum domicilium, benignitate Auunculi maioris vel potius Parentis miſſus eſt, vbi cum earum rerum cognoſcendarum magno ſtudio teneretur, quæ a Philoſophis tractantur, breui temporis ſpatio tantum in illis ſtudiis profecit, vt adoleſcens nondum egreſſus decimum ſeptimum ætatis annum Philoſophiæ Magiſter, magna cum admiratione Præceptorum, crearetur.

Vſus eſt Præceptoribus longe clariſſimis, atque eruditiſſimis, trilinguis Collegii Buslidiani Profeſſoribus celeberrimis; in lingua Latina *Conrado Coclenio*, qui Scholia in Officia Ciceronis, & alia in lucem edidit; in Græca *Rutgero Reſcio*; in Hebræa *Andrea Baleno*; in Oratoriis literis *Hadriano Barlando*, plurimis ſcriptis celeberrimo; in Philoſophia florentibus Ampliſſimis Epiſcopis, doctiſſimisque viris, *Franciſco Sonnio*, *Cornelio Ianſenio*, & *Iudoco Rauenſtein a Tileto*.

Ne vero talium rerum ſtudium eum longius a ſeueris diſciplinis abduceret, Ius ciuile diſcendum ſibi propoſuit, & paucis annis in eo ſtudio conſumptis, vtriuſque Iuris inſignia facile eſt promeritus. Atqui vſus eſt Præceptoribus præter alios *Gabriele Mudæo*, viro eloquentiſſimo, *Ioanne Hajio* & *Dominico Teneramundano*, celebribus Iuris interpretibus.

Neque vero hoc non in magna illius laude ponendum exiſtimo, quod Louanii non linguas modo ac Philoſophiam, verum etiam Ius publice docuerit, & nihilominus interea, cum ingenio acri & vehementi præditus eſſet, in quamcunque partem ſe dediſſet, atque omnium diſciplinarum & linguarum capaci, priuato ſtudio mirificam in ſacris literis fecerit progreſſionem.

An-

A.

Anno igitur 1545. cum ingenti Chriſtianæ pietatis amore flagraret, Louanii in Diui Franciſci familiam voluit adoptari, ſacræque Theologiæ tanto ſtudio tantisque ingenii viribus incubuit, vt ab eo tempore vſque ad annum 1566. & Mechliniæ & Louanii ſacras literas eximia cum laude fit profeſſus. 1581.

Id temporis Louanii ad ſummum decus feliciter euecta erant ſtudia literarum ſacrarum, fundato iam inſigni illo Pontificio ad ſacra percolenda ſtudia Collegio a Pont. Max. HADRIANO Sexto, Imperatoris CAROLI Quinti Præceptore exquiſitiſſimo; vnde tanquam ex equo Troiano prodiere *Ioannes Triedo* a Turnhout, *Iacobus Latomus* & *Ruardus Tapperus* ab Enchuſia, Cancellarius; a quibus inſigniter excultus eſt *Ioannes Haſſelius*, qui diem clauſit extremum in Concilio Tridentino, & *Iudocus Tiletanus*: Quibus operam ſtudioſiſſimi diſcipuli nauauit *Gotfridus* noſter: Adiunctis nihiloſecius Epiſcopis Gandauenſi; *Cornelio Ianſenio*, Ruremundenſi, *Guilielmo Lindano*, & *Auguſtino Hunnæo*. Quorum omnium Theologiæ Doctorum longe clariſſima extant librorum monumenta.

Cum vero anno Domini 1566. tumultus maximis turbinibus ac fluctibus Reipub. in Belgio cæpiſſent moueri, & Religionibus conſecrati homines atque Theologi vix vſquam periculo eſſent vacui; Pater *Gotfridus*, tam difficili rerum tempeſtati cedens, non ſolum Complutenſem, ſed & alias Hiſpaniæ, & in reditu Galliæ Academias ſedulo perluſtrauit.

In quot autem & quanta pericula ad hoc vſque tempus Senex inciderit, memorandum hoc temporis nihil eſt. Aeſtimare vero licebit ex tot ipſius diſcipulis & fratribus, qui pro Religione Catholica fortiſſime conſtantiſſimeque mortem oppetierunt. Vt nihil dicatur de tot librorum omnis generis incredibili iactura.

His ergo periculorum turbinibus huc illuc exagitatus, Hiſpaniam, Galliam, Germaniam, Italiam eſt emenſus, & bis inuiſit Vrbem Romam. A Miniſtro denique generali Oenipontum ad Sereniſſimum Archiducem Auſtriæ, FERDINANDVM miſſus, illinc præcipua fratris ſui germani, *Andreæ Fabricii*, Doctoris Theologi, opera & inſtigatione Monacum a Sereniſſimo Boiorum Duce, GVILIELMO, benigne eſt vocatus, vt in hac alma

A.
1581. Ingolſtadienſi Academia ſacras publice doceret literas, vbi iam SS. Apoſtolorum Acta docte fructuoſeque dilucidat.

Sed proh dolor, quemadmodum omnia in hoc exiguo vitæ curriculo ſunt fluxa & caduca, *Gotfridus* noſter ſæpius deſiderata optataque chariſſimi fratris *Andreæ* conſuetudine atque familiaritate diu frui non potuit: Huius enim ipſius anni proximo vere vitam cum morte pie tranquilleque commutauit *Andreas* ille *Fabricius*, Doctor Theologus, & vir omni pietate, virtute doctrinaque excellentiſſimus, cùius manibus bene feliciterque precamur: Is, cum a *Gotfrido* noſtro aliisque Præceptoribus eruditiſſimis & Philoſophiam & Theologiam accurate didiciſſet, ac Religionis ergo Vrbem inuiſere apud animum propoſuiſſet, ab Illuſtriſſimo Principe, Auguſtano Cardinale OTHONE, benigniſſimo literarum Patrono, Cardinali Alexandrino; ab Alexandrino, Summo Pontifici PIO Quinto; a Summo Pontifice, Catholico Boiorum Duci, ALBERTO diligentiſſime commendatus; ab ALBERTO denique ERNESTI filii moderator conſtitutus, Sereniſſimæ Celſitudinis eius & Conſiliarium, & per ſexennium Romæ Oratorem fideliſſime dexterrimeque peregit.

Quam mirifica vero eruditione *Andreas* fuerit præditus, & quam præclare de Catholica Eccleſia promereri ſemper ſtuduerit; tum ex multis inſignibus ipſius laboribus, tum vel maxime ex doctiſſimis eius libris perſpicue licet videre; Collegit enim *Harmoniam Confeſſionis Auguſtanæ*, adiectis CAROLI V. Cæſaris potentiſſimorumque Principum & doctiſſimorum hominum de ea iudiciis, eamque Coloniæ, anno 1573. typis euulgauit; item anno 1569. *Iephte*, *Tragœdiam nouam* ex ſacra Iudicum Hiſtoria deſumptam; item Antuerpiæ anno Domini 1572. *Quæſtiones & Annotatiunculas in Catechiſmum Romanum* ex decreto Concilii Tridentini editum: Quin etiam, cum lecto affixus extreme decumberet, ac pene iam deſperata valetudine affligeretur; nihilominus elegantes verſiculos meditabatur, & pulcherrimam Tragœdiam, cui Titulus eſt *Roboam Rebellans*, conſcribebat, quam Deo volente breui, vt ſpero, in lucem editam legemus.

Atqui Sereniſſimus Bauariæ Dux ALBERTVS, præclara ſempiternaque memoria digniſſimus, non tantum magnis honoribus *Andream* illum liberaliter affecit; ſed & ampliſſima Eccleſiæ Col-

A. 1581.

Collegiatæ Præpoſitura apud veterem Oetingam (vbi vetuſtiſſimum, ſanctiſſimum atque miraculis innumerabilibus longe clariſſimum beatæ Mariæ Virginis Sacellum ſacris peregrinationibus frequentiſſime inuiſitur) munifice donauit.

Hæc ſtrictim de *Gotfrido* noſtro percurrere volui, qui annis & meritis in Catholicam Religionem, Rempublicam literariam, & familiam S. Franciſci grauiſſimus, non ſolum per totum vitæ ſpatium maximis perfunctus eſt laboribus, vt, qui & Leodii & aliis in locis, Latine, Gallice, Belgiceque fuerit concionatus; verum etiam peregrinando, legendo, docendo, ſcribendoque plurimos ſuſtinuit labores, & adhuc in ſenectute ingraueſcente non ceſſat ſuſtinere: Deus remunerator omnium bonorum largiſſimus, optimo *Gotfrido*, poſt hanc vitam mortalem, immortalem futuræ vitæ coronam miſericorditer largiri dignetur, *Amen.*

* VIII. *Robertus Turnerus*, Deuonſchirenſis Anglus, SS. Theol. Doctor. Reliquit is patriam regnante ELISABETHA Regina, pro Religione ſcilicet catholica iam duodecimum in annum ſpontaneus exul. Peragrata Gallia atque Italia, vbi ſacerdotio & Doctoratu theologico inſignitus eſt, in Germaniam delatus, primum Collegii Wilibaldini Præſes Eichſtadii conſtituitur. Inde Rhetorices atque Ethices Profeſſor Ingolſtadium vocatur. Qua laude vir in omni ſcientiarum genere præſtantiſſimus apud nos verſatus fuerit, inferius notabitur.

* In Parochia academica *Bartholomæo Schollio* ſubſtitutus eſt *Sebaſtianus Pollingerus.*

A. 1582.

ANNO DOMINI M D LXXXII.

Rect. CCXI. CASPARVS FRANCVS, SS. Theol. Doct. &c. III.
Rect. CCXII. VITVS SCHOBERVS, Ingolſtadienſis, I. V. Doctor, & Inſtt. Prof. extraord.

Inſcripti 215.
Nobil. *Philipp. a Rodtenſtein*, Can. Spirenſ. & Wormatienſ.
Conſtantin., *Troianus*, *Matthias* } *Barones Fuggeri*, Ioan. Iacobi filii.

A. 1582.

Ioan. Georg. } *Weſtawer*, fratres.
Ioan Ioachim. }
Matthæus Ehem, Patrit. Auguſt.
Engelbert. Theodoric. Baro a Wolkenſtein.
Ioan. Bapt. } *Baroues a Schneberg.*
Ferdinand. }
Henric. Abraham. ab Einſidel.
Hardouicus a Daſſel, Saxo.
Carol. Gaudent. Baro a Madrutz, renou.
Anton. Stromaier, Can. Viennenſ. & Wratislau.
Carolus, } *Roth*, Patrit. Auguſt. Fratres.
Hugo Ant. }
Erneſtus } *Raming* a Seeholzen.
Albertus }
Burkhard. ab Herzperg, Sueuus.
Chriſtoph. Frideric. a Berfaldt, Allmongouius. (*Perfall*)
Ioannes Liechtenauer, I. V. Doct. *renou.*
Wolfg. Adam. Schetzel ab Hermanſperg & Thurma, Patauienſ.
Eraſmus Herwart, Patrit. Auguſt.
Franc. Iacob. de Flade, ex Archiepiſcop. Treuir.
Erneſtus Donner a Truppach, Flander.
Ioan. Iacob. Liechtenauer.
Carol. Villinger Baro a Schoneberg.
Ottho Forſtenhauſer.
Iuſtus a Schaumburg, Saxo.
Ioan. Melch. } *Illſung*, Patrit. Auguſt.
Chriſtophor. }

Nou. Prof. *Matthias Mayrhofer*, S. I. SS. Theol. Licent. & Prof.
Vitus Schober, Ingolſtad. I. V. Doct. & Inſtt. Prof. extraord.

Ex inſcriptis, præter memoratos nobiles Academiæ alumnos, commendari poſteris meretur *Sebaſtianus Dietrich*, Winshemius Würtenbergenſis, I. V. Doctor & Collegii Georgiani poſtea Regens, ac denique Societatis IESV Religioſus.

Venit hoc anno Ingolſtadium MATTHIAS Archidux Cæſaris Frater, ex Comitiis Auguſtanis redux, ſecundo Danubio Vi-

A.
Viennam deſcenſurus. Exhibuit Academia omnes, quos tanto 1582.
Hoſpiti debebat, honores; quos ille ſingulari ſua clementia, pene dixerim familiaritate, abunde compenſauit. Perluſtrauit omnia viſu apud nos digna, ac præcipue nouum Pædagogium & Albertinum Collegium, quod Sereniſſimi Ducis GVILIELMI munificentia amplum & magnificum tunc exſtruebatur.

In Facultate theologica Martio menſe mutatio quædam accidit; deceſſit enim e cathedra theologica *Otho Eiſenreichius* Collegii Albertini Regens, & ſucceſſorem nactus eſt *Matthiam Mayerhoferum* Philoſophiæ hactenus, nunc Theologiæ Profeſſorem & Licentiatum, quo gradu honoris nuper ab *Alberto Hungero* Procancellario fuerat ornatus. Abiit *Eiſenreichius* Monachium, Collegii Societatis Ieſu ibi Rector futurus. Hoc de viro *Ioannes Engerdus* Acad. Ingolſt. P. VII. pag 159. b. ſequentia adnotauit:

„ *P. Otho Eiſenreich*, SS. Theol. Licentiatus, qui anno
„ 1565. 9. Cal. Sept. a Reuerendo viro D. *Chriſtiano Krippero* in-
„ ſcriptus eſt Matriculæ Vniuerſitatis hoc nomine, *Otho Eiſen-*
„ *reich de Weilbach Nobilis*; Nunc vero Pater eſt Societatis IESV,
„ Theologus, ac Theologiæ Profeſſor in hunc vſque diem or-
„ dinarius, qui per aliquot annos Pædagogii Ingolſtadiani Præ-
„ fectum, & Regentem Albertini Collegii vigilantiſſimum egit.

„ Ex hoc certe, tanquam ex illuſtri ſpeculo, vera elu-
„ cet nobilitas, dum claritatem generis excellentia pietatis,
„ virtutis atque eruditionis excelſe ſuperat: Quemadmodum &
„ frater eius, Reuerendus in Chriſto Pater ac Dominus, D.
„ *Albertus Eiſenreich*, Præpoſitus Vndenſtorfenſis, vir omnino
„ eſt induſtrius, literarum amantiſſimus, præterque opinionem
„ doctior, & pene, quod admiratione dignum, ἀυτοδίδακτος:
„ Non enim illi (pace tanti optimarum diſciplinarum Patroni
„ dixerim) quod aliis multis contigit, iuuentutem in literis &
„ inter literatos conſumere: Inſcriptus eſt tamen iam tum De-
„ canus digniſſimus Albo Studioſorum, anno 1571. 5. Cal. Quin-
„ til. ſub Rectoratu D. *Iacobi Feuchtii* Theologi, & poſtea Suffra-
„ ganei Bambergenſis.

„ Hæc eo libentius atque copioſius ſcribo, vt Nobili ge-
„ nere nati adoleſcentes magis magisque ad virtutem & doctri-

nam

A. 1582. „ nam capeſſendam excitentur, & illorum, quos dixi exempla „ ſtudioſe cupideque ſequantur.

Alii duo Doctores Theologi ad tempus Auguſtam Vindelicorum euocati fuere, *Gregorius* ſcilicet *de Valentia* & *Paulus Vizanus*; ille vt apud Cardinalem *Madruzium* latine, hic vt coram Italis, maiori numero ob Imperii Comitia Auguſtæ præſentibus, italice concionaretur.

Hoc denique anno *Caſpar Eiſengreinius*, quem hactenus nulla *Martini* atque *Ioannis* fratrum germanorum exempla, nulla eorundem monita a *Luthero* abſtrahere poterant, Eccleſiæ Romanæ ſe adiunxit, atque eius obedientem filium ſe poſthac futurum publica profeſſione iurauit. Quod etſi Dilingæ factum fuerit, ad honorandos tamen *Martini* noſtri *Eiſengreinii* manes his in Annalibus enarrare non dubitaui.

A. 1583.

ANNO DOMINI M D LXXXIII.

Rect. CCXIII. ANGELVS GAVDENTIVS BARO A MADRVTZ, Dominus in Aui & Brentoni &c.

Prorect. *Vitus Schober* I. V. Doct. &c.

Rect. CCXIV. GVILIELMVS EVERHARDVS, I. V. Doct. & Prof. Conſiliarius Ducalis.

Inſcripti 216.

Nobil. *Guntherus Ferdinand. a Freiberg.*
Chriſtoph a Götzengrien.
Sebaſt. Schenk a Stauffenberg, renou.
Wilhelm. Comes ab Oettingen.
Ottho Henric. Baro in Graueneck.
Ioannes a Molart, Baro in Reinegg & Droſendorf, Auſtriac.
Ioan. Thomas de Pirring.
Ioan. Conrad. a Bodmann, Sueuus.
Hortenſius Locatellus, Foroiulienſ.
Ioan. Iacob ab Haideck.
Ioan. Adam. de Rorbach.

Ioan.

A.

Ioan. Iacob. Söll ab Aichberg, Tirol. 1583.
Hermannus a Goire Baro in Paiſch, Dominus in Villi-
or, Bruin & Andremont.
Theodor. a Berge, Can. Hildeshem.
Wilhelm ab Vtenhaim de Ramſtain.
Ioannes Herbort de Fulſtain in Priedzelow &c.
Chriſtoph. Hartnaid ab Haunſperg.
Adam. Rembold, Patrit. Auguſt.
Adam. Harandt, a Polſitz, Bohem.
Stanislaus Klinsky, *Ioannes Sernii*, } Poloni.
Ioan. Felix Herbort de Fulſtain &c.
Ioan. Rudolph. Vogt de Sumeraw a Praſsberg, Can. Eichſtettenſ.
Ioan. Vrban. Stinglhamer in Thurnthening.
Georg. Roth de Schreckenſtain, Sueuus.
Gerhard Fuxius, Weſtphal.
Bernard. Schenk a Stauffenberg, Dominus in Amertingen & Zirthaim.
Wildhans a Neuneck, Sueuus.
Conrad. a Rechperg, Sueuus.
Abraham. Guetratter in Buechſtain.
Herdanus Erneſt. a Worbis.
Henric. Rutenus, Baro a Blawen, Dominus in Greiz, Kranichfeld, Sleiz & Löwenſtein.
Guinterus a Binaw in Eſterberg.
Non. Prof. *Guilielmus Everhardus*, Iurium Doct. & Prof. Conſiliar. Ducal.
Andreas Syluius, Herbipolenſ. S. I. Philoſ. Prof,

Angelus Gaudentius Baro a Madrutz, cum ſuperiori anno, poſt expletum in Academia noſtra quinquennium, de nouo nomen ſuum Albo Vniuerſitatis inſcripſiſſet, in verna huius anni electione Rector honorarius ſalutatus eſt. Floret *Madrutziorum* familia apud Atheſinos, numeratque viros complures eccleſiaſticis dignitatibus inſignes, & rei militaris ſcientia claros.

Inter inſcriptos hoc anno fuere nonnulli, qui præcipuam quandam nominis celebritatem aut ſecum ad nos attulerunt,

A.
1583. aut posthac consecuti sunt. I. *Ioannes* & *Felix Herborti de Fuistain*, seu *Fulstin*, ille *Nicolai*, Camerarii terræ Hallicienſis, hic *Ioannis* Castellani Sanacensis & Capitanei Præmislienſis filius. II. *Conradus a Rechberg*, nobilis Sueuus, postea Baro & Comes, ac Summus Bauariæ Præfectus. III. *Henricus Rutenus* (Reuss) medius natu, Baro de Blauen, ex illustrissima ac potentissima hodie *Comitum de Reuss* familia. IV. *Christophorus Gewoldus* Iurium studiosus, patria Ambergensis Palatinus, vt in matricula academica distincte notatur. Quod ipse in dedicatione Partis III. Metropolis Salisburgensis *Ostrofrancum* se appellet, videtur ex æui illius consuetudine feciſſe, cum & *Gaspar Scioppius*, quem omnes Nouoforensem Palatinum dicunt, *Francum* se scribat. Fuit vero *Gewoldus* Sereniſſimi postea Bauariæ Ducis Consiliarius, Archivarius, atque intimus Secretarius; quem tanto lubentius hic refero, quo illustriora eius sunt merita, cum erga communem patriam, tum erga publicam rem literariam. Vid. an. 1621. quo apud nos obiit. V. *Marquardus Haubensteinius* Bruxellensis, & ipse Iurium studiosus, qui postea I. V. Doctor, & Episcopi primum Augustani, deinde Spirensis Consiliarius intimus, ac Vicecancellarius factus est.

Facultas etiam Medica duos accepit insignes alumnos, *Edmundum Hollyngum* Eboracensem Anglum, & *Albertum Menzelium*, *Philippi* filium, ambos postea Medicinæ Doctores, & in hac Vniuersitate Professores, de quibus suo tempore.

Dedit Academia nostra eodem anno Ordini Iesuitarum egregium Tyronem *Georgium Mayerum*, gente Boium, domo Rhainensem, iam tum trium, præter vernaculam, linguarum peritum, Romanæ scilicet, Græcæ & Hebraicæ; quarum specimina prorsus præclara exhibuit in Opusculis græcis ac hebraicis a se editis. Cum sacrum nouæ Legis Instrumentum ex latino hebraicum feciſſet, eius recognoscendi causſa Romam profectus, ibidem anno 1623. viuendi finem fecit.

Denique prætermittendus haud est, qui ad diem 13. Decembris h. a. albo academico inscriptus legitur, *Iacobus Middendorpius*, *famulus Dni. a Worbis* Nobilis Saxonis ac Legum studiosi. Addidit in margine matriculæ academicæ posterior quædam manus ad nomen *Middendorpii* hæc verba; *I. V. D. SS. Theol. Lctus. Acade.*

A. 1583.

Acadæ. Colon. Procancellarius, ibidemque in Metropol. Ecclia. Canonicus Presbyter, St. Andreæ Decanus, Vir celeberrimus. Subiunxit ſcriptor literas nominis ſui initiales: *I. D. P.* quæ neſcio, an *Ioachimum Denichium Prof.* an vero *Iurium Doctorem Prugglacherum* ſignificent. Sed quisquis ille ſit, non potuit ab ætate *Middendorpii* multum abeſſe, quem lego anno 1611. e viuis emigraſſe; errare igitur ille vix potuit in nomine aut perſona *Middendorpii.* Hunc vero iam tum dignitatibus illuſtrem, iam ſcriptis libris clarum (edidit enim anno 1567. *Academias Vniuerſi Orbis*; anno 1570. *Officia ſcholaſtica*; anno 1578. *Hiſtoriam Ariſtææ*; & hoc anno 1583. alteris typis *Academias Vniuerſi Orbis*) cur ad Scholam noſtram acceſſiſſe, cur in *D. Worbiſii* famulatu vixiſſe dicamus? Ego, ſi coniecturæ detur locus, crediderim *Middendorpium* ad vitandos bellicos tumultus, quibus ipſo hoc anno Colonienſis ager ob nefaſtas GEBHARDI Archiepiſcopi cum *Agnete Mansfeldia* nuptias inuoluebatur, ad tempus Ingolſtadium ſecedere, & in familia potius quam famulatu *Worbiſii*, tanquam priuatum & incognitum, docto ibidem vacare otio voluiſſe.

Inita ſunt hoc anno Concordata inter Sereniſſimum Bauariæ Ducem & vicinos Epiſcopos, in quorum Diœceſes Bauaria excurrit; atque illis inuenio noſtrum Iurium Doctorem *Caſparum Lagum* nomine & auctoritate Sereniſs. Ducis noſtri ſexto loco ſubſcripſiſſe.

ANNO DOMINI M D LXXXIV.

A. 1584.

Rect, CCXV. LADISLAVS L. B. DE TOERRING, in Stein & Pertenſtein &c.

Prorect. *Sebaſtianus Helmarus*, I. V. Doctor, Feudorum & Dialectices Profeſſor.

Rect. CCXVI. ROBERTVS TVRNERVS, SS. Theol. Doct. & Prof. Colleg Georg. Regens.

Inſcripti 176.

Nobil. *Maximilian.* *Ioan. Iacob.* } *Schenk a Stauffenberg.*

A.
1584. *Euerhardus a Freyberg.*
Adam a Falkenberg.
Otho de Riedheim, Can. Eichſtad. & Auguſt.
Rabanus a Liebenſtein.
Wilhelm a Wernau, Can. Eluacenſ.
Ioan Conrad. a Vhorburg.
Hieronym. Stor, Sueuus.
Georg. Werner, de & in Rabenſtein.
Caſp. Conrad. de Guttenberg, Can Herbipol. & Eichſtad.
Ioan. Keck a Schwarzbach, Pragenſ.
Henric. Elſenhamer, ſupremi Cancellarii Bauar. filius.
Ioan. Hartenrod, Nobil. & Patrit. Colonienſ.
Andreas Baro a Rosczielecz, Abbas Bleczewienſis, Epiſcopi Poſnauienſis Coadiutor.
Victorinus Sienienski, Baro a Sienno.
Hieronymus Im Hoff, Patrit. Auguſt.
Daniel } *de Schietere*, Flandri.
Ioannes }
Victor Auguſtus a Trenbach, Bauar.
Ioan. Iacob. a Prasberg, Sueuus.
12. Nobiles Poloni.

Nou. Prof. *Petrus Steuartius*, Leodienſ. SS. Theol. Doct. & S. Script. Prof.
Paulus Vizanus S. I. SS. Theol. Doct. & Prof.

Nou. Doct. *Petrus Steuartius*, vt ſupra.

Die 12. menſis Martii obiit *Caſparus Francus* Art. & SS. Theol. Doct. ac Prof. ad D. Mauritium Parochus; cuius vitæ hiſtoriam ad annum vſque 1581. *Ioannes Engerdus*, teſtis coæuus Acad. Ingolſt. P. VIII. pag. 143. b. & ſeqq. his verbis deſcripſit:

„ Etſi ſane quam plurima de præclaris virtutibus atque „ egregiis *D. Caſpari Franci*, Doctoris Theologi, laboribus com- „ memorari poſſint: Veruntamen, cum de viro clariſſimo, eti- „ amnum in hac vita commoranti, mihi ſit dicendum, ne ali- „ quid auribus dare videar, neu in aſſentationis ſuſpicionem „ fortaſſe veniam; ea tantum breuiter hic ſcribenda exiſtimo, „ quæ publice patent, & nota fere ſunt omnibus.

„ Na-

A. 1584.

„ Natus eſt igitur *Caſpar Frank* 4. Non. Nouemb. in Feſto omnium Animarum, Anno 1543. in ciuitate Miſniæ Ortrandt, (vbi Parens eius Ludimoderatorem agebat) atque a teneris, (vt Græci dicunt) vnguiculis inter Lutheranos educatus, cum lacte hæreſim ſuxit: Ideoque non, vt *Arrius*, *Macedonius*, *Neſtorius* & alia Blaſphemorum turba, ex animo damnatam viam elegerat, ſed peccauerat ſeductus, & vt *Paulus*, ignoranter Eccleſiam Dei & Romanam primamque ſedem perſecutus erat, omnino exiſtimans bene ſe agere, & recta ſe incedere via; neque vero ſuæ mentis aliud erat obiectum, quam publica vtilitas & amor veri: Quare ſingulari Dei diſpenſatione, qui dedit velle & perficere, anno 1566. Ingolſtadium, iam tum Philoſophiæ Magiſter, venit, & aliquandiu in ædibus *D. Eiſengreinii* commoratus, ac ſanctiſſimis Religionis Catholicæ myſteriis, tum diligenti & aſſidua SS. Eccleſiæ Patrum lectione, tum frequentibus Theologorum colloquiis imbutus, errores agnitos vltro abiecit, atque immenſa Dei ſolius benignitate ad fidem & vnitatem ſanctæ Romanæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, exemplo D. Auguſtini, Catholicæ Religionis Propugnatoris acerrimi & ſanctiſſimi, totum ſe contulit; ea animi ſynceritate atque fortitudine, vt contemptis paternis minis, & quæ ab Hæreticis imminebant periculis, ore ſe calamoque opponeret hæreſibus, & omne potius capitis fortunæque diſcrimen ſubire vellet, quam extra dulciſſimum Eccleſiæ Catholicæ gremium errare.

„ Ingolſtadii igitur in matriculam Academiæ, Rectore *Raphaele Ninguarda*, lureconſulto celeberrimo, in menſe Maio anno 1567. inſcriptus, & per ſeſquialterum annum Theologicis ſtudiis operam nauans aſſiduam, efficaciſſimas conuerſionis ſuæ cauſas in publicum edidit.

„ Neque his contentus, vt ardentem ſingularemque illius Zelum, & ex animo factam conuerſionem omnes aperte perſpicerent, non tantum pro viribus vulnera, quæ inflixerat veritati, curare eſt annixus, ſed etiam, vt eſt in fabulis, ſagitta, qua vulnerauerat, attulit opem; ſeu vt canit Eccleſia, medelam inde tulit, hoſtis vnde læſerat. Quocirca, anno 1568. Ingolſtadii 8. Cal. Febr. in ipſa feſta D. Pauli con-

A.
1584. „ uerſionis luce, habita prius eleganti oratione ab eximio Ora-
„ tore & Theologo, D. *Martino Eiſengreinio*, qua tanquam ſpi-
„ ritualis Pater filio, quem Chriſto ante generauerat, ſumma
„ lætitia congratulabatur; prouolutis genibus ante R. D. Suf-
„ fraganeum in habitu Pontificali ſedentem, publicam Catho-
„ licæ fidei Profeſſionem iuxta Bullam S. D. N. PII Papæ IIII.
„ in auguſtiſſima Diuæ Mariæ Virginis æde ingenue fecit, ve-
„ reque ſeſe ab hæreſi ad Catholicam rediiſſe viam, re ipſa &
„ viua declarauit voce: Idque præſentibus Sereniſſimi Boiorum
„ Ducis ALBERTI Legato, D. *Georgio Neupeck*, Abbate Schiren-
„ ſi, viro doctiſſimo & optimarum literarum Patrono optimo;
„ Item Reuerendiſſimi Epiſcopi Eyſtettenſis Legato, R. D. *Le-*
„ *onhardo Hallero*, Reuerendiſſimæ illius Celſitudinis Suffraga-
„ neo, & D. *Ioanne Iacobo Kuchnero*, Vicario in Spiritualibus
„ generali, qui doctiſſimam ibi concionem habuit.

„ Edita igitur fidei Profeſſione, Sacramentum confirma-
„ tionis ſignumque Chriſti in fronte, tanquam ſede pudoris,
„ ne Chriſti opprobrium Chriſtianus, & tanquam nouus miles
„ effectus erubeſceret, ſed animum ſumeret viriliter contra ho-
„ ſtes pugnandi, ſuſcepit, adeoque paulo poſt detecto capite
„ vitaque redimito ſuggeſtum alacri animo conſcendere, ſuæ-
„ que conuerſionis cauſſas, vt, quod corde crederet ad iuſti-
„ tiam, ore ad ſalutem publice confiteretur, Latina & eleganti
„ oratione latius explicare non dubitauit. Ediderunt tum eti-
„ am magna voluntate fidei Profeſſionem complures alii viri
„ Nobiles & Excellentiſſimi; nimirum D. *Ioannes Egolphus a Knö-*
„ *ringen*, Patrinus tum factus D. *Caſpari*, poſtea Epiſcopus Au-
„ guſtanus, de quo ſupra ad an. 1575. D. *Martinus Eiſengrein*
„ Theologus & Præpoſitus; *D. Georgius Lautherius*, Doctor Theo-
„ logus, & Aulicus Concionator, iam Monaci ad D. Virginis
„ Præpoſitus vigilantiſſimus, qui Profeſſionem illam ex imo
„ corde & clara prælegebat voce; D. *Ioannes Greſſenicus*, Do-
„ minicanus, Ducis Bauariæ Theologus & Concionator; Qui
„ omnes tres honoris ergo confluxerant. Alii demum Ingol-
„ ſtadienſes Theologiæ Doctores ac Profeſſores; *Theodorus Pel-*
„ *tanus*, *Hieronymus Torrenſis*; & Collegii Eyſtadiani Præſes, Do

„ ctor

A.
1584.

„ ctor *Rhodolphus Cienkius*; Item plures alii tum Sacerdotes, tum
„ ſacrarum literarum Studioſi.

„ Cum igitur inter tremendum illud Miſſæ Sacrificium,
„ R. D. Suffraganeus ſancta corporis Chriſti Euchariſtia D. *Fran-*
„ *cum* ſalutariter pauiſſet, Epiſcopalem etiam benedictionem im-
„ pertitus; fuit Actus ille celebris, in præſentia totius Aca-
„ demici Senatus, Præfecti Vrbis, Ducalium Conſiliariorum,
„ & ciuitatis Senatorum, adeoque frequenti Spectatorum cæ-
„ tu, & congratulatione, & publice affixis carminibus, pie ac
„ ſolenniter abſolutus.

„ Hunc inſuper ſolennem Actum Catholicus Princeps
„ ALBERTVS, quæ inſignis Sereniſſimæ Celſitudinis eius erga pi-
„ os & literatos fuit liberalitas, in Monaſterio Franciſcanorum
„ ſplendido conuiuio clementer exornauit.

„ Eodem anno 12. Calend. April. in feſto S. Benedicti
„ Abbatis Sacerdos Eyſtadii, rite ac legitime ordinatus; Et
„ paulo poſt in aulam a Sereniſſimo Bauariæ Duce vocatus, in
„ Comitatum Hagenſem, in quem antea, viuente Comite *La-*
„ *dislao* (*Fraunbergio*) &c. diſſeminandæ Lutheranæ peſtis gratia
„ venerat, iterum ablegatus fuit; In quo pia moderatione &
„ ſingulari prudentia ad auitam Catholicamque Religionem oues
„ ſeductas, adeo fideliter reduxit, vt omnibus abiuratis erro-
„ ribus, in breui temporis ſpatio, omnes Sacroſanctam Eucha-
„ riſtiam ſub vna ſpecie Catholice acceperint.

„ Interea quoque, vt non modo doctrina, ſed etiam
„ officio Sacerdotale perficeret munus, ex Comitatu vocatus,
„ Monaci 5. Cal. Quintil. qui in 2. Dominicam Trinitatis inci-
„ dit, apud Franciſcanos primo tremendum illud Miſſæ Sacrifi-
„ cium DEO Opt. Max. obtulit, præſentibus Sereniſſimis vtri-
„ uſque Bauariæ Ducibus, ALBERTO Patre, WILHELMO, FER-
„ DINANDO, & ERNESTO filiis, Illuſtriſſimo Principe PHILIBERTO,
„ Marchione Badenſi, PHILIPPI parente, aliisque Illuſtriſſimis Per-
„ ſonis. Item Reuerendiſſimi Epiſcopi Eyſtettenſis Legato & Vi-
„ cario in Spiritualibus generali, D. *Ioanne Iacobo Kuechnero* Theo-
„ logo. Item D. *Ioanne Egolpho a Knöringen*, Herbipolenſi & Au-
„ guſtano Canonico; & D. *Martino Eiſengrein*, qui in maxima ho-
„ minum frequentia & congratulatione virtutis atque eruditio-

nis

A.
1584. „ nis plenam habuit concionem; aliisque Conſiliariis, Nobilibus
„ & ampliſſimis.

„ Cum igitur res, in Comitatu Hagenſi tam feliciter pro-
„ ceſſiſſet, non tantum *Francus* ille diligentes, in Aula & vrbe
„ Monacenſi, apud D. Virginem, habuit Conciones; verum
„ etiam Conſiliariis Eccleſiaſticis a Sereniſſimo & Catholico
„ Principe aſcitus, & Præpoſitura in Ramſau donatus, hinc in-
„ de per Bauariam multis in locis pie doctеque concionando,
„ errantes in viam veritatis proprio exemplo & doctrina re-
„ uocando, nutantes in auita Religione confirmando, vtilem
„ & ſalutarem Eccleſiæ præſtitit operam: duos quoque Ger-
„ manos fratres ſuos, D. *Chriſtophorum*, & M. *Anaſtaſium*, In-
„ golſtadii mecum ſuprema Philoſophiæ Laurea condecoratum
„ (quorum ille Leobii ſub Sereniſſimo & Catholico Archiduce
„ Auſtriæ CAROLO, Parochum atque Concionatorem Catholi-
„ cum, non ſine magno fructu, agit; hic vero Salisburgi Iuſti-
„ tiæ cauſſarum patrocinio, non ſine laude, fungitur) ex erro-
„ rum tenebris ad veram Euangelii lucem reduxit, & Chriſto
„ lucrifecit.

„ Poſthæc 9. Calend. Martii, anno 1571. ad inſignem
„ D. Mauritii apud Ingolſtadienſes Parochiam promotus, vt
„ incepta Theologiæ ſtudia fructuoſius continuaret; Nobili Am-
„ pliſſimoque viro, D. *Martino Eiſengrein*, Theologo & Eccle-
„ ſiaſtæ grauiſſimo, ſucceſſit, tantaque dignitate & fructu Spar-
„ tam ſuam ornauit, vt ſequenti ſtatim anno a Senatu Aca-
„ demico Magnificus Almæ huius Vniuerſitatis Rector primo,
„ & anno 1579. ſecundo, & hoc anno 1581. Prorector fuerit
„ electus.

„ Neque vero hoc non in magna gloria & laude po-
„ nendum eſt, quod vir ille excellenti memoria theſauro op-
„ timarum rerum abundans, tam præclare in ſanctis Theologiæ
„ ſtudiis fuerit hic verſatus, vt a pio D. *Eiſengreinii* obitu, anno
„ 1578. ſacrarum literarum Profeſſor in Collegium Theologicum
„ ſuſceptus, Decanatus officium eodem anno fideliter admini-
„ ſtrarit, & iterum hoc anno 1581. laudabiliter adminiſtret;
„ Doctor certe Theologus in contrariis Religioni Catholicæ
„ refutandis & excludendis exercitatiſſimus: Excitatus enim

„ an-

A.
„ anno 1575. ſacri Iubilæi gratia, cum Italiam & vrbem inui- 1584.
„ ſere, adeoque Sanctiſſimum Pontificem, Patrem Patriæ, vt
„ Sedi ſacroſanctæ, quæ ad ſalutem gremium illi benigne ape-
„ ruerat, pietatem atque deuotionem ſuam recte comprobaret,
„ venerari inſtitueret; 14. Calend. April. in præclariſſima Se-
„ narum Vrbe, & glorioſa ſcientiarum matre, & celeberrima
„ Academia SS. Theologiæ Doctor, tum ex meritis Chriſtianæ
„ Reipub. cumulate exhibitis, tum aliis etiam probitatis, vir-
„ tutis & doctrinæ examinibus publice ac ſolenniter inaugura-
„ tus, & Romæ deinde a Summo Pontifice GREGORIO Papa XIII.
„ Protonotariatus Apoſtolici & Aulæ Lateranenſis Comitatu,
„ proprio Sanctitatis illius motu eſt creatus.

„ Quam benigne vero & humaniter in Vrbe, tum a Re-
„ uerendiſſimo Illuſtriſſimoque Duce Boiorum, ERNESTO, iam
„ Epiſcopo Leodienſi Ampliſſimo, tum Illuſtriſſimis Principibus,
„ STANISLAO, Cardinale Varmienſi, IOANNE FRANCISCO *Com-*
„ *mendono* Comenſi, aliisque Cardinalibus fuerit exceptus; &
„ Germani Romæ luculente viderunt, & Magnus ille *Hoſius* in
„ elegantibus literis, quas ad ALBERTVM Bauariæ Ducem de-
„ dit, aperte teſtatur. Has autem, cum mirificas Catholici Prin-
„ cipis ALBERTI laudes mirifice prædicent, in ſempiternam at-
„ que digniſſimam tanti herois memoriam, hic optimo iure in-
„ ſerendas putaui.

Sereniſſimo Principi, Domino ALBERTO, Superioris & inferioris Bauariæ Duci, Palatino Rheni &c. Domino ſuo obſeruandiſſimo.

Sereniſſime Princeps! Veniens in Vrbem D. Gaſparus Franck Theologus, multis mibi nominibus fuit vehementer commendatus. Gratum enim erat, roſam iſtam ex pungentibus ſpinis generatam, & tam ſuauem odorem in Eccleſia Chriſti reddentem cognoſcere, præſentemque apud Sanctam Sedem hanc Apoſtolicam intueri, pro qua ille propriis Parentibus derelictis, quoduis vitæ fortunarumque diſcrimen adire paratum ſe eſſe oſtendit: quo vel ſolo nomine, non potui hominem non amiciſſime excipere, & quibus hoc tempore potui humanitatis officiis complecti; cum præſertim id ipſum etiam ſuis mihi literis mandaret Celſit. Veſtra, cui hoc nomine plurimum etiam atque etiam gratulor, quod eius generis viros gratia ſua liberalitateque proſequatur, quorum curæ cogitationesque omnes, cum in ſtudiis iuuandæ Chriſtianæ religionis conſummantur, ad

A. 1584. *ipſam quoque maxima meritorum pars redundabit, vt non ſolum in hac mortali vita noſtra proſperos conſiliorum ſuorum omnium ſucceſſus experiatur, verum etiam in illa immortali, & præmia conſequatur, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt. Vtinam autem cæteri quoque Principes, non ſolum ſeculares, verum etiam Eccleſiaſtici hoc Celſit. Veſtræ exemplo accendantur, ad homines eius generis fouendos & alendos: Minus illorum aulæ laborarent, & ſubditi, quod immitarentur, ſemper haberent. Nunc ſola mihi videtur Celſit. Veſtra, quæ tanto ſtudio eiuſmodi viros ad ſe congregat, vt Aula illius Schola quædam pietatis eſſe videatur: ex qua velut ex illo equo Troiano prodeunt fortiſſimi Chriſti milites, qui verbo & opere errantes populos ad fidem Chriſti reuocare contendunt. Qualem Zelum in Gaſparis iſtius Franci libris mihi videor agnouiſſe, de quo non eſt, quod ſcribam amplius Celſ. Veſtræ, niſi quod conſpectus illius mihi fuit iucundiſſimus. Paratus etiam eram in omnibus rebus gratificari, ſiquam eius rei occaſionem mihi obtuliſſet. Quod ſupereſt, opto Celſ. V. diu bene feliciterque valere. Datum Romæ 16. April. 1575.*

Ex. Veſtræ

Sertor addictiſſ.
Stan. Card. Var. m. p.

„ Quod ſupereſt, vt lectoribus aliquanto dilucidius ap„ pareat, quot & quantos labores D. *Francus* pro Catholica re„ ligione fortiter propugnanda hactenus exhauſerit, & quoti„ die exhauriat, quam denique præclare de Chriſtiana Repub. „ etiam nunc mereri ſtudeat; Tractatus & libellos eius iam „ typis in lucem editos, quibus aduerſariorum præſtigias vere, „ neque eleganter minus diſſipauit, huc aſcribere operæ pre„ tium exiſtimaui.

Catalogus Librorum, qui opera Domini Caſpari Franci ad vſum & incolumitatem Eccleſiæ ac Religionis Catholicæ, in lucem prodierunt, typisque ſunt euulgati.

I. „ Dilucida expoſitio iuſtiſſimarum cauſſarum, quibus „ M. *Caſparus Francus* grauiſſime commotus, a noua Lutherano„ rum Secta ad ſanctam Catholicam & Romanam Eccleſiam ſe „ conuertit, ac DEI Opt. Max. benignitate, ad extremum vſque „ vitæ ſpiritum, in materno illius gremio, conſtanter perſeue„ rare firmiter propoſuit, cuius ſane exemplum omnes alii, qui

„ hæ-

A.
1584.

„ hæreſes deteſtati, in æternum condemnari nolunt, ſalutari-
„ ter ſequi debent: Vna cum explicatione præcipuorum dog-
„ matum, quæ hac noſtra ætate in controuerſiam & diſcepta-
„ tionem vocantur. Ingolſtadii edita, anno 1568. & tertio re-
„ cuſa.

II. „ Breuis & pia inſtitutio de puro verbo DEI, & cla-
„ ra S. Euangelii luce, quæ in vniuerſo terrarum orbe efful-
„ ſit; iam vero in hac extrema mundi tempeſtate ab Hæreti-
„ cis peruerſe deprauatur: Vna cum refutatione duorum Scrip-
„ torum, quæ *Iacobus Andreæ Schmidelinus* & *Ioannes Cæleſtinus*,
„ contra iuſtiſſimas cauſſas M. *Caſpari Franci* conuerſionis, in
„ publicum ediderunt. Excuſa Ingolſtadii, anno 1570. & recu-
„ ſa anno ſequenti.

III. „ Tabula Catholicæ & Hæreticæ Confeſſionis, quæ
„ Monaci, Ingolſtadii & Niſſæ in Sileſia prodiit.

IV. „ Tractatus de ordinaria, legitima & Apoſtolica vo-
„ catione Sacerdotum & Concionatorum, in quo non minus
„ vere, quam docte reſpondetur ad quæſtionem illam: An Pa-
„ piſtici, aut Lutherani Caluinianique Concionatores rite ac
„ legitime vocati ſint, & Sacramentum Euchariſtiæ conſecrare
„ poſſint. Item apud quos Chriſtiani veræ Chriſti Carnis veri-
„ que ſanguinis participes fieri queant. Editus Ingolſtadii, an-
„ no 1571.

V. „ Tractatus conſolatorius, doctrina, inſtitutione
„ Chriſtianæ pietatis & patientia perquam refertus, ad Catho-
„ licos in Bauaria Chriſtianos, ne publicis quorundam Hære-
„ ticorum Prædicantium ſcriptis & conuitiis commoti, veram
„ Euangelicamque Religionem perfide deſerant. Editus Mona-
„ ci, anno 1571.

VI. „ Paſſionale, in quo ſingulari diligentia collectæ,
„ & pulchris ſacrisque imaginibus & picturis expreſſæ ſunt præ-
„ cipuæ veteris ac noui inſtrumenti Hiſtoriæ; vna cum vtriuſ-
„ que concordantiis. Editum Monaci, anno 1572.

VII. „ Concio Catholica de ſalutari meditatione paſſio-
„ nis ac mortis Dni. noſtri Ieſu Chriſti. Ingolſtadii, anno. 1573.

IIX. „ Prodromus in defenſionem Libelli, de legitima &
„ ordinaria vocatione Catholicorum Sacerdotum & Eccleſiaſtarum,

A.
1584. „ in quo per Iudices omni exceptione maiores manifeſte declara
„ tur, quam ficte & fallaciter *Georgius Nigrinus*, Lutheranus Præ-
„ dicator, & alii ſui ſimiles Doctrinam, Fidem, & Confeſſio-
„ nem antiquorum & Apoſtolicorum Doctorum ſibi tribuant &
„ arrogent. Ingolſtadii, anno 1573.

IX. „ Hypoprodromus pro defenſione Tractatus de legi-
„ tima vocatione Eccleſiæ miniſtrorum, in quo ex ſacra Scrip-
„ tura, & approbatis SS. Patrum teſtimoniis, contra *Georgium*
„ *Nigrinum* aſſeritur, vbi inter tot ſectas miſere diſſectas Catholi-
„ ca Eccleſia & Euangelica doctrina inuenienda, & corpus & ſan-
„ guis Chriſti in Euchariſtia ſumendus ſit. Ingolſtadii, anno 1575.

X. „ Stratologia, ſeu Velitatio cauillationum *Georgii Ni-*
„ *grini* contra Prodromum *M. Caſpari Franci*, in quo vere dilu-
„ cideque declaratur, adhuc ratum eſſe firmiterque conſtare,
„ *Georgium Nigrinum*, Lutheranum Buccinatorem vna cum ſuis
„ Confeſſioniſtis, de vera & antiqua veterum Eccleſiæ Docto-
„ rum fide ac doctrina falſe & fallaciter gloriari, illorumque
„ ſcripta perperam corrumpere, Ingolſtadii, anno 1575.

XI. „ Caſparis Franci de extremo, viſibili & Hierarchi-
„ co Eccleſiæ Catholicæ ſacerdotio, aduerſus Hæreticorum fig-
„ menta ex ſacra Scriptura & orthodoxis Patribus Aſſertio.
„ Coloniæ, anno 1575.

XII. „ Concio, an homo Catholicus bona conſcientia,
„ & abſque paſſionis Chriſti læſione Indulgentiis, quæ hinc in-
„ de ab Epiſcopis promulgantur, vti & frui poſſit: Ingolſtadii,
„ anno 1576.

XIII. „ Catalogus Hæreticorum, hoc eſt Elenchus Alpha-
„ beticus de vitis, Sectis & dogmatibus omnium Hæreticorum,
„ qui ab Apoſtolorum ad noſtra vſque tempora, & veterum
„ & recentium authorum monumentis proditi ſunt. Ingolſtadii
„ anno 1576.

XIV. „ Explicatio totius hiſtoriæ Paſſionis & Mortis
„ Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quatuor Euangeliſtis collectæ,
„ in qua præcipuæ partes Catholicæ Religionis, ſalutares me-
„ ditationes, doctrinæ, conſolationes & ſacræ præfigurationes
„ continentur & tractantur. Ingolſtadii anno 1577.

XV.

A.

XV. „ Oratio funebris in obitum D. *Martini Eiſengreinii*, 1584.
„ Ingolſtadii, anno 1578.

XVI. „ Concio Catholica de glorioſa & triumphali Do-
„ mini noſtri Ieſu Chriſti aſcenſione, de ſeſſione Filii DEI ad
„ dextram Patris, de ſumma Chriſti hominis & DEI Maieſta-
„ te, & hypoſtatica diuinæ humanæque naturæ vnione, contra
„ impium *Iacobi Andreæ Schmidelini* ſermonem Wittenbergæ in
„ feſto Aſcenſionis, de Diuinitate, Omnipotentia & Vbiqui-
„ tate Corporis Chriſti habitum, ac publice typis excuſum.
„ Edita Ingolſtadii, anno 1578.

XVII. „ Fundamentum Catholicæ Fidei, in quo ſexa-
„ ginta tres cauſſæ comprehenduntur, cur vniuerſi & ſinguli
„ Chriſti fideles Catholicæ, Chriſtianæ & Romanæ Eccleſiæ vſ-
„ que ad extremum vitæ ſpiritum conſtanter adhærere obligen-
„ tur; vna cum refutatione calumniarum Doctoris *Iacobi An-*
„ *dreæ Schmidelini* & aliorum Concordiſtarum. Ingolſtadii anno
„ 1578.

IIXX. „ Duæ Conciones de Catholico nomine & inſti-
„ tuto; in quibus primo tractatur, quid Catholicum ſit, &
„ qui illo nomine ſint vocandi: Deinde, vtrum nomen Catho-
„ licum Paptiſtarum, aut Lutheranorum potius doctrinam refu-
„ tet atque infringat, pro defenſione Catholicæ Eccleſiæ ac Fi-
„ dei, contra contumelioſam cuiuſdam Hæretici ſermonem,
„ conſcriptæ & editæ. Ingolſtadii, anno 1581.

IXX. „ Oratio Apologetica pro defenſione profeſſionis
„ orthodoxæ Fidei, iuxta decretum Concilii Tridentini editæ;
„ de diuinis Apoſtolicis & Eccleſiaſticis traditionibus, deque
„ earum Sacroſancta vi & authoritate, aduerſus deteſtabiles &
„ putidos Hæreticorum, præſertim *Martini Chemnitii*, errores
„ atque calumnias. Ingolſtadii, anno 1581.

XX. „ Concio Catholica in feſto Natiuitatis D. Mariæ
„ Virginis habita, quod Chriſtus ſit verus, promiſſus & exhi-
„ bitus Meſſias ac Redemptor mundi; & quid de ordinaria Epiſ-
„ coporum ſucceſſione credendum & ſentiendum ſit; vna cum
„ Catalogo Romanorum Pontificum, & aliorum Germaniæ Epiſ-
„ coporum, in quo oſtenditur, Eccleſiam Romanam a fide Apo-

A.
1584. „ ſtolica nunquam deſciuiſſe, neque Antichriſti Synagogam eſſe.
„ Ingolſtadii, anno 1581. *Hactenus Engerdus.*

XXI. Chriſtiana Concio de Ieiunio quadrageſimali. Ingolſtadii, 1582.

XXII. Duo Dialogi Apologetici Doctoris *Iacobi Andreæ Schmidelini* & Doctoris *Conradi Wolfg. Platzii* &c. Ingolſtadii anno 1582.

XXIII. Defenſio atque Explicatio ſacri œcumenici Concilii Tridentini. Ingolſtadii, anno 1583.

XXIV. Oratio de Catholico nomine ſanctæ Chriſti Eccleſiæ inſigni & nota veriſſima, recitata in Catholica Ingolſtadienſi Academia, anno 1584.

Huius demum ipſius anni 1584. initio cum grauiſſimis morbis, pertinaci ſcilicet catarrho & prolixa hydrope conflictari cæpit; quibus etiam die 12. Martii ſuccubuit, omnibus morientium ſacramentis rite munitus, ac rebus quoque temporalibus mature diſpoſitis; ex quibus perparum ſane, etſi frugaliſſime ſemper vixerit, hæredibus reliquit; cum pleraque vium pauperibus diſtribuerit; ac præcipue ampliſſimam ſuam & optimorum librorum numero ac varietate inſignem Bibliothecam Patribus Franciſcanis, aliis alia, teſtamento legarit. Sepultus eſt in Templo S. Mauritii; vbi in die Funeris Orationem habuit *Robertus Turnerus* Theol. Prof. & Colleg. Georg. Regens; in die depoſitionis ſeptimo ac trigeſimo perorarunt *Bartholomæus Viſcherus* & *Albertus Hungerus*, ambo SS. Theol. Doctores & Profeſſores. His in Eccleſia Mauritiana peractis ad Diuæ etiam Virginis, in templo ſcilicet academico, ſolennes exequiæ celebratæ ſunt, quas *Ioannes Engerdus* Poeta Laureatus, ac literarum humaniorum Profeſſor eleganti oratione exornauit. Luctum demortuo *Franco* exhibitum, Orationes ſcilicet ac Carmina funebria idem *Engerdus* ſequenti anno typis editum, *Chriſtopboro Franco* Leobii apud Styros Parocho, *Caſpari* noſtri germano fratri dedicauit. *Fridericus Martinius* Cod. Prof. ac *Sebaſtianus Pollingerus* Parochus academicus, quos Teſtamenti ſui curatores *Francus* voluerat, duo monumenta ac epitaphia in templo S. Mauritii magnis impenſis defuncto ponenda curarunt; vnum in pariete templi marmori inſcriptum, hoc tenore:

VR-

A. 1584.

VERITAS VINCIT.

Reuerendo, Nobili & Magnifico Viro D. Caſparo Franco Ortrando Miſnio, Philoſ. & SS. Theol. Doctori Ac Profeſſori Ordinar. Protonot. Apoſtol. & Mauritianæ Huius Eccleſiæ Parocho Per XII. Annos Vigilantiſſimo, Fidei Catholicæ Propugnatori Magnanimo, Plurimisque Scriptis Aduerſus Hæreticos Noſtri Seculi In Lucem Editis Longe Lateque Clariſſimo. IV. Id. Mart. In Feſto S. Gregorii Papæ Anno Salutis CIↃ.IↃ.XXCIV. Aetatis Suæ XLI. Menſe V. Die XI. In Chriſto Pie Defuncto Monumentum Hoc Ex Teſtamento Executores Fratresque Hæredes Poſuerunt.

Alterum ipſi ſepulcrali lapidi inciſum:

D. O. M.

D. Caſparus Francus Ortrandus Artium & Theologiæ Doctor Atque Profeſſor, Necnon Protonot. Apoſtol. Ac Paſtor Huius Aedis Vigilantiſs. Vita Functus XII. Mart. Anno CIↃ.IↃ.XXCIV. Hac Tumba Quieſcit.

Ille patrem & patriam, conſanguineosque relinquens
Præ veteri duxit Religione nihil.

Facultas theologica ſequenti elogio, publice in Schola Theologorum affixo, Collegam ſuum honoraut: *Caſparus Francus SS. Theologiæ Doctor, Profeſſor & Parochus ad D. Mauritium, tam conſtans Eccleſiæ, fideique Romanæ propugnator, quam acer ante fuit Lutheri ſectator. Poſtquam enim agnitis erroribus, ad veræ Eccleſiæ gremium ſe recepit, eandem ſtylo, ſcriptisque egregie vindicauit. Omen fuit magni quondam futuri viri, Patronum Albertum Bauariæ Ducem, Patrinum Ioannem Aegolphum Knöringerum Epiſcopum Auguſtanum, Fidei Magiſtrum Martinum Eiſengrein, & Cardinalem Hoſium amicum habuiſſe. Obiit Ingolſtadii anno 1584. 12. Martii.*

Pædagogio Wilhelmino ſuprema hoc anno manus impoſita, & Septembri menſe non ſine pompa in illud immigratum eſt. Sex illud conſtat auditoriis, amplis & elegantibus; quibus aula accedit gemina, vna minor, maior altera, eaque magnifica, rei diuinæ, concionibus, Orationibus, ludisque theatralibus deſtinata. Interfuere celebritati, ac primo præcipue ſacro, quod ea in aula habebatur, Principes, qui tum in vicina venatione ſeſe recreabant, Dux ipſe GVILIELMVS, & Coniux RENATA, FERDINANDVS frater, MAXIMILIANA ſoror, MAXIMILIANVS filius, PHILIPPVS LVDOVICVS Dux Neoburgicus, cum Coniuge ANNA Ducis Iuliacenſis filia, MARTI-

A. 1584. TINVS denique *Schaumbergius* Eichſtetenſium Antiſtes; qui omnes ſumto apud Patres Societatis prandio, in dicta mox aula Tragœdiam, de Abſalone, ſpectarunt illorum honoribus exhibitam.

Ad conſeruandam Sereniſs. Fundatoris memoriam ſupra portam eius ædificii hæc lapidi inciſa eſt inſcriptio:

D. O. M.

GVILIELM. V. ALB V. F. GVIL. IV. N. Pietatis, omniumque heroicarum virtutum Hæres, Palatinus Rheni Comes, Vtr. Boiariæ Dux, Maiorum ſuorum ſempiternæ memoriæ Principum imitator, maximo Prouinciæ commodo, catholicæ Religionis amplificandæ ſtudio, Gymnaſium hoc atque Collegium Societati IESV ad Iuuentutem, bonarum Artium diſciplinis inſtituendam ac regendam, eximia liberalitate a fundamentis exædificandum curauit, Anno Chriſti CIↃ.IↃ.XXCII. GREGORII XIII. Pont. XI. RVDOLPHI II. Rom. Imp. VII.

Menſe octobri Rector Vniuerſitatis electus eſt *Robertus Turnerus*; quod ille munus *ſicut iniit ſubplaudente potius quam ſuffragante Senatu, ita geſſit malæ ſpei bono fructu, boni ominis malo euentu.* Quæ quidem verba Tomo II. Matriculæ academicæ leguntur: quid illis autem ſubſit, non intelligo; niſi forte ad illud tempus alludant, quo *Turnerus* Sereniſſimi Ducis noſtri gratia excidit, atque ab Academia diſceſſit. Hoc vero ipſo anno ad Facultatem theologicam receptus eſt *Turnerus*, & lectio Caſuum Conſcientiæ, vna cum regimine Collegii Georgiani eidem commiſſa; quod vtrumque munus *Bartholomæus Viſcherus* eodem anno dimiſit, ad officium Vicarii Generalis Ratisbonam euocatus. Hoc de viro *Engerdus* noſter Acad. Ingolſt. P. VII. pag. 161. b. & ſeqq. hunc in modum ſcripſit:

„ *Bartholomæus Viſcherus* in Arce Bauariæ Eck ſita non pro-
„ cul a Deckendorfio, vbi Parens eius *Albertus* Præfectum age-
„ bat fideliſſimum, anno altero poſt bellum Smalcaldicum vel
„ Germanicum (1548.) feria ſexta ante ſacratiſſimum corporis
„ Chriſti Redemptoris noſtri feſtum natus eſt.

„ Cum vero Pater eius perquam prudens in filio egre-
„ giam quandam & præclaram indolem eſſe cognoſceret, pri-
„ mis literarum rudimentis Deckendorfi & Strubingæ puerum

„ in-

A. 1584.

„ informari voluit, qui poſtea adoleſcens Monacum miſſus, „ ſtudiis humanitatis ibi gnauiter incubuit.

„ Anno autem 1568. ad maiores animi capeſſendos cultus, huc Ingolſtadium venit, 11. Calend. Quintil. in Album florentiſſimæ Academiæ relatus a Magnifico Domino Rectore *Alberto Hungero*, &c. ſub cuius felici adminiſtratione Studioſorum numerus vehementer augebatur, & eorum centum ac ſexaginta quatuor inſcribebantur.

„ Cum igitur vltra biennium & humaniorum literarum & Logices ſtudiis ſedulam nauaſſet operam, anno 1570. Romam profectus, in Collegio Germanico & Philoſophica & Theologica ſtudia tanta cum laude atque vtilitate proſequutus eſt, vt non ſolum anno 1576. 16. Calend. Octobr. doctiſſimas ex vniuerſa Theologia Theſes, Præſide Reuerendo Patre, *Achille Gualiardo*, Doctore Theologo, Societatis Ieſu, in Vrbe publice defenderit, easque Summo Pontifici GREGORIO XIII. cuius Sanct. mirificam in ſe beneuolentiam & amorem conciliauit, humillime conſecrarit, verum etiam paulo poſt eodem menſe SS. Theologiæ Licentiatus digne ac ſolenniter Romæ ſit inauguratus.

„ Eodem anno in Germaniam reuerſus, menſe Nouembri Ingolſtadium ſe rurſus contulit, ac diſcedenti in Saxoniam ad Ducem ERICVM Brunſuicenſem D. *Rhodolpho Clenckio*, vt Eccleſiam ibidem reformaret, ſucceſſit in Collegii Georgiani adminiſtratione & Profeſſione caſuum conſcientiæ, quam anno ſequenti, poſt Sacrorum primitias, feliciter eſt auſpicatus. Primo autem DEO Opt. Max. rem ſacram obtulit in feſto Philippi Iacobi (*anno* 1577.) cui & ego & alii paucis carminibus fuimus congratulati.

„ Cum vero Senatus Academicus ſapienter intelligeret, Dominum *Viſcherum* acri & maturo iudicio multum pollere; Illuſtri ac Generoſo Domino, D. Ioanni a Wolckenſtein & Rodeneck Baroni, concordibus omnium Patrum Academicorum ſuffragiis Rectori electo, Prorectorem, vna mente & ore, in feſto Diui Lucæ, anno eodem, adiungebat: Neque onus illi tantum imponendum. ſed & honorem ampliſſimum adhibendum, conſiderate exiſtimauit. Quocirca eum, anno

A.
1584. „ 1578. 8. Cal. Maii, vnanimi Patrum conſenſu, & congratu-
„ lante Studioſorum cœtu in Magnificum Rectorem elegit; ſub
„ cuius felici & tranquilla gubernatione, 118. Studioſorum no-
„ mina ſunt Matriculæ Vniuerſitatis inſerta.

„ Cum vero ſingularis eruditio & virtus D. *Viſcheri* am-
„ pliorem haud dubie mereretur dignitatem, 16. Calend. Iul. 1579.
„ vna cum D. *Ioanne Ertlino*, Canonico & Eccleſiaſte Forche-
„ mio, iam electo & confirmato Suffraganeo Bambergenſi, ac
„ D. *Ioanne Baptiſta Pthelmair*, Vicario & Suffraganeo Ratiſpo-
„ nenſi, Doctoralia in S. Theologiæ ſtudio recepit inſignia.
„ Quam frequens & celebris ille actus in Academia noſtra fu-
„ erit, *Valentinus Rotmarus*, piæ memoriæ, in Annalibus ſuis
„ prolixius deſcripſit.

„ Sed paucis verbis ad reliqua progrediar: Quarto poſt
„ menſe Theologici Decanatus officio *Viſcherus*, Doctor Theo-
„ logus honoratus, antequam illud reſignaret, anno 1580. ſub
„ finem Aprilis electus eſt in Magnificum Academiæ Rectorem,
„ vnanimi Patrum conſenſu & Scholarium applauſu maximo,
„ Illuſtris ac Generoſus Dominus, D. *Ferdinandus Khuen a Belaſi*
„ *in Liechtenperg & Gartenau*, *Liber Baro in Nouo Lempach*, nec
„ non Archiepiſcopatus Salisburgenſis Camerarius hæreditarius,
„ adoleſcens corporis & animi dotibus ornatiſſimus, & ob eaſ-
„ dem cunctis gratiſſimus; cumque a ſua Dominatione Acade-
„ mica negotia per alium mallet tractare, in Vicerectorem
„ datus eſt noſter D. *Viſcherus*, qui in Album Studioſorum illo
„ Semeſtri 136. nomina recepit, onusque ſuſceptum laudate ſu-
„ ſtinuit.

„ Hæc igitur de D. *Bartholomæo Viſchero*, viro optimo at-
„ que doctiſſimo, ſummatim commemorare volui, qui ob egre-
„ gia pietatis ac doctrinæ ſpecimina merito dignus eſt iudica-
„ tus, tum a S. D. N. GREGORIO Papa XIII. vt Cathedralis Ec-
„ cleſiæ Ratiſponenſis Canonicatu benigniſſime donaretur, tum
„ a Sereniſſimo Catholicoque Boiorum Duce, GVILIELMO, admi-
„ niſtrationi Collegii Georgiani, ac Profeſſioni caſuum conſci-
„ entiæ in hac Alma Academica clementiſſime præficeretur.

„ Quanta autem cura & diligentia, quanta fidelitate
„ atque induſtria, quanto denique fructu & fidelitate *Viſcherus*

no-

A.
„ noſter vtrumque adminiſtret munus, liquido fere omnibus 1584.
„ patet: Vt enim de cæteris taceam, ſub hoc Regente, *Vi-*
„ *ſchero* Sereniſſimus Boiorum Dux GVILIELMVS Magnificentiſſi-
„ mum atque Ampliſſimum Collegium regalibus impenſis extru-
„ it, & Collegio Georgiano commodiſſime adiungit, quod Deo
„ Opt. Max. aſpirante perpetuum pietatis, virtutis atque eru-
„ ditionis erit domicilium.

„ Faxit Deus miſericors, vt tam munificus Princeps
„ Religioni Catholicæ & ciuili literariæque Reipub. diutiſſime
„ ſaluus & incolumis viuat; noſter etiam *Viſcherus* pro ſua in
„ Collegium Georgianum fide ac meritis præmia recipiat ſempi-
„ terna, Amen.

Vtraque parochialis Eccleſia nouos hoc anno Rectores accepit; & Mauritiana quidem, mortuo *Caſparo Franco*, *Petrum Steuartium* Leodienſem SS. Theol. Doctorem & Profeſſorem nuper conſtitutum; Academia vero ad D. Virginem, *Laurentium Eyszephium* SS. Theol. Baccalaureum, poſtquam ſcilicet *Sebaſtianus Pollingerus* Herbipolim diſceſſit, ad gerendum ibi Suffraganei munus, ſub titulo Epiſcopi Salonenſis.

ANNO DOMINI M D LXXXV. A. 1585.

Rect. CCXVII. PETRVS STEVARTIVS, Leodienſ. SS. Theol. Doct. S. Script. Prof. Protonot. Apoſtol. & ad D. Mauritium Parochus.

Rect. CCXVIII. Idem STEVARTIVS &c.

Inſcripti 213.

Nobil. *Georg. Baro a Maxlrain.*
Guilielm.
Ioannes } *a Barnſtett*, fratres.
Ioachim.
Anton. a Sigershouen.
Stanisl. Wapouoſki Baro de Radocihoncze.
Ioannes
Nicolaus } *Aurillot*, Pariſienſ.

A. 1585.

Fridericus Ligſalz, Patrit. Monacenſ.
Ioannes } *Falinsky*, Barones a Falino.
Samuel }
Vdalric. a Stotzingen, Vlmenſ.
Philipp. Adam. }
Ioan. Adam. } *a Freyberg*, Sueui.
Ioan. Adam. }
Wolfg. Iulius } *a Püring.*
Wolfg. Ernric. }
Georgius } *Comites ab Helffenſtain*, Barones in Gundel-
Frobenius } fingen, fratres.
N. Iaslouetzki Baro de Buczaz, Palatinides Ruſſiæ.
Albert. Perliczki, Can. Leopol. Præpoſit. Roſatinenſ. cum tribus aliis nobilibus Polonis.
Wilbelm. Balthaſ. a Göritz, Can. Herbipol.
Bernard Bertus a Freyberg.
Wolfg. Carol. a Muckenthal.
Chriſtoph. } *Laſſer a Laſſereck.*
Wolfgang. }
Carol. Gaſtritz a Tornbach, Morauus.
Chriſtoph. Baro Thucinſki.
Wolfg. Adolph. a Than, Can. Herbipol.
Hartmann. a Than, Can. Herbipol.
Ioan. Iacob. Welſer, Auguſtan.
Caſp. Baro Zebrydoroſki, Palat. Calliſienſ.

Nou. Prof. *Laurent. Landauus*, Ingolſtad. Medic. Doct. & Prof.
Ioannes Perius S. I. Phyſic. Prof.

Petrus Steuartius menſe Aprili Vniuerſitatis Rector electus, pro altero quoque ſemeſtri hoc in munere confirmatus eſt; quod inde ab anno 1474. poſt *Ioannem Mainbergerum* nemini contigit. Habuit & illud ſingulare *Steuartius* Rector, quod primus omnium ſtipendio 50. florenorum gaudere cæperit pro Magiſtratus academici adminiſtratione, quæ hactenus prorſus erat gratuita.

Ex inſcriptis hoc anno præcipue memorandus eſt *Georgius Comes ab Helffenſtain*, poſtea Cameræ Imperialis Præſes.

Menſe Ianuario obiit *Ioannes Lonæus Boſcius* Brabantinus. Medic. Doct. & Prof. Euocatus hic a Sereniſſimo ALBERTO Du-

A.

Duce venerat ad Academiam anno 1560. a Viro clariſſimo *Wi* 1585.
gulæo Hundio Vniuerſitàti præſentatus. Ipſos viginti quinque annos hanc ſpartam inſigniter ornauit; atque ex his nonnullos tradendæ etiam Matheſi impendit. Laudatur paſſim vt ſelectus Medicinæ ſcriptor, & in omni literarum genere excellens, præcipue in lingua græca; cuius cognitione antiquiores fere omnes apud nos Medicinæ Profeſſores inprimis valebant. Monumentum, quod in Templo academico magnificum habet, paucis ſane verbis elegantiſſimum exhibet laudis ac vitæ compendium:

Mors Ianua Vitæ.

Anno Salutis MDXXCV. IX. Cal. Febr. obiit clariſſimus Vir Ioan. Lonæus Boſcius Brabant. Orator, Poeta, Philoſophus, Mathematicus, Medicus, græce latineque doctiſſimus, Matheſis & Medicinæ Prof. ord. Vultus morumque grauitate inſignis, vixit annos LXX. hic XXV. Ipſius Coniunx Anna Hungera, Wolfgangi Icti filia, ſex liberorum ex ipſo parens.

Multa erudite ſcripſit *Boſcius* de re medica & philoſophica: *De Peſte*, an. 1562. quem librum celeberrimis Academiæ noſtræ viris, *Martino Eiſengreinio* tunc Rectori, *Friderico Staphylo* Superintendenti, & *Ioanni Agricolæ* Camerario Vniuerſitatis dedicauit. *De humano Conceptu & Fœtu*, an. 1576. *De Natura ac Vſu Elementorum*, an. 1579. *De Lapidibus in humano corpore* an. 1580. *De Balneis Wemdingenſibus*; quorum deſcriptionem, vt maiori cum delectatione legeretur, expedito carmine decantauit. Plura de cæteris Bauariæ balneis meditari ſe affirmabat in Præfatione ad Balnea Wemdingenſia; ſed meditationes iſtæ, quantum mihi quidem conſtat, in lucem publicam nunquam prodiere. Edidit vero nonnullas Commentationes alias, vt *De Cibo & Potu*; *De Podagra*; *De Optimo Medico*; *De Centauris*, *Satyris* &c. Vertit e Græco *Ocellum Lucanum de Natura Orbis*. In lectione medica *Boſcio* ſuffectus eſt *Laurentius Landauus*, *Adami* filius.

Menſe Septembri grauis ſane cauſſa in Vniuerſitate noſtra, ſeu in Philoſophica potius Facultate acta eſt: adfuere Sereniſſimi Ducis nomine Viri clariſſimi *Adamus Vetterus*, *Liechtenauerus* & Licentiatus *Millerus* vna cum Secretario quodam; qui cum in ædes *Hieronymi Sattleri*, vbi ſcilicet diuerſabantur, Profeſſores omnes academicos cum Notario *Hafnero* conuocaſſent,

A. 1585. petierunt primum ab *Edmundo Hollyngo* tunc Artium Decano, a *Ioanne Engerdo* & *Wolfgango Scherelio* rationes ſibi reddi Facultatis Artium; tum tradi ſibi ab iisdem voluerunt omnia, quæ eandem Facultatem concernunt, vt ſigilla, Acta &c. Demum dictos tres Profeſſores exauctorarunt, atque ab omni officio academico dimiſerunt. Eodem die fuit Conſilium plenum in Curia academica, vbi iuſſu Sereniſſimi Principis a Magnifico D. Rectore omnibusque reliquis Profeſſoribus, integra Facultas Philoſophica, h. e. Sigilla, Statuta, Arcula &c. tradita ſunt *Georgio Phedero* Matheſeos, & *Ioanni Perio* Phyſices Profeſſoribus; qui mox a prandio eius diei in Facultatem receperunt *Reinerum Fabricium* Oratoriæ & Dialectices, ac *Balthaſarem Hagelium* Philoſophiæ & ſacræ linguæ Profeſſores, decima dein ſeptima Octobris ad Senatum Vniuerſitatis admiſſos. Sic conſtitutæ Artium Facultati *Robertus Turnerus* Collegii Georgiani Regens die 23. Decembris rationes ſuæ adminiſtrationis reddidit in præſentia Magnifici D. Rectoris & duorum Decanorum, itemque *Friderici Martinii* & *Viti Schoberi*.

Sub autumnum huius anni nouum Collegium pro Alumnis Ducalibus, aliisque extraneis, qui illis iungi conuictu vellent, abſolutum eſt, atque ſub S. Ignatii Martyris nomine & patrocinio incoli cæptum. Coniunctum eſt ampliſſimum hoc ædificium cum nouo Pædagogio, exhibetque ſpeciem magnificam ac Ducis GVILIELMI liberalitate prorſus dignam. Regens nouæ Domus conſtitutus eſt *Mathias Mayerhoferus*, nuper Theologiæ Profeſſor, quam tamen cathedram iam antea *Paulo Vizano* reliquerat.

A. 1586.

ANNO DOMINI M D LXXXVI.

Rect. CCXIX. GVILIELMVS EVERHARDVS, I. V. Doct. & Prof. III.
Rect. CCXX. ALBERTVS HVNGERVS, SS. Theol. Doct. & Prof. Procancell. Vniuerſit. Canonicus Eichſtad. & Paſſau. Parochus in Engelbrechtsmünſter. III.

Inſcripti 208.

Prin-

A. 1586.

Principes. PHILIPPVS, FERDINANDVS, CAROLVS } Duces Bau. Com. Pal. Rhen.
CHRISTOPH. GVSTAV. CAROLVS. IOANNES CAROLVS } March. Badenſes, Com. Spanhemienſ.

Nobil. *Carolus Comes Oettinganus.*
Ferdinand. Baro a Maxlrain.
Guilielm. Baro a Törring, poſtea Ord. Teut. Eques.
Alexander ab Haslang, poſtea Præfect. Abensberg. ac demum ſupremus Mareſchallus.
Georg. Guilielm. a Muckentbal.
Philipp. Iac. a Sittinchauſen.
Ferd. Egolph. a Rauchenberg.
Chriſtoph. Bartholom. a Rolling.
Ioan. Philipp a Rodenſtein.
Ioan. Iac. a Fronberg.
Ioan. Sinzenhofer.
Ioan. Bapt. Rex ab Hohenfelden, Viennenſ.
Carol. Brans a Wolfach.
Richard. Godfrid. a Wirſperg, Can. Herbipol.
Albert. Gerard. a Löſchwitz, Bohem.
Achat. Georg. Wolfg. a Schaumberg.
Ioan. Georg. Balthaſar } *ab Helbensdorf.*
Martin Gereon Baro a Lyczko, cum aliis 10. nobil. Polon.
Alexander Ioan. Carol. } *Comites in Schlau & Miſch*, fratres.
Bernard. ab Elz.
Erneſt. Frideric a Niemitz, Sileſius.
Richaldus a Riuiis, Dominus de Hoers.
Cyrus Comes de Portia.
Ioan. Truchſeſſius Baro.
Ferd. a Freyberg, poſtea Can. Bamberg. Ratisbon. & Eluacenſ.
Deodatus de Marteau.
Dauid Kölderer.

Ge-

A. 1586.

Georg. Melchior ab Aw, Can. Eichſtad.
Ioan. Georg. a Guttenberg.
Ioan. Rudolph. a Sunnenberg, Lucernenſ.
Ioan. Georg. a Gerolzach.
Carol a Berlo, Can. Leodienſ.
Chriſtoph. } *a Landeberg*, Würtenbergenſ.
Rudolph. }
Philipp. Cobenzl de Proſech, Carſus.
Ioſeph. Vintler a Plätſch, Tirolenſ.
Ioan Plachy a Strebnitz, Bohemus.
Carolus, } *Im Hof*, Patrit. Auguſt.
Conſtantin. }
Wolfg. Vdalric Eünler (*Vlner*) a Diepurg, Moguntinus.

Nou. Prof. *Caſparus Hellius*, Aichacenſ. I. V. Doct. & Prof.
Ioannes Viſcherus, Ingolſtadienſ. I. V. Doct. & Prof. poſtea Berchtesgadenſis, ac demum Burghuſianus Cancellarius.
Michael Eiſelin, Gamundianus Sueuus, S. I. Prof. Log.

Nihil Academiæ noſtræ, inde ab eiuſdem exordio accidere glorioſius potuit, quam aduentus Sereniſſimorum Bauariæ Principum PHILIPPI, FERDINANDI & CAROLI ſex annos tum nati, quos GVILIELMVS Parens hoc anno cum ſelecto Nobilium comitatu Ingolſtadium miſit, Grammaticæ operam vt darent. Hi cum Nomina ſua ad album Vniuerſitatis referrent, obtulerunt Rectori ſcyphos tres argenteos, pretio centum circiter florenorum. Notario autem, Pedello & Quinto, vt tum vocabant, triginta quatuor floreni obuenere. Die 6. Febr. ipſis Principum in ædibus facta eſt, pro temporum illorum more, *Depoſitionis* cerimonia, præſentibus omnibus Profeſſoribus, quos ad conuiuium eodem die inuitarunt Sereniſſimi Duces. Paucis poſt aduentum ſuum diebus Illuſtriſſimum Iidem ediderunt ſpecimen pietatis; cum enim demortui Academici funus ad ſepulturam deduceretur, ipſi quoque Principes cum ceteris Studioſis illud comitati ſunt.

Sereniſſimi CHRISTOPHORVS AVGVSTVS, CAROLVS & IOANNES CAROLVS, Marchiones Badenſes eodem anno ſcholas noſtras cum memoratis Bauariæ Ducibus ornauerunt; cumque Hi pro-

A. 1586.

proprias in ciuitate haberent ædes, Illi locum ſibi inter Conuictores Collegii S. Ignatii Mart. delegerunt.

Eodem in Collegio diuerſabantur hoc tempore iuuenes Religioſi fere triceni, qui ex variis Bauariæ Monaſteriis ſtudiorum cauſſa huc confluxerant.

Ex aliis Academiæ alumnis ſpeciatim memorandus venit *Wilhelmus Iocher*, Longauus, ex Archiepiſcopatu Salisburgenſi, poſtea Aſſeſſor Spirenſis, Sereniſſimi Ducis Bauariæ Conſiliarius intimus & Præfectus in Dachau.

Die 10. Martii Commiſſarii Monacenſes, quos anno ſuperiore ad Academiam delegatos diximus, petierunt rationes ſibi exhiberi, primum Vniuerſitatis, tum Facultatis Artium, ac Collegii Georgiani; quas omnes cum minus bene conſtitutas deprehenderent, *arreſtum*, vt Icti appellant, pronunciarunt in D. *Lagum*, Camerarium Vniuerſitatis, *M. Scherelium*, Camerarium Facultatis Artium, & *Robertum Turnerum*, Collegii Georgiani Regentem.

Eodem in Collegio Georgiano congregata eſt die 7. Nouembris Facultas Philoſophica, ac cum querelas varias a D. Regente & ab Alumnis propoſitas intellexiſſet; ſequentia condidit ſtatuta. 1. Vt Collegium mox ſub initium noctis claderetur, nec ante ortum lucis aperiretur, ea prorſus ratione, qua portæ ciuitatis claudi ſolent atque reſerari. 2. Vt arma ſinguli tradant Regenti; vt faceſſant ludi, aleæ, & compotationes intempeſtiuæ. 3. Vt D. Regenti eiusque Vicario plus honoris in poſterum deferatur. His menſe Decembri addita ſunt alia quædam ad œconomiam ſpectantia.

A. 1587.

ANNO DOMINI M D LXXXVII.

Rect. CCXXI. IOANNES VISCHERVS I. V. Doct. & Prof.
Rect. CCXXII. LAVRENTIVS LANDAVVS, Medic. Doct. & Prof.
Inſcripti 207.
Princeps: MAXIMILIANVS, Dux Bauariæ, Com. Pal. Rh. &c.
Nobil. *Leo Notthaft* a Weiſſenſtein.

A. 1587.

Otto Henric. a Franking.
Henricus } *Neuburger.*
Vrbanus }
Ioan. Blaſius Kunigsfelder, Bauar.
Sebald Müller von Zweyraden, *Willibaldi*, Viri Conſularis Ingolſtad. filius.
Georgius, } *Barones a Firmian* & Cronez.
Vdalricus }
Wolfg. Auer de Ondelzhauſen & Puelach, Can. Friſing.
Henric. Firley Baro de Dambrowicza, cum tribus aliis Nobil. Polon.
Ioan. Henric. } *Visler*, nobil. a Malchersdorf.
Ioan. Caſpar. }
Albert. a Memmingen.
Octauian. } *Barones Prouana*, Capitanei Petszmenſ.
Samuel } cum tribus aliis.
Michael, } *a Liechtenſtain*, Francones.
Georgius }
Philipp. Iac. }
Reinhard. } *Comites in Leiningen*, Domini in Weſterburg & Schauenberg.
Chriſtoph. }
Carol. Guilielm. Burkgrauius a Thonau, Sileſius.
Wilhelm. Schleich, Landishutanus.
Wolfg. Henric. } *Langenmantl*, Ingolſtadienſ.
Ioan. Sebaſt. }
Henric. Muggenthaler a Sandersdorf.
Georg. Henric. } *a Caſtell*, Bauari.
Dauid, }
Hieronym. Relinger, Patrit. Auguſt.
Caſp. Sigiſmund. Lerchenfelder a Kefering.
Chriſtoph. Iac. de Pelham, Monacenſ.
Ioan. Zbinko Baro ab Haſenburg in Budin, Bohem.
Caſpar a Neuhauſen.
Henric. Hannibal a Muckenthal.
Ferdinand. Baro a Wolkenſtein.
Conrad. Baro a Bemmelberg &c.
Georg. Conrad. Baro a Törringen.

Phi-

A.

Philipp. Publius a Iarsdorf, Can. Eichſtett. & Auguſt. 1587.
Chriſtoph. Rapp, Liuonius.
Ioan. Henric. a Neuhauſen.

Nou. Prof. *Laurent. Eiſzephius* SS. Theol. Licent. Caſ. Conſc. Prof. ad D. Virg. Parochus.
Andreas Fachinæus, Foroliuienſ. I. V. D. & Cod. Prof.
Ioan. Chriſtoph. Silberhorn, S. I. Matheſ. Prof. & Collegii S. Ignat. M. Regens.
Ioachimus Rhetius, S. I. Prof. Ethic.

Nou. Doct. *Matthias Maierhofer*, S. I. *Theol.*

Die 12. Maii Doctor *Steuartius* diſputationem inſtituit theologicam, quam tres Bauariæ Principes PHILIPPVS, FERDINANDVS & CAROLVS præſentia ſua illuſtrarunt; duo vero natu maiores etiam argumentando omni poſteritati memorabilem reddiderunt; non ſolum enim e memoria diſputarunt, auſcultante magna ſtudioſorum corona, quod in tam tenera ætate (maximus enim natu, PHILIPPVS, Epiſcopus iam tum Ratisbonenſis, nonniſi undecim annorum erat) ſumma laude erat digniſſimum; ſed admirabilem etiam adhibuerunt animi libertatem, actionisque elegantiam, adeo, vt nulla præcipitatio, hæſitatio nulla, nulla repetitio fuerit notata. Et cum multa inter ſingulas argumentationes a Præſide & reſpondente admiſcerentur, nullius metus, nullius curæ aut ſollicitudinis ſignificationem dederunt vnquam. Paulo poſt eadem cum gloria diſputarunt ex Philoſophia, cum vix duas ante horas argumentum ediſcendum accepiſſent. Perorarunt iidem Principes in aula noua Pædagogii de laudibus Diuæ Mariæ Virginis, præſentibus maximo numero Studioſis, virisque aliis illuſtribus. Affirmant teſtes illorum temporum libri, neminem, niſi qui ipſus interfuiſſet, crediturum fuiſſe, quam eleganter hæc omnia, quamque digne a Principibus ſint geſta.

Menſe Septembri Monachium reuocati ſunt Sereniſſimi Principes PHILIPPVS, FERDINANDVS & CAROLVS; priores quidem duo poſt biennium redituri; CAROLVS vero poſt aliquot ſeptimanas inter brachia Sereniſſimorum Parentum ſpiritum Deo redditurus; obiit enim die 27. Octobris eiuſdem anni, in Monte ſancto Andecenſi ſepultus.

A.
1587. Ne tamen Scholæ noſtræ ſplendor, qui ex memoratorum Principum virtute ac ſedulitate multum increuerat, ex eorundem diſceſſu quidquam deperderet, MAXIMILIANI Principis natu maximi aduentus effecit. Hunc menſe mox Octobri GVILIELMVS Parens pergere Ingolſtadium iuſſit, vt Rhetorices primum, dein Dialectices ſcientia eruditetur. Verum hoc de Principe plura per ſecuturum deinceps quadriennium.

Matthias Maierhoferus duobus abhinc annis Collegii Wilhelmini Regens conſtitutus, hoc anno ad lectionem theologicam rediit, Doctor in eadem Facultate die 1. Iulii a *Gregorio de Valentia* renunciatus. Collegio in eius locum præeſſe iuſſus *Chriſtophorus Silberhornius* Matheſeos Profeſſor, qui ceteros inter conuictores numerauit Religioſos varios omnino quadraginta. Ethicæ diſciplinæ cathedram primus hoc anno ex Patribus Societatis tenuit *Ioachimus Rhetius.*

Laurentius quoque *Eiſzephius* SS. Theol. Licent. & Parochus academicus XX. in Profeſſorum Theologiæ numerum cooptatus eſt, lectioni caſuum præfectus, in locum ſcilicet *Roberti Turneri*, qui circa hoc tempus ab Academia & Collegio Georgiano diſceſſit. Referunt ſcriptores exteri eum Ducis Bauariæ gratia excidiſſe, atque Ingolſtadio Pariſios profectum; inde veniſſe in Sileſiam, ac Canonicum Vratislauienſis Eccleſiæ, & denique FERDINANDI Archiducis Secretarium fuiſſe factum. Sed ego horum omnium in noſtris quidem monumentis veſtigium nullum inuenio: illud ſcio ex hiſtoria Collegii Ingolſtadienſis S. I. ad annum 1592., *Robertum Turnerum Collegii Eichſtadienſis Præſidem, coram Notario & teſtibus, erecto etiam ſuper hoc publico Inſtrumento, donaſſe dicto Collegio ſuam Bibliothecam, donatione inter viuos, retento ſibi ſolo vſu ad vitam.* Quibus ex verbis potius colligo, *Turnerum* eo rediiſſe, vnde venerat, Eichſtadium ſcilicet ad Wilibaldinum Collegium, vbi anno 1590. demortuo MARTINO Epiſcopo orationem dixit funebrem; cumque Bibliothecam illam, vnacum alio quodam pio legato, ad an. 1602. traditam fuiſſe huiatibus Ieſuitis inueniam, ſuſpicor *Turnerum* circa id temporis Eichſtadii obiiſſe. Scripſit *Vitam Edmundi Campiani*, cuius fuerat diſcipulus; *Vitam & Martyrium Mariæ Reginæ Scotiæ*; *Commentarios in quædam Scripturæ loca*; *Orationes & Epiſtolas* &c. In mu-

munere Regentis Collegii Georgiani *Turnero* ſucceſſit *Sixtus Paeherus* SS. Theol. Licent. A. 1587.

Bibliotheca Knoringiana ſeu Academica hoc anno in Collegium vetus, hoc eſt in ipſas Vniuerſitatis ædes translata eſt. Hæc autem eius translationis cauſſa fuit & occaſio: Sacellum S. Hieronymi, quod hodie veſtibulum eſt Templi S. Crucis, anguſtius videbatur Patribus Societatis, quam vt conſuetis eorum functionibus ſacris ſufficeret. Cum igitur de area cogitaretur pro nouo exſtruendo templo, non occurrit aptior, quam vbi Knöringiana, quam dixi, Bibliotheca ſtabat. Patres academici, cum eorum ſuper ea re conſenſus exquireretur, amice reposuerunt, ſe haud illubenter eum locum ceſſuros Ieſuitis, ſi Princeps aut alius quispiam ſuis ſumtibus in ipſo Collegio veteri locum ſeruandis libris idoneum præpararet. Et vero ſuſcepit in ſe Princeps hocce oneris; illamque ipſam ædificii partem, quam olim Collegiati, vt vocabant, Profeſſores, & nuper, ante exſtructum ſcilicet nouum Collegium Patres Societis incoluerant, in formam, atque ad vſum Bibliothecæ accomodari iuſſit. Sic cæpta Templi S. Crucis, quod hodiedum viſitur, ſtructura; ipſoque D. Hieronymi feſto die primus in fundamenta lapis eſt demiſſus, haud ſine conſuetis cerimoniis, quas Principis iuſſu ac nomine *Ioachimus Fuggerus* & *Liechtenauius* obierunt. Senatus ciuicus fecit Patribus copiam nouo templo quinque pedum ſpatium ex via publica adiiciendi, vt latius fieret atque capacius.

Iacobus Gretſerus Markdorfenſis, magnum poſtea Academiæ noſtræ lumen, diſputauit menſe Nouembri ex vniuerſa Theologia præſide *Gregorio de Valentia*, præſente Sereniſſimo Principe MAXIMILIANO, qui & alios omnes actus publicos ſua præſentia illuſtrauit. Edidere Theologi noſtri varias hoc anno, doctiſſimasque Commentationes; *De reali Chriſti in Euchariſtia præſentia; De legitimo Euchariſtiæ vſu ſub altera tantum ſpecie; De Indulgentiis; De natura & vſu Theologiæ præſertim ſcholaſticæ; De tribus peccatorum generibus.*

A. 1588.

ANNO DOMINI M D LXXXVIII.

Rect. CCXXIII. LAVRENTIVS EISZEPFIVS, Friſingenſis, SS. Theol. Licent. Paroch. ad D. Virg. & Caſ. Conſc. Prof.

Rect. CCXXIV. PETRVS STEVARTIVS, SS. Theol. Doct. & Prof. Paroch. ad D. Maurit. III.

Inſcripti 194.

Nobil. *Ioan. Chriſtoph. a Marolding* in Hornbach.

Ferdinand. } *Gartner* a Machtenhouen & Dellersdorf.
Ioan. Sigiſm. }

Ferdinand. } *Barones a Terring* in Stein & Bertenſtein.
Albertus }

Balthaſar a Raunach, Salisburgenſ.

Philipp. } *a Rabenſtein*, Francones.
Wolfg. }

Leonard. Stockhaimer, Patrit. Norimberg.

Sigiſmund. a Wolffurt, Can. Conſtantienſ.

Georg. Talbot, Vigornienſ. Baro Anglus,

Adam a Werdenſtein.

Ioan. Iacob. } *Schad* de Mittelbibrach in Haſelbach,
Ioan. Georg. } Bauari.
Ioan. Chriſtoph. }

Wernerus Bber, Liuonienſ.

Ioan. Erneſt. Baro a Sprinzenſtein.

Ioan. Chriſtoph. Vrſenbeck.

Georg. Frideric. de Hautois.

Anton. Barauicinus, Vulturnienſ. Ital.

Georg. Fuggerus, Baro in Kirchberg & Weiſſenhorn, *Iacobi* filius.

Ioan Chriſtoph. } *a Wanga*, Tirolenſ.
Vdalricus }

Ioan. Iacob. a Reinach, in Münſtrol prope Mümpelgard.

Ioan Ludou. Schenk de Geirn.

Frideric. } *a Muckenthal* in Baar Rainenſ.
Ioan. Iac. }

Chriſtoph. a Stein, Can. Herbipol. & Bamberg.

Philippus } *Welſer.*
Otto Henric. }

Mar-

A.

Marcus Sitticus Comes ab Embs, Can. Salisburg. 1588.
Frideric. a Brand, nobilis ex Blaienſtein in Palatinatu.
Ioan. } *a Neubaus.*
Vitus }
Ioan. Chriſtoph. }
Virgilius, } *Vberecker* de Sighartſtein.
Abrahamus }
Philippus a Stein.
Henricus Ansleius, Anglus.
Chriſtoph. a Gemming, Can. Auguſt.
Ioan. Frideric. Comes a Schwarzenberg. Can. Paſſau,
Chriſtoph. Comes a Schwarzenberg.

Nou. Prof. *Caſpar. Torrentinus*, Can. Friſing. Iur. Can. Prof.
Edmundus Hollingus, Eboracenſ. Angl. Medic. Doct. & Prof.
Iacobus Gretſcherus, Markdorfenſ. S. I. *Phil.* Prof.
Chriſtoph. Marianus, Auguſtanus, ante ſuum in Societatem ingreſſum *Daniel Mätſchperger* dictus S. I. Ethic. & Ling. Græc. Prof.
Georg. Schröttelius, Donawerdanus, S. I. Dialectic. & Ling. Hebr. Prof.

Ex illuſtribus huius anni Academicis duo præcipue occurrunt, poſterorum memoria, non tam ob generis antiquiſſimi claritatem, quam propria in Rempublicam ciuilem atque eccleſiaſticam merita digniſſimi, I. *Albertus Baro a Törring in Stein & Bertenſtein*, Canonicus poſtea Salisburgenſis ac Ratisbonenſis, & huius demum Eccleſiæ ab anno 1613. ad annum vſque 1649. Epiſcopus. II. *Marcus Sitticus ab Embs*, ſiue *Hohenembs*, Canonicus Salisburgenſis, nepos S. Caroli Borromæi, Conſtantienſis poſtea Eccleſiæ ſummus Præpoſitus, ac Salisburgenſis denique Archiepiſcopus ab anno 1612. ad 1619. III. His merito ſubiungimus inſignem Iuris cultorem *Benedictum Carpzouium* Brandenburgenſem; qui abſoluto iam Iuris diſcendi curriculo in Francofordienſi, quæ ad Viadrum eſt, & Wittenbergenſi Academiis, præcipuas Germaniæ Vniuerſitates, atque in his noſtram Ingolſtadienſem hoc anno inuiſit; Profeſſor dein Iurium Wittenbergæ, ac de-

A. 1588. demum Dresdæ Cancellarius factus. Filium reliquit cognominem, Iurisconsultum primi nominis, ac scriptis editis clarissimum.

Ex Professorum nostrorum numero morte præmatura obiit *Laurentius Landauus*, *Adami* filius, patria Ingolstadiensis, nuper admodum, anno 1585. cathedræ medicæ admotus. Hoc de viro nihil inuenio memoriæ proditum, nisi quod successorem habuerit *Edmundum Hollingum*, Anglum, nuper Philosophiæ ac Eloquentiæ in Academia nostra Professorem. Hic, cum ab Illustrissimo Angliæ Cardinale *Alano* Sereniss. Principi nostro MAXIMILIANO commendatus, atque eiusdem clementia & liberalitate in Italiam missus, in alma Patauina Theses medicas *de Calore naturali* sub auspiciis amplissimi D. *Mermanni* Archiatri Bauarici, pro obtinendo Doctoris gradu publice defendisset, hoc anno Ingolstadium rediit, ad lectionem medicam, quam per annos deinceps quatuor & viginti professus est.

Retulimus supra ad an. 1585. Patribus Societatis integram Artium Facultatem fuisse commissam; sed nondum scilicet perpetui in his cathedris magisterii possessionem Principis decreto capessiuerant: videtur potius totum, quod inde tempus interceſſit, ad hoc concessum, vt specimen quasi darent & experimentum suæ professionis. Hoc tandem anno, sub ipsum illius initium, ea Facultatis Artisticæ in Patres Societatis translatio literis publicis in perpetua tempora firmata est, & propria Sereniſſimi Ducis GVILIELMI manu subscripta, die 27. Ian. Vid. Annal. Vniuersit. P. IV. Num. LVIII.

Circa Festum D. Lucæ tres Philosophiæ Professores solenne lectionum suarum principium habuere; *Iacobus* scilicet *Gretscherus*, qui loco *Balthasaris Hagelii* cursum Philosophicum auspicabatur; *Christophorus Marianus*, qui Ethicam, auditore Principe MAXIMILIANO, ac linguam græcam; & *Georgius Schröttelius*, qui Dialecticam & linguam sacram docere cæperant.

Die 28. Octobris *Albertus Hungerus*, Decanus theologicæ Facultatis absens electus est; qui tamen toto illo semestri ad Academiam non rediit: scilicet cum aduersa valetudine vteretur, in Parochiam suam Engelbrechtsmonasterienſem, quasi in secessum quemdam, ad restaurandas vires se contulerat. Eadem Facultas theologica die 7. Nouembris Licentiatum creauit

Pan-

Pancratium Metſchenbachium, nullis tum quidem ſacris ordinibus initiatum; qui promittere tamen ſtipulata manu debuit, ſe illos prima quaque occaſione ſuſcepturum. Decreuit item eadem die, nullum deinceps ad Licentiæ Gradum admittendum fore, qui duplex examen non ſubiiſſet; vnum particulare ac rigidum, in quo ſententia ferretur de examinato admittendo vel reiiciendo; alterum quaſi publicum & lenius, quo finito candidatus approbaretur, publiceque mox in ipſo examinis loco, in ſtuba, quam vocant, ſenatoria, Licentiatus crearetur. A. 1588.

Plures hoc iterum anno diſputationes Theologi noſtri, atque etiam Philoſophi in lucem publicam ediderunt; veluti, *De Satisfactione*, *Gregorius de Valentia*; *De rerum Dominio*, *Matthias Maierhoferus*; *De rebus meteorologicis*, atque alteram *De Metallis*, *& Lapidibus*, *Balthaſar Hagelius*; denique *De primis rerum principiis*, *Michael Eiſelinus*, reſpondente Comite quodam Polono.

ANNO DOMINI M D LXXXIX. A. 1589.

Rect. CCXXV. IOANNES BARO AB HASENBVRG, Dominus in Budin &c.
Prorect. *Petrus Steuartius*, SS. Theol. Doct. &c.
Rect. CCXXVI. PHILIPPVS D. G. Epiſcopus Ratisbonenſis, Dux Bauar. Com. Pal. Rhen. &c.
Prorect. *Petrus Steuartius* &c.
Inſcripti 217.
Nobil. *Henric. a Stein.*
Ioan. Philipp. a Nippenburg.
Vrban. Pöttinger, Can. Paſſau.
Ioan. Chriſtoph. a Nankreit, Can. Bamberg.
Gerard. a Leſchwitz, Can. Eichſtett. & Ratisbon.
Iacob. Ecker, Can. Cathedr. Ratisbonenſ.
Ioachim. Mareſchalcus a Pappenhaim.
Ioan Rudolph. a Preyſſing.
Henricus a Knöring.
Ioan. Leonard. Roſenbuſch, Bauar.

A. 1589.

Vdalric Baro a Spaur & Vallör.
Ferdinand. } *Schrenk* a Iarſched.
Caſparus }
Ioan. Sigiſm. Guettenberger, Can. Herbipol.
Melchior, } *a Mulhem*, Patricii Colonienſ.
Henricus, }
Caſparus, }
Balthaſar, }
Gabriel Han, Sileſius.
Anton. Comes a Montfort, Sereniſs. PHILIPPI & FERDINANDI Aulæ præfectus.
Adolph. Wolff a Mitternach, (*Metternich*) Can. Spirenſ. poſt Comitem *Montfortium* Aulæ præfectus.
Ioachim Lanty a Denteuille, Lotharing. } Ephebi
Sixtus Lienekema, Friſius } Princ. Bau.
Hieronymus Welſer, Auguſt.
Lucas a Wolfort, Brigantinus.
Ioan. Iacob. Mülſtetter a Maurn.

Nou. Prof. *Georg. Euerhardus*, S. I. SS. Theol. Doct. & Prof.
Michael Lederius, Auſtriacus, S. I. Phil. & Ling. ſacr. Prof.
Petrus Bacherius, Antuerpienſ. S. I. Phil. Prof.

Nou. Doct. *Laurentius Eiſzephius*, Friſingenſ. SS. Theol. Prof. & Paroch. ad D. Virg. } Theol.
Georgius Brucherus, }
Ioannes Hylin, }
Tobias Hendſchel, }
Sebaſtian. Manzius, }

Primum in faſtis academicis locum hoc iterum anno tribuimus Sereniſſimis Bauariæ Principibus PHILIPPO Ratisbonenſi Epiſcopo, & FERDINANDO fratri, qui menſe Ianuario Ingolſtadium rediere, humaniori literaturæ operam porro daturi; in quibus adeo profecere, vt eodem adhuc anno publicis typis varias quæſtiones ponerent, de quibus in ſchola Humanitatis erant diſputaturi, veluti de arte conſcribendarum epiſtolarum, de arte metrica, de græca lingua, de Officiis Ciceronis &c.

Prin-

A.

Princeps MAXIMILIANVS fratrum natu maximus, quique 1589.
ſextum ac decimum agebat ætatis annum, ſeueriores iam tum diſciplinas colebat. Ethicæ ac Matheſeos auditor anno ſuperiori eſſe cæperat: hoc anno, quantum Iuris valeret ſcientia, gemino maxime oſtendit argumento, cum ſcilicet binis diſputationibus, quas Iurium Profeſſor *Hellius* inſtituit, non otioſus auditor, ſed acer ac ingenioſus diſputator aſſedit.

Conſecrationem noui templi Patrum Societatis Iidem Sereniſſimi Principes non tantum celebriorem reddiderunt ſua præſentia, ſed multo magis ſanctiſſimis modeſtiæ ac pietatis exemplis, quibus omnes ac ſingulos illius ſolennitatis actus ornarunt. Illud ſingulare, quod FERDINANDVS natu minimus, duodecim tunc annorum, ipſo die, quo Patribus epulum dederant Principes, finitis prandio ac Veſperis elegantem orationem, mira actionis dignitate ad frequentiſſimam concionem in nouo templo habuerit.

Pari fere cum ſplendore peracta eſt *Laurentii Eiſzephii* ac quatuor aliorum promotio in Doctores Theologiæ; interfuerunt enim illi actui tres Principes Bauariæ MAXIMILIANVS, PHILIPPVS & FERDINANDVS fratres, Marchio Badenſis CHRISTOPHORVS GVSTAVVS, Comites & Barones quamplurimi, Suffraganeus Bambergenſis, & tres Abbates.

Nihil tamen ſolennius ad hunc annum, nihil Annalibus academicis dignius habemus, quam illam diei 18. Octobris actionem; cum ſcilicet Sereniſſimus ac Reuerendiſs. Princeps PHILIPPVS, diuina prouidentia confirmatus Epiſcopus Ratisbonenſis, Dux Bauariæ & Comes Palatinus Rheni &c. Rectoris Vniuerſitatis munus acceptare clementiſſime dignatus eſt. Tota memorabilis huius electionis, vti & abdicationis hiſtoria viuis coloribus depicta eſt in limine Tomi III. Matriculæ Vniuerſitatis, vbi hæc verba leguntur adſcripta: *Ad menſis Octobris diem XVIII. anni M. D. LXXXIX. cunctis Senatorum ſuffragiis ſalutabar florentiſſimæ huius Academiæ Rector Philippus, diuina prouidentia confirmatus Epiſcopus Ratisbon. Bauariæ Dux, ingreſſus ætatis annum XIV. Procurationem porro cauſarum forenſium Sereniſs. meus Parens, Princeps Guilielmus, certis de cauſis a me ac Dno. Licentiato Quirino Leonino Geldrio, Canonico Ratisbon. Conſiliario, Theologo ac Præceptore noſtro in*

A.
1589. *Doctorem Steuartium Leodium, Præpoſitum Apoſtolorum Coloniæ, Profeſſorem hic publicum & Parochum Mauritianum transferri voluit.*

Ab initio huius noſtri Rectoratus Maximilianus & Ferdinandus Comites pal. Rheni, Vtr. Bauariæ Duces, mei fratres dilectiſſimi ac Chriſtophorus Guſtauus, Marchio Badenſis, Ingolſtadii per triennii fere ſpatium, cauſa ſtudiorum verſabantur. VIII. vero Id. Febr. an 1590. ſuperuenit Ferdinandus Sereniſs. Archiducis Caroli Auſtriaci, Ducis Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ &c. auunculi noſtri honorandiſſimi Princeps primogenitus. Similiter inſequentes albo ſtudioſorum nominatim acceſſerunt. Scrib. Phils. Epiſcop. Ratisbon. Bauariæ Dux m. p. De Archiduce FERDINANDO ad annum ſequentem.

Quirinus Leoninus, cuius paulo ante mentio iniecta eſt, hoc ipſo anno nomen ſuum albo dedit academico. Natus hic Bomeliæ in Geldria (alibi Buſcoducenſis Belga ſcribitur) ac Artium & Theologiæ gradibus iam inſignitus, præceptor datus eſt memoratis Bauariæ Principibus, quorum adoleſcentiam admirabili prudentia & dexteritate regebat. In ſacrum Canonicorum Collegium Ratisbonæ cooptatus, Decani, Præpoſitique Eccleſiæ Cathedralis, Protonotarii Apoſtolici, ac Palatini Comitis titulis fulſit, Epiſcopis idem ſuæ Eccleſiæ, Boicisque Ducibus a conſiliis. Anno 1600. in ſpem Eccleſiæ fundauit apud nos, dotauitque Seminarium quoddam Clericorum, ſub nomine D. Hieronymi, quod hodiedum perdurat: viuunt enim ex ea fundatione ſex ſeptemue Alumni, ab S. Hieronymo dicti (primitus duodeni fuere) qui aliquando ædes habuere proprias; ſubin tamen in Wilhelminum, ac noſtris temporibus in Albertinum Collegium ſunt translati. Quirinianæ fundationis monumentum perpetuum marmorea exhibet tabula, quæ hodie Seminario S. Franciſci Xauerii præfixa conſpicitur, in ſignum videlicet obligationis, quam habet domus Xaueriana, ex ruderibus Seminarii Hieronymitani ex parte ſaltem conſtructa, Alumnos Quirinianos hoſpitio recipiendi, ſi quo Caſu in Conuictu S. Ignatii M. ſeu Collegio Wilhelmino ſubſiſtere non poſſent. Dicti autem monumenti ſequens eſt inſcriptio: SEMINARIVM. CLERICORVM. S. H. Q. VIVVS. INSTITVIT. FVND. DOT. QVIRINVS LEONINVS. BELGA. T. D. PROTONOTARIVS. SEDIS. APOSTOL. EPISCOPATVS RATISBON. PRAEPOSIT. ARCHIBR. VICARIVS GENE-

A.
RAL. ET. SER. BAVARIAE. DVCI. A. CONSIL. AN. IVBILAEO. M. 1589.
D. C. De cetero Idem *Leoninus* an. 1595. Theol. Doctor apud nos creatus, anno 1616. Societatem Iesu ingressus est, annos omnino sexaginta & octo natus; vixitque religiosissime ad annum vsque 1623.

Inter inscriptos hoc anno memorandi I. Duo *Quirini Leonini* agnati, *Hieronymus* & *Ioannes Arnoldus de Raedt*, Bommelienses Geldrii, ille Iurium postea apud nos Professor, hic Serenissimi ERNESTI Electoris Colonienſis in Episcopatu Frisingensi Consiliarius. II. *Henricus a Knöring*, Augustanus primum Canonicus, tum Episcopus ab anno 1598. ad annum 1646. quo longissimo regiminis sui tempore multis magnisque possessionibus, in Allmangouia præcipue Ecclesiam suam auxit.

Die 20. mensis Martii in medio Philosophiæ cursu morte sublatus est *Ioannes Perius* Physices Professor, vir optimus, & propter sinceritatem morum omnibus carissimus.

Collegii Georgiani Regens pro *Sixto Pachero* constitutus est *Sebastianus Dietericus* Acronianus, de quo ad an. 1591. redibit sermo.

Dissertationes iterum complures in lucem publicam typis euulgatæ sunt: vna philosophica *de Demonstratione*, a *Iacobo Gretscbero*; tres theologicæ, *de Restitutione*, *de Voto*, *de Iuramento*, a *Maierhofero*; quibus accessit quarta, *de Voluntate Dei*, a *Georgio Euerhardo*. *Gregorius de Valentia* scripsit *Examen mysterii Caluinistici*; idemque cum mense Octobri ad dies aliquot Dilingam excurrisset, Lauingæ cum Doctore *Hailbrunnero* de fructu bonorum Operum publice disputauit.

ANNO DOMINI M D XC.

A.
1590.

Rect. CCXXVII. ALBERTVS HVNGERVS, SS. Theol. Doct. &c. IV.
Rect. CCXXVIII. PETRVS STEVARTIVS, SS. Theol. Doct. & Prof. &c. IV.
Inscripti 221.

A.

1590. Princeps. FERDINANDVS, Archidux Auſtriæ &c.

Nobil. *Georg. Caſp. ab Orpienze.*
Ioan. Sigiſm. Stinglheymer.
Balthaſ. Schrottenbach, Sereniſs. FERD. Præfectus.
Albert. Zernoza, *Euſtach. Offenheymer* } Cubicularii.
Frideric Schrottenbach, *Chriſtoph. Dauid Vrſenbeck*, *Ioan. Franc. Herzencraft*, *Ferdinand. Muckenthaler*, *Caſpar Brainizky*, *Ioan. Georg. Kuen*, *Chriſtoph Guilielm. Parſperger*, *Hypolit. Wunle*, } nobil. Pueri Sereniſs. FERD.
Ioan. & Carol. Schrottenbach.
Ioan. Philipp. Ionas a Mittelsdorf.
Octauian. de Albertis, Landishut.
Ioan Bapt. de Schwarzenburg.
Wolfg. Wilhelm. Iahensdorfer, de Obernmitterhofen & Winkelhaim.
Georg. Chriſtoph. Heuſs ab Eiſſenheim.
Ioan Rydzynsky de Wierzbno, *Ioan. Sebotzky*, de Sobotho *Ioan. Goretzky* de Iahiemetz } Barones poloni.
Chriſtoph. a Brandiſs, Tirolenſ.
Ant. Chriſtoph. *Leonard. Chriſtoph.* } *Rhelinger*, Patrit. Auguſt.
Chriſtoph. a Braitten Landenberg, Sueuus.
Ioan. Georg. *Ioan. Chriſtoph.* } *a Weichs* in Weichs, Däſing & Griesbach.
Ioan. Albert. *Stephanus* } *a Seyboltsdorf* in Schenkenaw & Hergertshauſen, fratres.
Wolf. Chriſtoph. Schenk a Geyrn.
Albert. Welſer, Bauarus, Præfecti Pfaffenhof filius.
Ioan. Vitus *Ioan. Sigiſm.* } *Barones a Törring*, Dni. in Diſsling.
Petrus Bal, Dns in Hoczew, Baro polon.

Da-

A. 1590.

Daniel Lomaratius, a Domaratz, Pol.
Albertus a Muckenthal.
Ioan. Wilhelm. a Parſperg.
Ioan. Oſwald. Goret, a Seeburg.
Wolfg. Comes in Oettingen. Can. Eichſtad.
Vdalricus Comes in Oettingen.
Ioan. Rudolph. } *Barones Khuen*, fratres.
Ioan. Degenhard. }
Caſpar a Moſs, Lucernenſ.
Ioan. Pfiffer, Lucernenſ.
Balthaſar Barth.
Ioan. Georg a Roſſaw.
Ioan. Caſp. } *ab Oberſtein.*
Ioannes }
Wolfg. Chriſtoph. a Baumgarten de Fraunſtein.
Georg. a Hoonrod, Saxo.
Ioan. } *Gizyroa*, Barones poloni.
Nicol. }
Chriſtoph. Traskowitz, Capitan. Lanzelii, Baro.
Gerard. Sigiſm. a Löſchwitz, Franco.
Ioan. Adam. a Wolffſtein, Baro in ſuperiori Sulzbürg.
Ioan. Vdalric. a Wang.

Nou. Prof. *Michael Eiſelinus*, Gamundianus, S. I. SS. Theol. Doct. & Prof.
Henric. Caniſius Nouiomag. I. V. Doct. & SS. Can. Prof.
Ioachim. Denichius, Bruxellenſ. Inſtt. Prof. Ord.
Hubertus Gipbanius, Burenſ. Geldrius, I. V. Doct. & Prof.
Rupert. Reindelius, Paſſauienſ. S. I. Philoſ. Prof.
Chriſtoph. Zebentmarius, Halenſ. Tirol. S. I. Dialect. Prof.
Iacob. Gumpelzheimerus, Waſſerburg. Boi. S. I. Ling. Græc. Prof.

Ad anni huius initium Schola Ingolſtadienſis eum conſecuta eſt ſplendorem, quem, neſcio, an vlla in orbe Vniuerſitas vnquam habuit: aceeſſit ſcilicet ad tres Sereniſſimos Bauariæ Principes & Marchionem Badenſem, Academiæ noſtros alum-

A. 1590. alumnos, Sereniſſimus FERDINANDVS Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ &c, CAROLI Archiducis filius FERDINANDI I. Imp. & GVILIELMI Ducis Bauariæ ex ſorore nepos, atque ipſe poſtea Imperator Romanorum eius nominis ſecundus, cum plusquam viginti Nobilium comitatu. Hic cum die 6. Februarii a Sereniſs. & Magnificentiſſimo Vniuerſitatis Rectore PHILIPPO Duce Bauariæ & Epiſcopo Ratisbonenſi &c. albo academico inſertus fuiſſet, decima ſubin Martii, præuio examine, quod ipſe per horam ſubire voluit, ſcholam Humanitatis frequentare publice cæpit, in qua etiam duo minores natu Bauariæ Duces tunc verſabantur. Die 17. Septembris eiuſdem anni FERDINANDVS Archidux, cum nuncium accepiſſet de morte CAROLI, Parentis optimi, Ingolſtadio diſceſſit, relictis tamen Nobilium plerisque. Iamque Landishutum tenuit, cum acceptis a Sereniſſima Matre literis, redire ad ſtudia iuſſus eſt; qua ipſa in re ſumma Principis obedientia merito laudanda eſt; reuertentem enim paulo poſt cum gaudio recepimus.

Amiſimus vero ſequenti octobri menſe alia duo Academiæ ſidera, PHILIPPVM & FERDINANDVM Bauariæ Duces, qui Coloniam petierunt Vbiorum, moraturi illic ſtatuto a Canonibus tempore, quippe qui recens inter Canonicos archicathedralis illius Eccleſiæ aſſumti fuere. Pridie inuitati ad aulam Gymnaſii, comparuerunt perhumaniter; vbi Magiſtrorum vnus diſerta oratiuncula grates egit pro illuſtriſſimis induſtriæ & egregii profectus exemplis, quæ frequentando ſcholas, diſputando, perſonas etiam in ſcena repræſentando vniuerſæ iuuentuti imitanda crebro propoſuere. Magiſtrorum alius carmen propemticum ſubiunxit, quo & fauſtum iter digredientibus, & incolumem Coloniæ moram, & felicem in patriam reditum eſt precatus.

Reſtiterunt igitur in Academia CHRISTOPHORVS GVSTAVVS Marchio Badenſis, MAXIMILIANVS Dux Bauariæ & FERDINANDVS Archidux; atque hic quidem, cum Humanitatis, vt dictum, eſſet auditor, in feſto Natiuitatis Chriſti poſt veſperas in aula Gymnaſii longum carmen e memoria publice recitauit, præſentibus, quos dixi, Principibus, Rectore Magnifico, Profeſſoribus academicis, & Præfidii Præfecto Domino *a Polweil* &c.

Hae

A.

Hac in Academiæ noſtræ gloria ſubitus nos luctus occupauit; obiit enim in ipſa octaua feſti Corporis Chriſti MARTINVS *Schaumbergius* S. R. I. Princeps & Epiſcopus Eichſtettenſis, Vniuerſitatis Cancellarius VI. Princeps laudatiſſimus, & Ducibus Bauariæ in primis carus, a quibus ſæpe Monachium Ingolſtadiumque eſt inuitatus. Nos exequias Eiuſdem celebrauimus die 11. Iulii in æde D. Virginis. Succeſſor Eidem datus eſt CASPARVS *Seckendorfius*, Cancellarius Academiæ VII. 1590.

Inter recens Academiæ adſcriptos, multi hoc anno inſignesque viri ac iuuenes: I. *Stephanus a Seyboltsdorf* friſingenſis poſtea Epiſcopus ab anno 1612. ad 1618. II. *Albertus a Muckenthal* poſtea Eques Melitenſis, Commendator Mogunt. & Sereniſs. Ducis Bauar. ALBERTI Magiſter Stabuli. III. *Henricus Caniſius* Nouiomagenſis I. V. Doctor, *Petri Caniſii* Theologi quondam noſtri ex fratre nepos: Hic Iurium ſcientiam in Louanienſi Academia edoctus, die 9. Febr. ad lectionem Canonum in hac noſtra Vniuerſitate aſſumtus interea eſt, quaſi ad capiendum de illius habilitate experimentum. Menſe dein Iulio, cum de accomodanda his prouinciis pronunciatione vocis admonitus eſſet, in annum integrum Iuris canonici Profeſſor conſtitutus eſt, promiſſo trecentorum florenorum ſtipendio. Anno ſequenti, adiectis aliis centum florenis, ad Facultatem conſultiſſimam receptus, atque in omnes Canonum Profeſſoris prærogatiuas immiſſus eſt. IV. *Ioachimus Denichius* Bruxellenſis, iam ante decennium albo noſtro inſcriptus, hoc demum anno, die 24 Maii, ordinarius Inſtitutionum Profeſſor deſignatus eſt, hac quidem conditione, vt eius ſocerus, Doctor *Lagus*, lectione iuridica & media annuæ penſionis parte cederet, centum videlicet florenis; quibus alii centum additi, noui Profeſſoris ſtipendium conficerent; quod tamen altero mox anno ad trecentos auctum eſt. V. *Hubertus Giphanius* Burenſis Geldrius menſe Nouembri ad Iuris ciuilis cathedram ea conditione admiſſus eſt, ſiquidem & in religione, (*Lutherum* enim ſecutus fuerat) & in reliquis omnibus ſecundum Vniuerſitatis ſtatuta viuere vellet. Docuerat antea *Giphanius* Philoſophiam Argentorati, Altorfii vero Iurisprudentiam, iamque editis etiam libris inter eruditos notus. VI. *Conradus Rittershuſius*, elegantior Philologus, neſcio, an lctus

A.
1590. grauior. Hic abſoluto iam apud Helmſtadienſes atque Altorfinos Iuris curriculo, *Giphanium* ſecutus, ad noſtram hoc anno Academiam acceſſit, *Fachinæum* etiam noſtrum auditurus. Anno ſequenti Baſileæ Iuris Doctor, ac paulo poſt Inſtitutionum Imperialium Profeſſor Altorfii ſalutatus eſt; vbi & anno 1613. obiit, relicto filio *Nicolao*, qui & ipſe magnum inter eruditos nomen ſibi comparauit. VII. *Raymundus Mindererus* Auguſtanus, magni poſtea nominis Medicus, atque editis etiam libris clarus.

Ex Profeſſorum noſtrorum numero mors vnum die 26. Ianuarii in flore ætatis eripuit *Guilielmum Euerhardum*, *Nicolai* filium, per annos ſeptem Iurium Profeſſorem.

E theologica Facultate abiit *Laurentius Eiſzephius* Caſuum Conſcientiæ Profeſſor, & Parochus academicus, ad Suffraganei munus Eichſtadium vocatus, impetrata prius venia a Sereniſs. Duce noſtro, cuius quondam alumnus fuerat. Conſecratus eſt Epiſcopus Philadelphienſis in Dominica *Lætare*, quæ tunc fuit prima dies Aprilis. Caſus Conſcientiæ eius loco profiteri cæpit *Chriſtophorus Marianus*, Ethices antehac Profeſſor; Parochiam vero D. Virginis adminiſtrandam ſuſcepit *Ioannes Riepelius* Monacenſis, SS. Theol. Licentiatus, Parochus, inde a conſtituta illa Eccleſia XXV. academicus vero XXI.

Die 25. Aprilis eiuſdem anni conuenere Theologi noſtri ac Iurisconſulti, vt audirent Doctorem *Petreum*, qui nomine & auctoritate Sereniſs. Ducis noſtri in cauſſa maleficarum, ſiue ſagarum, quas vocant, varias quæſtiones proponebat, ad quas reſponderi ſibi communibus illorum ſuffragiis petebat. In conuentu ſequentis diei, cum ſinguli, quid de propoſitis quæſtionibus videretur, in commune contuliſſent, *Gregorio de Valentia* committebatur negotium, vtriuſque Facultatis nomine vt ſcriptum quoddam conficeret. Quod cum ille præſtitiſſet, die 28. eiuſdem menſis in pleno omnium conſeſſu, præſente etiam *Petreo*, prælectum, omniumque ſententia probatum, & ad Principem tranſmiſſum eſt. Sub finem Septembris miſſæ ſunt de eodem argumento a Sereniſſimo Duce ad Facultatem theologicam literæ, vt ſcriptum vernaculum conficeret, quo maleficarum technæ, ſceleris grauitas, pœnæ &c. deſcriberentur. Facultatis conſenſu rogatus eſt *Chriſtopborus Marianus*, vt ſermonem

A. 1590.

nem, quem ſuperiori æſtate in Templo S. Mauritii de eadem materia habuerat, petitioni Sereniſſimi Principis accomodaret.

Iacobus Gretſcherus geminas hoc anno inſtituit Diſputationes philoſophicas, quarum altera præcipue memorabilis eſt, quod defendentium ſpartam ſuſtinuerint tres ex præcipuis Bauariæ Monaſteriis Religioſi; *Ambroſius Mandlacherus* O. S. B. ex Sanctemmeramiano, *Matthias Hirſchauſerus* eiuſd. Ord. ex Benedictoburano, & *Ioannes Molitor* ex Scheftlarienſi. Franciſcani quoque huiates, qui anno ſuperiore Academiam deſeruerant, Doctore priuato vſi, *Gotthardo* ſcilicet *Montino* Italo, Profeſſores iterum publicos, tam Philoſophos, quam Theologos audire cæperunt. Quatuor inter candidatos, quos ſibi hoc anno Patres Societatis ex noſtra Academia ſelegere, memorandus præcipue venit *Wolfgangus Schönslederus* Monacenſis, latinæ poſtea ac græcæ literaturæ magnum decus, quod editi ab ipſo libri teſtantur.

ANNO DOMINI M D XCI.

A. 1591.

Rect. CCXXIX. HENRICVS CANISIVS, Nouiomag. I. V. Doct. & SS. Canonum Profeſſor.

Rect. CCXXX. IOANNES RIEPELIVS, Monacenſ. SS. Theol. Licent. & Profeſſor.

Inſcripti 246.

Nobil. *Carol. Neuſtetter*, dictus *Stürmer*, Franco.
Ioan. Zebrzidowski, Palatin. Caliſs. Baro a Wienzberg, Polon.
Ioan. Carol. Casler de Boymund.
Ioan. Reinard., *Hannibal*, *Chriſtophorus* } *a Schawenburg*, fratres.
Ferdinand. Schurph.
Hannibal, *Marc. Sitticus* } *ab Herlinbergh*, fratres, Sueui.
Ioan. Ortolph. a Peffenhauſen.

A. 1591.

Ioannes Iac. } Remboldt, Patrit. Auguſt.
Carolus, }
Sebaſtian. Root, Patrit. Auguſt.
Georgius a Sandizell.
Carol. Fuchs, Tirolenſ.
Euerhard. } *a Gemmingen*, Sueui.
Ioan. Guilielm. }
Petrus Criskei de Drobum &c. Baro polon.
Gebhard Truchſeſs, *Baro in Walpurch.*
Ioach. Chriſtoph. Baro in Merſperch & Peffort.
Nicol. Füger, Tirolenſ.
Guilielm a Waldſtain, L. B. a Waldſtain in Branna & Stiepanitz, Bohem.
Wenceslaus a Flieſſenbach, Bohem.
Georgius } *Barones a Gumpenberg*, fratres.
Ioan. Adam. }
Ioan. Paul. a Liechtenſtein, Tirol.
Franc. de Vienne Baro de Clerautz.
Ioan. Albert. a Wolfſtein, Baro in ſuperiori Sulzbürg & Bierbaum.
Hieronym. a Rockenbraun, Trident.
Frideric. Ilſung, Patrit. Auguſt.
Ericus Finkler ab Aichhauſen.
Pancrat. Prew a Gäſslberg & Azlburg.
Ioan. Vlric. Spett a Zwifalten.
Marcellus, } *Auguſtini*, Barones Senenſes.
Aſcanius, }
Eitel Wolfg. a Stain.
Mich. Erneſt. Freytag a Schönleuten.
Ioan. Baro Sobiekurski de Sobiekursko.
Ioan. Tuicius de Tuiczna, Can. Olomucenſ.
Ioannes, } *Paulouii* de Paulouicz, Moraui, fratres.
Stanislaus }
Wenceslaus Kamiensky, de Kamieniecza, Sileſius.

Non. Prof. *Ioannes Riepelius*, Monacenſ. Paroch. ad D. Virg. SS. Theol. Prof.
Ioannes Sallerus, Duzingan. Bauar. S. I. Phil. Prof.

Ad

A. 1591.

Ad huius anni initium, die videlicet 23. Ianuarii Vniuerſitas conuiuio magnifico excepit Sereniſſimos Principes MAXIMILIANVM Ducem Bauariæ, Inſtitutionum Iuris ac Ethicæ ſtudioſum, & FERDINANDVM Archiducem Humanitatis auditorem in ædibus *Schoberinæ* viduæ. Interfuere Patres academici omnes, ac præter hos *Rudolfus a Polweil* Præſidii Præfectus, *Fiebeckius* Quæſtor ducalis Monacenſis, Prætor vrbis & Senatores præcipui. Soluto prandio Principibus gratias egit in ipſo conuiuii loco *Vitus Schoberus* Iurium Profeſſor, cui nomine Principum reſpondit D. *Ficklerus*, Sereniſſimi MAXIMILIANI Præceptor domeſticus.

Idem Princeps MAXIMILIANVS, cum quadriennio fere Ingolſtadii eſſet commoratus, ac Iurisprudentiam domi Præceptore *Ficklero* magnæ probitatis ac doctrinæ viro; Ethicam vero in publica Academiæ ſchola eximio cum profectu didiciſſet, die 3. Aprilis Monachium rediit, adhibendus ſcilicet a Sereniſſimo GVILIELMO Patre arcanis conſultationibus, audiendis, dicendisque ſententiis, & tractandis grauiſſimis quibuſque negotiis. Verum nemo dolenter magis MAXIMILIANI abitum ferebat, quam FERDINANDVS Archidux; ſcilicet cum indolis ſimilitudo, ac par virtutis ſtudium intimam ambos inter amicitiam fundaſſet, ægre ab ſe inuicem auellebantur. Sed nouerat ſibi diligentiſſimus Princeps FERDINANDVS ex ſuis ſtudiis doloris leuamentum eruere; cum enim ex Poeſi ad Rhetoricam non ſine publico diligentiæ præmio aſcendiſſet, ter omnino, in totidem ſcilicet præcipuis Seruatoris noſtri celebritatibus coram tota Vniuerſitate exquiſite prorſus declamauit. Cumque præter oratoriam artem Inſtitutiones etiam Dialecticæ publicis in lectionibus audiret, dedit & huius facultatis ſpecimen perquam egregium, cum propoſitas *de Modis diſſerendi* theſes, quæ publice in Academia diſputabantur, argumentando oppugnauit ſumma cum laude, & omnium auditorum voluptate.

Ex magno inſcriptorum numero ſpeciatim notari merentur I. *Conradus Agricola* Wengenſis, & *Ioannes Hülzius* Landishutanus, ambo hic ad ſpecioſam Virginem poſtea Parochi. II. *Xiſtus Schneiderus*, alias *Sartorius* Onoldinus Franco, ab *Alberto Hungero*, cognato ſuo ad religionem catholicam conuerſus, ac

A.

1591. Canonicus poſtea Paſſauienſis. III. *Ioannes Chryſoſtomus Huttlerus* Monaſterii Andecenſis ſiue Montis ſancti Profeſſus, ac poſtea ibidem Abbas.

Ad Facultatem theologicam duo recepti ſunt noui Profeſſores, *Ioannes* ſcilicet *Riepelius*, Parochus academicus ad lectionem Theologiæ ſcholaſticæ, ſub ea quidem conditione, ſi ſatisfaceret muneri huic & expectationi de ſe conceptæ; & *Chriſtophorus Marianus*, Ethices antehac Profeſſor, ad Theologiam caſuiſticam, vt vocant. Fuit is primus e Patribus Societatis, cui hæc lectio tradita eſt a Sereniſſimo Duce GVILIELMO: tres habuit lectiones quauis hebdomade, & quartæ loco inſtituit repetitionem, magno auditorum emolumento.

Gregorius de Valentia iuſſus eſt hoc anno Sereniſſimum Ducem GVILIELMVM comitari, ad thermas Würtenbergicas proficiſcentem; vbi aliquoties præſentibus Principibus cum Præconibus lutheranis diſputauit. Mirum, quam ſolicite religioſiſſimus Dux omni occaſioni inuigilauerit prædicandæ, propagandæque veritatis catholicæ.

Sebaſtianus Dietericus Conſtantienſis, I. V. Doctor & Collegii Georgiani Regens, inter Tyrones Patrum Societatis adlectus eſt hoc anno, petita prius a GVILIELMO Duce, & obtenta facultate ſuo ſeſe munere abdicandi. Vxorem duxerat *Dietericus* abſoluto Iurium ſtudio; ſed ea paulo poſt extincta, ſtatum ſacerdotalem amplexus, & Collegio noſtro Georgiano poſt *Sixtum Pacherum* præfectus eſt. Eo in munere cum aliquamdiu pie diligenterque verſatus eſſet, accidit, vt *Caſparum Stauderum* Acronianum, popularem ſuum, Collegii Societatis Procuratorem, videret ad tumulum deferri. Tantum valuit triſte hoc ſpectaculi genus in eius animum, vt mox ſecum ſtatueret omnibus valedicere terrenis, & Societatem ingredi. In regimine Collegii Georgiani ſucceſſit *Ioannes Cholinus* Colonienſis, Illuſtriſſimi Marchionis Badenſis Moderator.

Floruit hoc præcipue anno Collegium Wilhelminum, quod centenos omnino & triginta conuictores numerauit.

AN-

A. 1592.

ANNO DOMINI M D XCII.

Rect. CCXXXI. PETRVS STEVARTIVS &c. V.
Rect. CCXXXII. IOAN. FRIDERIC. COMES A SCHWARZENBERG L. B. in Hohenlandsberg, Dominus in Wiſenfelden &c. Canonic. Paſſauienſ.
Prorect. *Petrus Steuartius* &c.
Inſcripti 235.

Nobil. *Nicol. Chriſtoph.* } Komorowski, Comites poloni, cum
Petrus — — } aliis quatuor ad eorum familiam pertinentibus.

Ioan Ladislaus } *Barones Burggrafii a Dobna.*
Fridericus }

Wolfg. Sigiſm. Rainer a Lauffenbach, Bauar.
Ioan. a Lobenſtein, Can. Olomucenſ. Prutenus.

Ioan. Barthol. } *Barones de Haugwitz*, Moraui.
Alexand. Iodoc. }

Caſpar. a Flieſſenbach, Bohem.
Albert. Pietipesky, a Chiſſeh, Bohem.

Ioannes, }
Sebaſtian. }
Valentin. } *Rimer*, Cracouienſ.
Stanislaus }

Petrus Reiff a Mide & Willarſee, Friburgenſ.
Ioan. Emeram. ab Eck.
Ioan. Vdalric. a Königseck.
Ioan. Frideric. Hundbiſs a Waldrams.
Eleriadus Baro a Vergy, Comes a Champlite.
Carol. Emanuel de Marmier, Comes de Sallenoue, Baro de Marlem, Burgund.
Scipio Coll'altiet, Sancti Saluatoris Comes.
Fridericus a Saliche, Griſo.
Ioan. Chriſtoph. Cloſen ab Arnsdorf & Gendolfing.
Balthaſ. Langenmantel, Patrit. Auguſt.

Marquard. } *a Schwendi.*
Euerhardus }

Ioan. Vdalric. Ilſung.

Ioan.

A. 1592.

Ioan. Wolfg. Haunold a Mörwang.
Chriſtoph. } *Viebeck* in Habelſpach & Hamhauſen,
Ioan. Wolfg. } filii Quæſtoris Monacenſ.
Petrus Recordin, Tirolenſ.
Bartholom. Rölner a Zinnendorf.
Chriſtoph. Recordin a Neyn, Tirolenſ.
Andreas }
Paulus } *Pourdelet* a Madian, Lotharing.
Ioannes }
Ioan. Felix Schertel a Binſwang.
Ioan. Thomas Cored, Tirolenſ.
Chriſtoph. Fugger, *Octauiani* Comitis filius.
Sebaſtian. Saurzapf ab Holnſtein, Palat.
Rudolph. Wink, Oſnabrugenſ.

Nou. Prof. *Iacob. Gretſcherus*, Markdorfenſ. S. I. SS. Theol. Doct. & Prof.
Cornel. Adrianſen, Antwerpienſ. S. I. Prof. Matheſ. & Ling. Hebr.
Ioan. Leinberer, Markdorfenſ. S. I. Prof. Dialect.
Rudolf. Mattmann, Lucernenſ. S. I. Prof. Rhet. & Ling. Græc.
Adam. Higinius, Anglus, S. I. Prof. Log.

FERDINANDVS Archidux eadem felicitate in rhetoricis ac dialecticis hoc anno perrexit, qua ſuperiore cæperat. In die ſacro Pentecoſtes iterum declamauit præſente tota Academia. Finita Oratione ſex adoleſcentes geniorum habitu Oratorem carmine ſapphico ad muſica inſtrumenta cantato exceperunt, laudarunt, & ſertum ex floribus vernalibus eius capiti impoſuerunt. Dici non poteſt, quo affectu Gymnaſii adoleſcentes hunc ſuum Iuuentutis Principem proſecuti ſint, quamuis ab illo vt ſtemmatis maieſtate, ita diligentia, granitate morum, obſeruantia & pietate ſuperari ſe cernerent. Dies erat 13. Iunii, D. Ferdinando ſacra, cum in ſchola Rhetorices tapetibus & affixis paſſim emblematis ornata, nobiliſſimi ex ſingulis claſſibus adoleſcentes comparuere, qui Sereniſſimum Archiducem carminibus, oratione, atque etiam muſica ſalutarunt. Illud ſingulare eſt, quod ſub tempus autumnale, quo iuxta morem

A.

rem Gymnaſii annui progreſſus tentamina inſtitui ſolebant, Ipſe 1592.
quoque FERDINANDVS Archidux tribus examinatoribus ſiſtere ſe voluerit, atque ita ex rhetoricis dialecticisque præceptionibus reſponderit promte ac integre per horæ ſpatium, vt ſuis condiſcipulis præmium ſtrictiſſimo iure præripuerit; quod Eidem publico in theatro datum fuit magno cum laudum præconio & omnium ſpectantium approbatione. Talis cum eſſet FERDINANDVS Princeps, circa feſta Lucalia auſpicatus eſt ſtudia ſeuiora; & quidem publicis lectionibus collegia politica ſibi duxit audienda ſub *Reinero Fabricio* ab Oratoria ad Ethicam translato; priuatim vero Matheſin Præceptore *Chriſtophoro Silberhornio* Collegii Wilhelmini Regente hoc & ſequenti anno didicit. Domi exercitationes repetitionum & diſputationum non omiſit; quam ad rem e Collegio Societatis ſubmitti ſibi voluit quoſdam Philoſophiæ ſtudioſos, quibuscum concertaret: fuit in eo numero præter alios *Adamus Tannerus*, clarus poſtea in hac Vniuerſitate Theologiæ Profeſſor.

Floruit vero reliquum etiam Pædagogium inprimis nobilitate; numerauit enim Barones quindecim & quatuor Comites, e quorum numero vnum ſibi Academia delegit, Rectoris dignitate condecorandum, *Ioannem* ſcilicet *Fridericum Comitem Schwarzenbergium* &c. Ceteros inter præcipue memorandi I. *Ioannes Stuberus* Lipeltshofienſis ex ditione Eichſtettenſi, Imperialium poſtea Inſtitutionum apud nos Profeſſor. II. *Bernardus Moſmiller* Pruckenſis duorum *Schwendiorum* Præceptor, poſtea I. V. Doctor & Sereniſs. Bau. Ducis Conſiliarius; inde translatus ad Conſilium intimum Com. Palat. Ducis Neoburg. cuius etiam Vice-Cancellarius fuit; demum ab ipſo Imp. FERDINANDO ad Conſiliarii munus vocatus.

Gregorius de Valentia ſcriptionibus diſtentus, a publicis hoc anno lectionibus ceſſauit; in eius vero locum ad docendi munus ſuffectus eſt *Iacobus Gretſcherus*, Theologiæ Licentiatus eodem anno creatus cum *Petro Bacherio*, qui hinc Dilingam abiit ad Theologiam explicandam, & *Ioanne Cholino* Georgiani Collegii Regente.

A. 1593.

ANNO DOMINI M D XCIII.

Rect. CCXXXIII. HENRICVS CANISIVS I. V. D. &c. II.
Rect. CCXXXIV. PETRVS STEVARTIVS SS. Theol. D. &c. VI.
Inſcripti 256.
Princeps, ALBERTVS Dux Bauariæ, Sereniſs. GVIL. filius.
Nobil. *Ioan. Chriſtoph. a Parsberg.*
Otho Henric. Balduinus a Leen (de Leonibus) Badenſis.
Vitus Krel a Grimmenſtain, Auguſtan.
Ioan. Gregor. Heydenbücher a Kauffringen.
Philipp. Greiffenklaw a Volrad.
Fabritius Mattheius, Foroliuienſ.
Andreas Vrſinus, Foroliuienſ.
Balthaſar, *Franciſcus* } *Cararii*, Baſſanenſ. Ital. fratres.
Ioan. Ludouic. Traner, Landishut.
Iacobus, *Georgius* } *Cuberti*, Norman.
Claudius Grulardus, Monuillæus, Norman.
Andreas, *Carolus*, *Philibert* } *Meurier.*
Nicolaus Vrſinus Comes de Blagai.
Ioan. Ludouic. a Knöring.
Georg. Frideric. a Moſmann, Onolzbacenſ.
Georg. Hund a Lauterbach.
Ioan. Chriſtoph. Kruſig, Phorcenſ.
Wolfg. Henric. a Sirgenſtein, Acronian.
Wolfg. Chriſtoph. Oettinger a Camereck.
Carol. Fuggerus Baro in Kirchberg & Weiſſenhorn *Philippi* ſenior. filius.
Georg. ab Eſpelbach, Haslingenſ. friſius.
Ioannes, *Hieronym.* } *Fuggeri*, Barones in Kirchberg & Weiſſenhorn, *Iacobi* filii.
Franc. a Lemath, Monaſterienſ.
Ioan. Chriſtoph. Zobel a Gibelſtatt.

An-

A. 1593.

Anton. Gatinoys, Lotharing.
Michael, *Conſtantin.* *Alexander* } fratres *Korniatky*, Barones poloni, cum 4. nobil. famulis.
Ioan. Chriſtoph. Lutz a Riſmansdorf.
Martin. Ludouic. a Remchingen.
Leonard. Im Hoff, Patrit. Auguſt.
Ioan. Frideric. a Salis, Griſo.
Wolfg. Hofer ab Vrfarn & Romeck.
Wolfg. Conrad. a Rechberg ab Hohenrechberg &c. Sereniſs. Bau. Ducis GVIL. Cubicularius & Conſiliarius, Sereniſsimorum PHILIPPI, FERDINANDI & ALBERTI ſupremus Aulæ Præfectus.

Alphonſus Comes a Portia.
Carolus a Freyberg.
Wilhelm. Leo a Rechberg &c.
Wolfg. Wilh. Hund a Falkenſtein.
Ioan. Philipp. a Gregersdorf.
Ioan. Gebhard. a Ratzenried.
Wolfg. Simon a Römerſtal.
Carolus a Raigecourt.
} Nobiles Pueri Sereniſs. Principis ALBERTI.

Ioan. Georg. Dänzel.
Hieron. Wolff, cognominatus *Metternigh.*
Bernard. ab Aldenbrugh, cognom. *Feldbrugh*,
} Nob. Serm. Princip. Eccleſiaſticor.
Iodocus ab Au.
Nicaſ. Otto Henric. *Ioann. Georg.* } *Magensreitter* in Teiſſling.
Ioan. Chriſtoph. a Leibelfing.

Nou. Prof. *Caſpar Torrentinus*, Mindelalthem. Sueu. S. I. Prof. Caſ. Conſc.
Ioannes Appenzeller, Aichacenſ. Boi. S. I. Prof. Matheſ.
Georg. Mayr, Rhainenſ. Boi. S. I. Prof. Ling. Hebr. & Græc.

Circa verni ieiunii initium h. a. ſingularis quædam Religionis noſtræ cerimonia Ingolſtadii peracta eſt: *Ioannes Boghe-rinus* Sereniſsimi Archiducis FERDINANDI Præceptor & Theologus, Epiſcopus Tergeſtinus nuper deſignatus, ipſa Dominica

A.
1593. *Inuocauit*, in Templo S. Crucis, consuetis ritibus Episcopus inunctus & consecratus est. Aderant huic actui, seu præerant potius tres Episcopi suffraganei, Eichstettensis scilicet, Ratisbonensis & Augustanus, quorum prior ea occasione sacros minores Ordines contulit nobili ac generoso adolescenti *Ioanni Pourceleto* (al. *Pourdeleto*) Lotharingo, Gubernatoris Tullensis filio; Confirmationis vero Sacramentum generoso & illustri adolescenti *Ottoni Henrico Comiti de Schwarzenberg*, Vicedomini Straubingensis filio, cui ipsemet Serenis. Archidux Patrini officium præstitit.

Sub autumnum huius anni Ratisbonam profectus Serenis. Archidux, PHILIPPVM ibi Episcopum, & FERDINANDVM eius fratrem, Bauariæ Duces, nuper in patriam reuersos, salutaturus. Rediit dein mense Octobri cum his ipsis ad Academiam, accedente etiam fratre eorum natu minimo ALBERTO, qui Grammaticam publice frequentauit, præceptore simul vius domestico *Georgio Iobstio* Norico, Serenis. Ducis GVIL. Consiliario aulico. PHILIPPVS & FERDINANDVS priuatim audire cursum philosophicum cæperunt *Matthia Maylio* præceptore, quis bis diebus singulis e Collegio Societatis in arcem descendit. Frequenter tamen sabbatinis, vt vocant, disputationibus interfuere, quemadmodum & aliis solennioribus concertationibus. Priusquam tamen suæ eruditionis publicum specimen darent, quod deinceps frequenter & cum eximia laude, Philosophorumque omnium ingenti gratulatione factitarunt, repetendo, disputandoque in Collegio Societatis diligenter sese exercuerunt.

Habuimus vero paulo post aduentum Serenis. Bau. Principum sacram quamdam solennitatem, quæ saltem ex parte Academiam attingit. Attulerant secum Colonia PHILIPPVS & FERDINANDVS pretiosum SS. Reliquiarum thesaurum, de corporibus maxime SS. Martyrum Treuirens. & S. Vrsulæ ac Soc. MM. Magnam illarum partem Dux GVILIELMVS huiati S. Crucis templo donauit. Ipsa igitur D. Vrsulæ festa die in illud illatæ sunt solenni supplicatione, quam quatuor nostri Principes, & Patres academici, cum Aulicis & nobilissimis quibusque permixti comitabantur, faces manu præferentes. Peracta re sacra Ba-

uari

uari Principes Sereniſſimum inprimis Archiducem, dein viros alios auctoritate præcipuos ſplendidiſſimo conuiuio excepernnt. A. 1593.

Sereniſſimus Princeps MAXIMILIANVS cum hoc anno peregrinas luſtraret prouincias, atque Pragam inprimis, deinde Romam, ac denique Lotharingiam inuiſeret, volente GVILIELMO Patre, *Gregorium de Valentia* veteranum apud nos Theologiæ Profeſſorem comitem habuit; qui tamen poſt quartum fere menſem ad nos reuerſus eſt.

Referunt acta Vniuerſitatis ad hunc annum, hebraicarum literarum cognitionem, quæ ab aliquot annis fere neglecta iacuerat ob auditorum paucitatem, magna cepiſſe incrementa; cum duodeni ex ſecularibus Theologiæ auditoribus magno ardore ad illud ſtudii genus animum applicarent, ac breui tempore proceſſus facerent non pœnitendos, opera maxime *Georgii Mayeri*, qui eam Lectionem hoc anno pro *Cornelio Adriani* ſuſcepit. Hic nempe eſt *Mayerus* ille, Raina Bauariæ oppido oriundus, quem an. 1583. e Schola noſtra ad Patres Societatis tranſiiſſe ſcripſi. Ad linguam quoque Græcam non parum adiumenti attulit Opus Inſtitutionum Grammaticarum, a *Iacobo Gretſchero* in gratiam iuuentutis eodem anno editum.

Rigoris ſcholaſtici exemplum ſane luculentum edidere hoc anno Patres academici, in concilio pleno die 11. Septembris congregati, cum inter alia concluderent, vt ſingulis menſibus conuenirent quatuor Facultatum Decani, vocatosque, qui negligentiores in quauis diſciplina inuenti fuiſſent, primo monerent; dein, ni ſeſe emendarent, coniicerent in carcerem; denique expellerent ab Academia. Actum præterea de antiquo iure Facultatis Artiſticæ; cum enim quereretur Decanus, multa paſſim carmina imprimi ſine ſuo præſcitu, reſponſum eſt a Concilio, id deinceps non ferendum, ſed monendos eſſe, puniendosque Typographos, ſi quidquam in poſterum ſine debita licentia imprimere auderent.

Eodem anno per clementiſſimum Sereniſſimi Ducis decretum liberata eſt Facultas Philoſophica a *ſpeciali* cura & inſpectione Collegii Georgiani, quæ hactenus eidem incubuerat, & a qua eximi ſupplici libello petierat. Translata vero eſt ea ſpecialis inſpectio in totam Vniuerſitatem, reſeruato tamen

A. 1593. Facultati Philoſophicæ iure præſentandi ad ſtipendia & Beneficium Sacelli S. Catharinæ, item conſultandi cum reliquis Academiæ Patribus de eiuſdem Collegii Georgiani rebus & negotiis.

Collegium Wilhelminum ſeu Conuictus S. Ignatii M. quadraginta numerauit & centum incolas, non natalibus tantum, ſed multo magis pietate ac morum integritate florentes.

Præter libros alios hic typis excuſos, edidit Doctor *Steuartius* Apologiam pro Societate Ieſu, contra *Polycarpum Leiſerum*, ſeu *Eliam* potius *Haſenmillerum* Nördlingenſem Artium Magiſterio anno 1582. apud nos inſignitum, atque eodem anno Societatis Ieſu Nouitium, poſtea religionis deſertorem.

A. 1594.

ANNO DOMINI M D XCIV.

Rect. CCXXXV. GEBHARDVS S. R. I. Dapifer hæredit. BARO DE WALDBVRG &c.

Prorect. *Petrus Steuartius* &c.

Rect. CCXXXVI. IOANNES CHOLINVS, Colonienſ. SS. Theol. Licent. Regens Colleg. Georg.

Inſcripti 309.

Nobil. *Adamus Gros* a Trockau, Can. Bamberg. & Wurceburg.
Ioan. Ludouic. a Pienzenaw, in Fortenöck & Altenpeurn.
Ioan. Chriſtoph. a Preyſing in Huebenſtein, poſtea Vicedom. Landishut.
Chriſtoph. Recordin a Nein, Tirolens.
Georg. Berchtold. ab Almenhofen.
Ludouic. de Honffencourt, Pariſin.
Georg. Guilielm. } *de Hegnenberg*, fratres.
Ioan. Frideric. }
Ioan. Albin. Schlick, Comes a Pauſſan, Baro de Weiskirch, Dominus in Duppau & Falkenaw.
Beatus } *a Schauenburg.*
Melchior }
Samuel Stettner, Viennenſ. Auſtriac.
Nicolaus Papky, Saxo.

A. 1594.

Albert. } *a Lerchenfeld.*
Chriſtoph. }
Georg. Vogelmeyer.
Ferdinand. Meurier.
Sixtus Wernerus Vogt de Alten Sumerau a Praſperg, Can. Conſtant. & Auguſt.
Ioan. Bapt. Groſsſchedel, Ratisbonenſ.
Ioan. Chriſtoph. } *Fuchs* de Fuchsberg, Bar. in Leben-
Georg. Sigiſmund. } berg, Freidenſtein Tauffenburg & S. Valentin. Tirol.
Wilhelm. Preiſinger a Preiſing.
Gregor. Bornemiſſa, Tranſyluan.
Chriſtoph. ab Aw in Newhauſen, Can. Auguſt.
Iacob. Reibing, Patrit. Auguſt.
Ioan. Vdalric. a Zeilhofen.
Hugo ab Halweil.
Hermannus } *Salburger* ab Achberg, Auſtriac.
Ioan. Henric. }
Ioachim. von der Oſten, Pomeran.
Ioan. Adam. } *Riederer*, Auſtriac. fratres.
Georg. Agathus }
Ioan. Iac. Ilſung, Patrit. Auguſt.
Carol. Erneſt. a Linden.
Marc. Chriſtoph. Gugel, Patrit. Norimberg.
Ioan. Bernard. Hellenberger a Moſtorf.

Nou. Prof. *Andreas Syluius*, S. I. Prof. Caſ. Conſc.
Hieronym. Rathius Bomelan. Geldrius, I. V. Doct. & Prof. Inſtt.
Georg. Agricola, Füſſenſ. Algoius, S. I. Prof. Ling. Græc.

Inter inſcriptos, qui ſolito plures fuere hoc anno, præcipui ſunt I. *Sixtus Wernerus Vogt de Alten-Sumerau* &c. Epiſcopus poſtea Conſtantienſis, quam tamen dignitatem duobus tantum annis tenuit, præmatura morte ereptus anno 1628. II. *Leo Menzelius*, *Philippi* noſtri filius, poſtea Theologiæ apud nos Profeſſor, & Vniuerſitatis Procancellarius. III. *Bartholomæus Richel*, Salmerſtettenſis, poſtea Sereniſs. Ducis MAXIMILIANI Vicecancellarius.

Ve-

A. 1594. Venerati ſumus hoc anno Viros Principes complures, qui ſcilicet ad Imperii Comitia Ratisbonam profecturi hac tranſibant. Fuit hos inter Sereniſs. Dux Würtenbergicus; qui cum non Academiam tantum, ſed ipſas quoque Pædagogii ſcholas luſtrare dignaretur, a nobili quodam adoleſcente in aula Gymnaſii carmine honorario ſalutatus eſt, quod ille humanitatis exhibitæ genus ſummopere probauit, dilaudauitque.

Ad eadem Comitia ex noſtra etiam Vniuerſitate abierunt *Gregorius de Valentia*, & *Chriſtophorus Marianus*; quorum ille latino ſermone, magno ſemper concurſu Procerum, & in ipſius Legati Apoſtolici præſentia; hic in templo D. Pauli lingua vernacula concionatus eſt. *Gaſpar* etiam *Torrentinus*, quem ſuperiore primum anno lectioni Caſuum Conſcientiæ admotum diximus, Academiæ valedixit, euocatus Monachium, vt Sereniſſimo Duci GVILIELMO a ſacris confeſſionibus eſſet. In eius cathedram ſucceſſit *Andreas Syluius*.

Nouum Inſtitutionum Iuris Profeſſorem die 25. Iulii accepimus *Hieronymum Ratbium*, centum florenorum ſtipendio eidem conſtituto. Doctori *Lago* liberum relinquebatur, vtrum habere lectiones publice vellet; intereſſe tamen conſultationibus iubebatur. *Henrico Caniſio* conceſſi centum floreni pro auctario ſtipendii, prærogatiua item anteceſſionis, vt aliis Canonum Profeſſoribus. Dedit hoc anno eadem Facultas Iuridica Ordini Ieſuitarum inſignem Iuris Candidatum, *Paulum Laymannum*, Oenipontanum, cuius nomen inter Canoniſtas ac Theologos hodiedum cum laude celebratur.

Illud quoque ad hunc annum mentione dignum, quod ex Sereniſſimi Principis noſtri voluntate, & Epiſcopi conſenſu factum ſit, vt ducenti floreni annui ex cenſibus S. Saluatoris in Bettbrun applicarentur Seminario pauperum ſtudioſorum, qui ad ſtatum eccleſiaſticum aſpirant; vt Dialectica, & difficiliorum Caſuum ſcientia imbuti, præfici aliquando poſſint parochiis tenuioribus. Collati præterea ad eundem finem a piis hominibus floreni circiter ſexcenti, & ad cenſum expoſiti ſunt nomine pauperum Scholaſticorum Facultatis Artium.

Circa finem huius anni venerunt ad Archiducem FERDINANDVM literæ a Sereniſſima Eiuſdem matre, quibus iubebatur Vni-

A.

Vniuerſitatem Ingolſtadienſem relinquere, & in Styriam reuerti. Quantum conſternati ſunt hoc nuncio Academici, tantundem mox laborare cœperunt, vt exquiſita quadam ratione amantiſſimo Principi valedicerent. Hunc igitur in finem die 21. Decembris poſt peractam rem ſacram in aula Gymnaſii, proceſſere in medium ſelecti quidam ex prima nobilitate adoleſcentes, perſonis in dramatis formam tributis. Primus appoſitam ad eum diem orationem habuit *Georgius Conradus Baro a Törring*. Tum octo alii Epheborum habitu varia recitabant carmina: *Ioannes Vdalricus Illſung in Kuneberg* victoriam de Turcis ominabatur, capite haſtili infixo: *Ioannes Vitus Baro a Törring* palmam præferens perpetuam optabat pacem: *Sigismundus Baro a Törring* honoris & gloriæ ſpondebat inſignia; *Chriſtophorus Baro Fuggerus* cornu copiæ oſtentans precabatur bonorum omnium abundantiam: *Chriſtophorus Comes a Schwarzenberg* prælato enſe ac cruce hortabatur ad feruorem pietatis: *Georgius Sigismundus Baro Fuchs a Fuchsberg* libella & enſe amorem iuſtitiæ inſinuabat: *Georgius Baro a Gumpenberg* corde confixo victoriam cupiditatum oſtendebat: *Carolus Baro Fuggerus*, libello & enſe *zelum ſecundum ſcientiam* demonſtrabat. Denique duo alii genios cæleſtes induti Propempticon decantabant. Placuit Principi ac circumfuſæ coronæ actio ingenioſa & valedicendi noua ſpecies. Scripta ſunt etiam, typisque edita ſic dicta *Quinquennalia*, ad honorandam ſcilicet quinquennalem apud nos Sereniſſimi Archiducis commorationem; affixa item omnis generis Emblemata, pictorum ſimul & Poetarum luminibus ornamentisque venuſte diſtincta: ex quibus, quæ primas ferre videbantur, Principi oblata; quæ ille cum multis *Quinquennalium* exemplaribus ſecum aſportauit, iucundam ſibi, vt aiebat, Ingolſtadienſium memoriam, ex eorum intuitu, perpetuo renouaturus. Hæc cum die 21. Decembris, in ipſo ſcilicet feſto D. Thomæ Apoſtoli peracta fuiſſent, poſtridie ex vrbe & ab Academia diſceſſit Archidux FERDINANDVS, Principum gloria, & totius Imperii Germanici ſpes. 1594.

Nec vero abſens etiam addictiſſimum animum Vniuerſitati Ingolſtadienſi deeſſe paſſus eſt beneuolentiſſimus Princeps: transmiſit enim eidem Græcio, in ſui memoriam, ingens ex argento poculum auro obductum, & in formam maritimæ triremis

A.
1594. viſendo opere elaboratum. Nec ipſa temporis diuturnitate hic Principis affectus elanguit; anno enim 1623. die 28. Febr. cum ob Imperii Comitia, iam Cæſar ſcilicet, Ratisbonæ verſaretur, diploma edidit, quo inclytæ Facultati iuridicæ priuilegium, ius & auctoritatem Comitiuæ Palatii tribuit (vid. Annal. Acad. P. IV. Num. LXVIII. pag. 384) his vſus verbis de Academia Ingolſtadienſi: *Vbi adoleſcentiam quoque noſtram nos olim excoluiſſe benigno animi affectu recordamur.*

Quanta autem hæc cunque ſint voluntatis nobis addictiſſimæ monumenta, multo tamen ſunt illuſtriora virtutum exempla, quæ præſens exhibuit, quorumque nonnulla ſuperioribus annis retulimus, alia hic ſubnectemus. Toto, quo Gymnaſium frequentauit FERDINANDVS, triennii & ſex menſium ſpatio, quoties res ſacra dominicis feſtisque diebus in aula Gymnaſii pro ceteris habebatur diſcipulis, eidem & Ipſe ſumma cum reuerentia interfuit. Poſtea vero, cum ad Academiam tranſiiſſet, in D. Mauritii templo religionibus ſuis vacabat, quod illud ſuis ædibus eſſet vicinius. Ad veſperas, vt vocamus, in templum S. Crucis, & illis finitis in Collegium Societatis ventitare ſolebat, vbi dein communi cum Patribus conſortio, vel muſica, vel ſermocinatione ſe recreabat, id tamen diligenter obſeruans, vt ſigno pro more Patribus ad finem colloquii dato, ſibi quoque finiendum exiſtimaret, interrupto etiam, nec ad finem perducto cantu; ne ſcilicet domeſticum Patrum ordinem turbaret. Huic dein S. Crucis templo ſuam præcipue munificentiam impendit, cum mille aureos hungaricos, quos Auſtriæ anterioris Ordines ad agenda hilarius bacchanalia ſubmiſerant, ædificando nouo altari regia profecto liberalitate attribuit. Habemus etiam ſummæ Illius literariis in rebus diligentiæ ſingularia quædam ſpecimina: penſum ſcholaſticum a Magiſtro dictari ſolitum elucubrare magna ſolertia, quin propria manu eleganter deſcriptum offerre conſueuerat. Scientiarum omnium tam fuit amans & cupidus, vt ne prandere quidem, quamdiu Ingolſtadii fuit, abſque literatorum conſortio, atque eruditionis quaſi condimento voluerit. Viros Academiæ doctiſſimos præclariſſimosque, *Petrum Steuartium*, Iurisconſultos complures, & ex Patribus Societatis *Richardum Hallerum* Collegii Rectorem, poſtea Reginæ

ginæ Hiſpaniarum Confeſſarium, *Gregorium de Valentia*, quem ob ſcientiæ famam ſæpius in Academia legentem audiuit, & *Iacobum* denique *Gretſcherum* iam tum editis libris clarum, voluit prandenti ſibi adeſſe, vt eorum conuerſatione atque optimis moribus, prudentiſſimisque ſermonibus iucunde erudiretur. Habuit vero & domi ſuæ viros piiſſimos doctiſſimosque, a quibus ad omnem ſcientiam perinde ac virtutem educaretur, *Ioannem* ſcilicet *Bogherinum* Collegii quondam Germanici Romæ alumnum, Tergeſtina nuper, vt narratum eſt, Infula ornatum; *Fridericum* ex antiquiſſima *Seinsheimiorum*, nunc Principum *Schwarzenbergiorum* familia; & *Balthaſarem Schrottenbachium* nobilem Styrium, quem præcipue inuenio a pietate & religione laudatum. His igitur ſcientiis inſtructum, his formatum moribus, his virtutibus exornatum, poſt quinque fere integros in hac catholica Boiorum Vniuerſitate exactos annos die 22. Decembris mœſti dimiſimus FERDINANDVM Archiducem Auſtriæ, CAROLI Archiducis lineæ Styriæ filium, poſtea Imperatorem Romanorum eo nomine SECVNDVM, cuius deinde fama quo illuſtrior per totum orbem exſtitit, tanto nos magis gloriamur, eum nobis obtigiſſe alumnum, qualem nulla orbis Academia educauit. A. 1594.

Die 22. Iun. h. a. quam inopinate tam luctuoſe obiit *Albertus Welſer* Logicæ Studioſus, nobilis Bauarus, Monachio oriundus, Præfecti Pfaffenhofenſis filius, virtute & pietate quam genere nobilior. Hic ardentioribus ſolis caloribus incitatus, & aquarum præterlabentium refrigeratione illectus, a ſuis clam (nihil mali periculique ſuſpicans) ſe ſubducens, Danubioque natandi peritiæ ignarus ſe incaute credens, aquis ſuffocatus eſt. Tandem quarto poſt mortem eius die ſub aquis latens bonorum hominum opera inuentus in cæmiterio D. Virginis Feldkirchenſi honorifice eſt ſepultus.

ANNO DOMINI M D XCV. A. 1595.

Rect. CCXXXVII. ALBERTVS HVNGERVS &c. V.

Rect. CCXXXVIII. HENRICVS CANISIVS &c. III.

A.
1595. Inſcripti 206.
Nobiles, *Theobaldus Auer* a Dobell.
Iac. Chriſtoph. Haug a Deffingen.
Franciſcus } *Paſſempiere*, alias *Beitſtein*, Barones in Haruel
Ioannes } & Hermouille, Lotharingi, cum Præfecto aulæ, Præceptore & quatuor famulis.
Ioannes } *Brackbouer* de Waldſee.
Ioan. Iac. }
Ioannes Sapieha, Lithuanus.
Cuno a Graenſtein, Treuir.
Iul. Ludouic. Echter de Meſpelbrunn, Can. Mogunt. Bamberg. & Herbipol.
Philipp. Chriſtoph. Echter de Meſpelbrunn.
Adolph. Guilielm. Echter de Meſpelbrunn.
Melchior a Luchaw, Can. Bamberg.
Rochus Crollalanza de Plurs.
Steph. Cuno a Löſnitz.
Ioan. Georg. a Neukirchen, Viennenſ.
Ioan. Sdenko Baro a Sternberg, Bohemus.
Wilhelm. Henric. S. R. I. Dapifer Baro in Walpurg.
Frideric. Recblinger, Patrit. Auguſt.
Ioan. Ioachim. Hundbis a Waltrams, Can. Eichſtad.
Ferdinand. Füeger ab Hirsperg, Tirolenſ.
Ioan. Erneſt. a Stainburg, Tirolenſ.
Andreas Haydenreich de Pidenegg, Tirolenſ.
Ioan. Michael } *Rechberg* ab Hohenrechberg.
Albert. Erneſt. }
Nou. Prof. *Georg. Euerhardus*, S. I. Prof. Caſ. Conſc.
Anton. Welſerus, Auguſtan. S. I. Prof. Phil.
Wolfgangus Starkius, Oenipontan. S. I. Prof. Eloquent.
Nou. Doct. *Quirinus Leoninus*, Bomel. Geldr. &c.
Ioannes Riepelius, Monacenſ. Paroch. acad. &c.
Ioannes Cholinus, Leodienſ. Coll. Georg. Reg.
Pancrat. Motſchenbach, Bambergenſ.
Matthias Eberſperger,
Vitus Criefer, Aichacenſ. Paroch.
Ioannes Pitus, Anglus,
} Theol.

In-

A.

Inter inſcriptos fuere I. *Caſparus Schopp*, ſeu vt ipſe ſeſe 1595.
dixit, *Gaſpar Scioppius*, Francus, h. e. Nouoforenſis Palatinus, vt eruditi fere conſentiunt. Cur *Scioppius* & *Gewoldus*, hic Ambergenſis, ille Nouoforenſis, Francos ſe ſcripſerint, nullam inuenio conuenientem rationem, niſi illam fortaſſis, quod Nordgouia, cuius magnam partem hodiernus ſuperior Palatinatus conficit, aliquando Franciæ Orientali accenſa fuerit. Nobilem fuiſſe *Scioppium*, quem ſe paſſim iactauit, nullum apparet in noſtro inſcriptorum catalogo veſtigium: potius contrarium inde probatur, quod nonniſi viginti numos, vt reliqui de plebe, pro inſcriptione perſoluerit. Idem vero quam acer dein criticus euaſerit; quam multos (bonos malosque) ſcripſerit libros; quam miranda fatorum ſerie plerasque Europæ prouincias peragrarit, notum eſt per orbem; nec puto a nobis eius vitæ hiſtoriam expectari, quod aliquod in Academia noſtra tempus egerit. Vnum, illuſtrando hominis huius ſingularis characteri, adſcribere lubet anecdoton: cum iunior quædam vidua ciuis academica, ob mali exempli vitam increpita, ac conuictores etiam ſuos dimittere eſſet iuſſa, vnus maxime *Scioppius*, Iurium Studioſus, illam defendendam ſuſcepit. II. *Georgius Wämpl*, Landishutanus, poſtea Regiminis Straubingani Cancellarius. III. *Ioannes Georgius Prucklacher*, Rainenſis Bauarus, poſtea Iurium apud nos Profeſſor.

Die 28. Aprilis Vniuerſitatis noſtræ Cancellarius CASPARVS *Seckendorfius*, Epiſcopus Eichſtettenſis, Princeps modeſtiſſimus ac religioſiſſimus, ad ſuperos, quod ſperamus, abiit, & quem integro iam biennio Coadiutorem habuerat, ſucceſſorem reliquit IOANNEM CONRADVM ex nobiliſſima Baronum familia *de Gemmingen*, Vniuerſitatis Cancellarium VIII.

Sereniſſimi Principes Bauariæ PHILIPPVS & FERDINANDVS, antequam & ipſi ab Academia ſua diſcederent, progreſſus ac ſcientiæ ſpecimen a GVILIELMO Patre publica diſputatione in Academia edere iuſſi ſunt, quamuis domi duntaxat ſuæ ſub priuato *Matthiæ Maylii* magiſterio Philoſophiam didiciſſent. Deſcenderunt menſe Iulio in arenam ſinguli; ac primus quidem die 15. dicti menſis Sereniſſ. PHILIPPVS. Conuenerunt eo die Profeſſores omnes cum Rectore in arce, atque inde præfatis ſcep-

A.
1595. tris vtrumque Principem ad Academiam honoris cauſſa deduxerunt, vbi PHILIPPVS in Aula Albertina Theſes ex vniuerſa Philoſophia defendit, præſide *Matthia Maylio.* Mane argumentati ſunt in contrarium Magnif. D. Rector *Albertus Hungerus*, *Gregorius de Valentia*, *Michael Eiſelinus*, *Petrus Steuartius.* Poſt meridiem, *Ioachimus Denichius*, *Andreas Fachineus*, *Hubertus Giphanius*, *Ioannes Sallerus*, *Reinerus Fabricius*, *Henricus Caniſius*, *Hieronymus Rathius*, *Edmundus Hollingus* & *Philippus Menzelius.* Eodem modo die 17. Iul. in Academiam deductus eſt Sereniſſ. FERDINANDVS, qui & ipſe ex vniuerſa Philoſophia alias Theſes propugnauit, opponentibus, mane, *Alberto Hungero* & *Gregorio de Valentia*; Doctore item *Quirino Leonino* Sereniſſ. Principum Moderatore, & *Georgio Euerhardo* Caſ. Conſc. Profeſſore; a prandio, *Iacobo Gretſchero*, *Andrea Syluio*, Doctore *Ioanne Cholino* Coll. Georg. Regente, Doctore *Vito Schobero* Acad. Camerario, Doctore *Ioanne Pitto* Sacerdote Anglo Dominorum *de Mailhane* Præceptore & *Cornelio Adriani.* Sub finem diſputationis datum eſt Maluaticum cum bellariis, eo prorſus modo, quo fieri conſueuit in veſperiis Theologorum. Vterque autem Princeps conceptæ de ſe opinioni in publica ea exercitatione tam cumulate reſpondit, vt ſi inferioris ſtatus & conditionis quispiam (hæc in illorum temporum monumentis lego) qui hoc genere ſtudiorum ad dignitates emergere cupit, ita ſe geſſiſſet, ac tale ingenii ſui ediditſet documentum, omnium vocibus iure commendaretur. Cum dein die 11. Septembris Illuſtris D. Comes *Cyrus de Porcia* Sereniſſ. Principum condiſcipulus, eodem *Matthia Maylio* Præſide theſes de Anima defenderet, iidem Sereniſſimi argumentandi laborem in ſe ſuſcipere dignati ſunt.

Octobri demum menſe, abſoluta biennii, vt vocant, reſidentia, diſceſſerunt a nobis ambo Principes; PHILIPPVS quidem Ratisbonam, ad ſuam ſcilicet Eccleſiam; FERDINANDVS Coloniam, vbi eum nuper totius Collegii cathedralis conſenſu & CLEMENTIS VIII. approbatione ERNESTVS Patruus ſuum in Archidiœceſi Vbiorum Adiutorem nominauerat. Remanſit igitur Ingolſtadii ſolus iam Princeps ALBERTVS filiorum GVILIELMI Ducis natu poſtremus; qui dum frequentare perrexit Gymnaſium noſtrum academicum, tam crebra ſimul edidit pietatis

&

A.
& religionis exempla, vt quæ mirabamur in fratribus, in vno 1595.
hoc Principe nunc collecta viderentur.

Sereniſſimus Dux MAXIMILIANVS cum Monachio Landishutum excurriſſet, inde Ingolſtadium quoque diuertit, vna cum Sereniſſ. Coniuge ſua ELISABETHA Lotharingia, quam die 5. Febr. huius anni Nancei duxerat. Nobilitas academica Sereniſſimos hoſpites in aula Gymnaſii dialogo primum & ſymphonia, tum carminibus hebraicis, græcis & latinis conſalutauit. Eo die, qui Dominicus erat, cum deliberaretur, habendusne ordinarius Sodalitatis Mariano-academicæ conuentus eſſet; quod nempe tanti hoſpitis dignitas videretur poſtulare, vt academicis Patribus & Nobilibus ſpatium daretur ſiſtendi ſeſe ad palatium Ducis; omne mox dubium MAXIMILIANVS Princeps diſſoluit, qui hora conſueta in Congregationis odeo ſacris, quæ Sodalitati vſitata ſunt, pietatis exercitiis intereſſe voluit.

Facultati Theologicæ illud hoc anno inprimis glorioſum accidit, quod vno die (14. Iunii) eodemque actu ſeptem inſignes viros, iamque alias fama celebratos, ſupremo doctoratus theologici gradu inſigniuerit.

Ab artiſtica Facultate actum eſt Septembri menſe de reſtaurando Beneficio S. Catharinæ, quod multis iam annis ob maiorum incuriam ſacerdote caruerat, cuiusque redditus magna ex parte fuerant amiſſi. Renouata igitur eſt fundatio, ſubſtitutique alii cenſus pro amiſſis, ex ærario Facultatis; confectæ item literæ in huius rei confirmationem, *Reyneri Fabricii* tunc Decani, & *Viti Schoberi* Vniuerſitatis ac Facultatis Artium Camerarii manu & ſigillo communitæ, quæ hodiedum apud dictam Facultatem aſſeruantur.

Die 20. Nouembris, ex mandato Sereniſſimi Principis noſtri GVILIELMI, Academiæ Rector *Henricus Caniſius*, congregatis Profeſſoribus omnibus, Collegii Georgiani Regentem proclamauit *M. Vitum Michaelem* Pragenſem, antea eiusdem Collegii Subregentem, pro *Ioanne* ſcilicet *Cholino*, qui cum FERDINANDO Principe Coloniam abierat, eiusdem Theologus futurus.

Collegii quoque Wilhelmini Regens *Chriſtophorus Silberbornius* a munere ſuo abiit, ſucceſſore relicto *Henrico Gaugenriedero*, ſub cuius regimine Dux GVILIELMVS alumnos dimiſit,

quos

A. 1595. quos hactenus ex ærario ſuo aluerat; quod tot expenſæ illud nimium grauare viderentur.

Cyriacus Luzius Landsbergenſis Bauarus, quem anno 1571. Profeſſorem Medicinæ conſtitutum fuiſſe diximus, cum peregrinationem in Orientem ſuſcepiſſet, hoc anno a Turcis captus, & ad Boſphorum Thracicum iuxta Conſtantinopolim, in carcerem, noui caſtri & nigri maris turrim appellatum, detruſus eſt: inde tamen liberatus feliciter ad nos rediit, ac anno demum 1599. vitæ curſum abſoluit. Vid. an. 1599.

Ioannes Leinberer Rhetorices atque dialectices ab aliquot inde annis Profeſſor, relicta Academia in Tranſyluaniam abiit, ſanctiores ibi labores in miſſione apoſtolica ſuſcepturus.

Memoriæ cauſſa notare hic iuuat, circa id temporis Eccleſiam Collegiatam Mosburgenſem Landishutum translatam fuiſſe; quam ad rem Sereniſſimus Dux GVILIELMVS Theologorum noſtrorum conſilium expetiit.

A. 1596.

ANNO DOMINI M D XCVI.

Rect. CCXXXIX. IOANNES RIEPELIVS, Monacenſ. SS. Theol. Doct. & Prof. ad D. V. Parochus. II.

Rect. CCXL. IOANNES FVGGERVS Baro a Kirchberg, Dominus in Babenhauſen.

Prorect. *Ioannes Riepelius* &c.

Inſcripti 230.

Nobiles, *Ioan. Albert. a Dandorf* (forte *Dondorf*) Monachienſ.
Ioannes a Bredow, Marchiacus.
Georg. Ludouic. a Neuhauſen.
Georg. a Wiſenthau, Can. Herbipol. & Bamberg.
Hector a Wiſenthau.
Ioan. Georg. Comes in Hohenzollern, Sigmaringen & Vöringen, Dominus in Haigerloch & Wehrſtein, S. R. I. Camerar. hæreditarius.
Chriſtoph. Rudolph. Keller a Schleiten.

Ioachim

A. 1596.

Ioachim Budde, Pomeran.
Ludouic. a Brand, Pleyenſtein.
Philipp. a Wiſenthaw.
Wolfg. Henric. Reblinger, Patrit. Auguſt.
Seuerinus, *Ioan. Bapt.* } *Welſer*, Patrit. Auguſt.
Ioan. Werner. Wilpis a Sibenburg.
Carolus a Kienburg, Kieneck & Newkirchen.
Erhard. a Muckenthal in Hechſenacker.
Traianus Fugger Baro in Kirchberg &c. *renou.*
Ioan. Zeno } *Nouohradski a Kolowrat*, Barones in Schliſſenburg & Epalka.
Georg. Frideric. a Creilshaim, Franc.
Chriſtoph. Sigism. Prack ab Aſch, Tirol.
Carol. Rott, Patrit. Auguſt.
Guilielm. Fugger L. B. a Kirchberg & Weiſſenhorn, *Seuerini* filius.
Maximil. Iacobus } *Fuggeri*, Barones in Kirchberg & Weiſſenhorn, Domini in Babenhauſen, D. Rectoris fratres.
Iacobus Maximil. Georgius Erneſtus } *de Trapp* a Piſen, Curburg & Schwanburg, hæreditarii Præfecti Tirolis.
Carolus, *Alphonſus*, } *Comites a Lodron*, fratres.

Nou. Prof. *Vitus Michael*, Pragenſis, Coll. Georg. Reg. Prof. Caſ. Conſc.
Adamus Tannerus, Oenipontan. S. I. Prof. Ling. Hebr.
Ioachim Meglinus, Abbatiscellenſ. S. I. Prof. Rhet.

Præſente ALBERTO Principe non poterat non florere Gymnaſium noſtrum academicum; præter complures enim alios Nobiles, nouendecim omnino Barones in illo numerabantur. Sodales etiam minoris, quam vocant, Congregationis, cum Sereniſſ. ALBERTVS pio eorum cœtui ſe adiungeret, honorario dramate illum diem celebrarunt, *Albertum Magnum* exhibentes Diuæ Virginis magiſterio eruditum.

A. 1596. E pluribus variorum Ordinum Religioſis, qui partim ad Gymnaſium noſtrum, partim ad Academiam acceſſere, duo præcipue occurrunt hoc anno, quorum nomina merito his in annalibus celebramus; *Hieronymus* ſcilicet *Feyri*, Profeſſus ad S. Emeramum Ratisbonæ, ac ibidem poſtea Abbas; & *Carolus Stengelius* Auguſtanus, ad S. Vdalricum ibidem Profeſſus, Abbas poſtea Anhuſanus, ob plurima atque eruditiſſima, quæ edidit, opera immortali a ud poſteros memoria digniſſimus.

Georgius Euerhardus, Theologiæ Caſuiſticæ Profeſſor, hoc anno Ratisbonam euocatus eſt ad Sereniſſ. Principem PHILIPPVM, vt Illius conſcientiæ moderator eſſet, & Theologus, atque comes etiam in pia peregrinatione ad ſacram in Heluetia Eremum. Caſuum conſcientiæ lectio a Duce GVILIELMO demandata eſt *Vito Michaeli*, SS. Theologiæ Licentiato nuper creato, & Collegii Georgiani Regenti. *Georgius Maierus* Linguæ Hebraicæ Profeſſor, de quo ſupra, hoc anno Romam diſceſſit, *Adamo Tannero* in eius locum ſuccedente.

Petiit hoc anno Abbatiſſa quædam a Typographo noſtro *Edero*, vt Librum Reuelationum S. Mechtildis typis academicis recuderet. Re ad Facultatem Theologicam delata, negaunt illa *Edero* hanc licentiam. Ex quo certe intelligimus, ſolicite ſemper maiores noſtros cauiſſe, ne qua ex re, quam innocua etiam aliis videretur, religio maculam contraheret.

In anni huius hiſtoria præterire non poſſum triſtiſſimum quoddam exemplum, in ſtudioſo ex noſtris quodam, ad aliorum, vt puto, inſtructionem editum. Graſſabatur in vrbe ſocietas, ſeu colluuio potius male feriatorum quorumdam iuuenum, qui ſe *Brenneros*, i. e. Vſtores dicebant. Erat hos inter quaſi lege ſtatutum, vt modo hunc, modo illum inopinato aduentu opprimentes tæda ardente vel ſarmentis flagrantibus eius corpori admotis tamdiu vrgerent, dum ſympoſium ſuis ſumtibus inſtituendum promitteret. His nobilis Weſtphalus *Gerardus Lebenburgius* ſeſe adiunxerat, iuuenis ingenii florens & corporis dotibus. Contigit vt poſtridie feſti Luminum ea incendiariorum turba *Gerardo* flammas intentaret. Quid ageret fatali lege obſtrictus? condixit: accumbitur, eſtur, bibitur in multam noctem ſine modimperatore. Demum ipſa ebrietas ſomnum

A.
1596.

num ſuadet. Diſcedunt ſocii: *Gerardus* iam ſolus in muſeo relictus ad quietem detractis veſtibus ſe parat: ſed ſopore ſimul & mero victus, in menſam dormitabundus renoluitur, cubito innixus, ſolaque ſubucula indutus. Hæc ab ardente candela inflammata, ita momento temporis ignem propagauit, vt miſer toto corpore nil niſi ignis eſſet; vixque tandem expergefieret, toto corpore miſerandum in modum iam vſtulatus; cumque ſat cito induſium abiicere nequiret, humi ſeſe volutauit, vt vel ſic graſſantem flammam ſuffocaret: ſed incaſſum omnia. Interea clamore ſimul & ſtrepitu domeſtici excitati accurrunt, muſeique reſeratis foribus, totum conclaue plenum fumo, ipſumque iuuenem vndique ab igne correptum reperiunt, tanto ob ſpectaculi inſolentiam pauore perculſi, propius vt accedere vix auderent. Accedunt tamen, ignisque in tenui ſindone tam conſtantis & durabilis vim, quibus licet, modis extinguunt, ac iuuenem præſenti quidem exitio eripiunt, ita tamen vt octauum poſt diem eadem fere, qua in calamitatem inciderat hora, animam exhalarit, acutiſſimos interea, quos inſigni tamen patientia pertulit, dolores perpeſſus, tanquam caſtigandæ liberiori vitæ a Deo immiſſos. Illud ſingulare, quod cum ſeſe ad ſuſcipienda rite extremo ſacramenta præpararet, famulo ſuo totum peccatorum ſuorum, quem ipſe ſcribere haud poterat, catalogum ſcribendum dictarit, ne quid fortaſſis ex ſola memoria recenſentem fugeret.

A.
1597.

ANNO DOMINI M D XCVII.

Rect. CCXLI. HIERONYM. ARNOLD. RATH, I. V. Doct. & Inſtitutionum Profeſſor.

Rect. CCXLII. PETRVS STEVARTIVS &c. VII.

Inſcripti 255.

Nobiles, *Carolus ab Ezdorf*, Warenbach & Grieſtett, Sereniſſimi Bau. Ducis Venationum Præfecti filius.

Albert. a Stingelheim in Thurnthening & Dalhauſen, Can. Salisburg. & Friſing.

A.
1597. *Wiguleus* } *a Rorbach* & Sandelzhauſen.
Mauritius }
Georg. Stengel a Neuhaus & Rambach, Ingolſtadienſ.
Georg. Poiſſel ex Azenzell.
Carol. Raiſer de Raiſenberg.
Gerard. Ioan. a Leſchwitz.
Ioan. Krechwitz, Sileſius.
Wilhelmus } *Fraislich.*
Maximilian. }
Wolfgang. Chriſtoph. a Weſternach.
Wilhelm. Guidebonius, Baro Mediolanenſ.
Vdalricus Baro a Spauer.
Carol. Guilielm. Zebentner a Zehentgrueb, Tirol.
Chriſtoph. Simon a Thunn, Tirol.
Philipp. ab Helmſtätt, Biſchofshemienſ.
Guilielm. Kellner a Zinnendorf.
Chriſtoph. a Wiſenthau, Franco.
Franciſcus } *Barones Fuggeri*, *Octauiani* filii.
Ferdinand. }
Carol. Theodor. } *a Gemmingen*, Cognati Epiſc. Eich-
Bernardus } ſtad.
Conradus a Schaumburg.
Ioan. Eraſm. }
Blaſius } *Kuen* Barones a Belaſi.
Carolus }
Franciſcus de Mean, Leodienſ.
Ioan. Wilhelm. Thrauner, Salisburg.
Hector a Kuzow, Can. Bamberg. & Herbipol.
Ioan. Henric. de Bungart, Iuliacenſ.
Iſaacus a Burgſtorf.
*Ioan. Adam. a Pförd*t, Alſata.
Ioan. Iacob. } *Im Hoff*, Auguſtan.
Ioan. Bapt. }
Ioan. a Peſſenhauſen.
Ioan. Philipp. Hundt.
Nou. Prof. *Hugo Rott*, Auguſtan. S. I. Philoſ.
Ioan. Appenzeller, Aichacenſ. Bau. Ling. Hebr.
Nou.

A.

Nou. Doct. *Ioan. Albert. Viſcher*, Can. Eccl. Colleg. Monac. *Iur. Can.* 1597.
Raymund. Minderer, } Medic.
Leonard. Selmayr, }

Die 19. Nouembris Sereniſſimus ALBERTVS Vtr. Bau. Dux a Parente GVILIELMO, Ingolſtadio, vbi per quadriennium literis operam dederat, Monachium euocatus, cum toto comitatu ſuo diſceſſit, atque vna *Ioannes Gaſteigerus* Griſo, illius præceptor in ſchola Humanitatis Monachii futurus, ad quam Ingolſtadii magna cum laude promotus fuerat, accepto publice in ſolenni ſtudiorum renouatione diligentiæ præmio. Valedixit autem abituro Principi præſentibus Academicis in aula Gymnaſii *Ioannes Zeno Baro a Sternbach* Rhetoricæ ſtudioſus accomodata oratione; dein inſtitutus eſt dialogus tempori conueniens a *Chriſtophoro Barone Fuggero*, *Vdalrico Barone de Spaur*, *Hieronymo Boſcio* Mediolanenſi &c. Ipſe etiam Princeps, antequam a nobis diſcederet, academicum & ciuicum Senatum magnifico excepit conuiuio; quo abſoluto, omnium nomine valedixit *Petrus Steuartius* Parochus Mauritianus; qui ipſe Eminentiſſimum ac Sereniſſimum Principem PHILIPPVM Epiſcopum Ratisbonenſem, S. R. E. Cardinalem nuper creatum, hac tranſeuntem totius Academiæ nomine ſalutauit. Dux ALBERTVS ducta an. 1612. coniuge, MECHTILDE *Leuchtenbergica*, religioſiſſime vixit ad annum vſque 1666. ſepultus Oettingæ veteris.

Iulio menſe huius anni Iurium cathedram & Academiam reliquit, quam per decennium eruditione editisque ſcriptis ornauerat, *Andreas Fachinæus* Foroliuienſis. Inuitatus ſcilicet a magno Hetruriæ Duce ad Piſanam Academiam, amore ni fallor, Italiæ ſuæ tam facile conſenſit; cauſſam enim abitus aliam non reperio: ſtipendium certe apud nos habuit tantum, quantum ante ipſum nullus, poſt ipſum vix alius; mille ſcilicet florenos, grandem illo tempore ſummam. Fuit vero *Fachinæus* eximiæ in ſuperos pietatis, quod Acta Sodalitatis academicæ non vno oſtendunt loco; & eruditionis non vulgaris, quod eius ſcripta teſtantur. *Simon Vlricus Piſtoris* callidum ei artificium in exſcribendis, allegandisque non ſatis fideliter auctoribus obiicit; ab aliis tamen vindicatur ac multum dilaudatur. Celebrata eius opera ſunt *Controuerſ. Iuris illuſtr. Tom. III. De Poſſeſſionibus*

A. 1597. *bus & Iure accreſcendi*, 1589. *De Teſtamentis ordinandis, Præſcriptionibus, & Iure Feudorum*, 1590. *De Probationibus & Præſumtionibus*, 1591. *De acquirenda, retinenda & amittenda Poſſeſſione*; item *de legitima*, 1593. *De Pactis*, 1594. *De Collationibus*, 1596. *Selectæ ex variis Doctorum Commentariis QQ. illuſtres*, 1597.

Diſceſſit circa idem tempus Friburgum Brisgoiæ *Fridericus Martini*, Philoſophiæ primum, tum Iuris apud nos Profeſſor. Scripſit *de Obligationibus, earum ſpeciebus & effectibus in genere*; *De Teſtamentis ordinandis*, 1581. *De Vſucapionibus*; *de Priuilegiis Clericorum*, 1582. *De Reſtitutione in integrum*, 1583. *De Iurisdictione ſecularium Iudicum; de Legatis; de Fideicommiſſis*, 1584. *De Triplici Homicidio*, 1585. *De Iuramento*, 1587. De Conſtitutionibus circa interpret. Cap. I. & II. Extrau. *De Bello, Duello, & quod ex his ſequitur, Homicidio; de Conſuetudine*, 1589. *De Iure Cenſuum*, Frib. Brisg, 1604 &c.

De *Cyriaco Lutzio* Medic. Doct. & Prof. quem biennio abhinc a Turcis captum ſcripſi, memorant ad hunc annum Acta theologicæ Facultatis, eum licentiam petiiſſe, typis excudendi ea, quæ *Meletius* quidam, Patriarcha Alexandrinus, de rebus fidei Anglicano cuidam Legato Conſtantinopoli reſpondens diſſeruit; ſed illam maturo conſilio fuiſſe negatam in conuentu Collegii theologici die 15. Martii celebrato.

Conuictores S. Michaelis, qui hactenus GVILIELMI Ducis munificentia Monachii vixerant, menſe Martio huius anni, cum omni, qua vſi fuerant, ſuppellectile Ingolſtadium ſunt translati.

Die 21. Decembris h. a. ex hac vita deceſſit Friburgi Nuithonum *Petrus Caniſius, Theologus ex Societate IESV, olim Profeſſor & Religionis Catholicæ inſtaurator, Vir ſanctiſſimus*, quæ verba ſunt *Petri Steuartii* in actis Decanicis theologicæ Facultatis. Ego, quam prolixam etiam tanti viri merita laudationem peterent, nihil hic addam, niſi Elogium eidem a theologis noſtris die 22. Iunii, *Steuartio* Decano, decretum: *Petrus Caniſius Neomagenſis e Geldria, SS. Theologiæ Doctor, primus e Germanis Societatis IESV Religioſus: ob inſignem animi moderationem, conſtantiam ac prudentiam a ſummis ad ſumma non raro miſſus, vocatus, poſtulatus a* GVILIELMO *IV. Bauariæ Duce ad hanc Academiam, in qua Profeſſoris Theologi, Pro-*

A.
1597.

Procancellarii & Rectoris munere functus, ab OTHONE *Cardinale & Epiſcopo Auguſtano ad S. Concilium Tridentinum; a* CAROLO *V. Imperatore in cauſſa Religionis Wormatiam; ab Imperatore* FERDINANDO *Auguſtam atque ad Epiſcopatum Viennenſem, quem recuſauit; a* PIO *IV. Pontifice Maximo ad fidem in Germania, Poloniaque propugnandam, non tantum concionibus aſſiduis, ſed variis etiam libris pro fide & pietate editis vbique rem Catholicam promouit. Tandem admirabilem ſanctitatis opinionem conſecutus Friburgi Heluetiorum innocentem animam Deo reddidit anno* 1597. *ætatis* 77. Plura de Viro hoc meritiſſimo legere eſt apud *Matthæum Raderum* & *Franciſcum Sacchinum*, qui eius vitam, virtutes & res geſtas ſingulari volumine conſcripſerunt. Qui Vniuerſitatis noſtræ conatus fuerint apud ſummum Pontificem, vt *Venerabilis* hic quondam noſter, Rector, Procancellarius & Profeſſor *Beatorum* numero adſcriberetur, ad annum 1729. pluribus memorabitur. Scripſit *Petrus Caniſius ſummam Doctrinæ Chriſtianæ*, an. 1554. qui primus liber eſt a Patribus Societatis editus, varie poſthac auctus atque illuſtratus. *Commentar. de Verbi Dei corruptelis*, Tom. II. quorum prior *de S. Præcurſoris Domini Ioannis Baptiſtæ Hiſtoria Euangelica* prodiit Dilingæ an. 1571. poſterior *de Beatiſſima Maria Virgine*, Ingolſtadii 1577. *Notas in Euangelicas Lectiones*, Tom. II. Frib. Helu. 1591. *Exercitamenta Chriſtianæ pietatis*, Antuerp. *Manuale Catholicorum*, Ingolſt. 1587. *Enchiridion Itinerantium*, Antuerpiæ 1599. *Paleſtra hominis Catholici*, Duaci 1599. *Practica Catechiſmi*, Colon. *Martyrologium*, Diling. 1562. *Conciones in 4. Dominicas Aduentus & Natalem Domini. Librum de Confeſſione & Communione. Vitas SS. Beati & Fridolini* primorum Heluetiæ Apoſtolorum, Frib. Helu. 1590. *Vitam & Exercitamenta pietatis B. Nicolai Eremitæ.* Edidit *Selectas D. Hieronymi Epiſtolas, Lib. III.* Louanii 1573. *Leonis Papæ Opera omnia*, Colon. *Cyrilli Alexandrini Opera Tom. II.* Colon. Scripſit præterea *Librum Confeſſionum* exemplo S. Auguſtini; *Epiſtolas* complures ad *Laurentium Surium*; item alias ad Epiſcopum Mindenſem & Ducem Pruſſuicenſem &c.

AN-

A. 1598.

ANNO DOMINI M D XCVIII.

Rect. CCXLIII. HENRICVS CANISIVS &c. IV.
Rect. CCXLIV. IOANNES NOVOHRADSKI A KOLOWRAT, Baro in Schliſſenburg & Epalka &c.
Prorect. *Henricus Caniſius.*
Inſcripti 256.
Principes, ALEXANDER, CONSTANTINVS, } *Duces Zaslouiæ*, fratres.
Nobiles, *Marquard. a Freyberg*, Can. Herbipol. & Salzburg.
Wolfgang. Blarer a Wartenſee, Can. Eichſtett. & Auguſt.
Philipp. Sebaſt. Echter a Meſpelbrunn, Can. Eichſtett. Bamberg. & Herbipol.
Ioan. Erhard. Echter a Meſpelbrunn, prioris frater.
Ioan. Wolfg., *Ioan. Simon* } *a Bodmann*, fratres.
Ioannes Weſton, *Hieronym. Pryſens* } Angli.
Seuerin. Fugger, Baro a Kirchberg & Weiſſenhorn, *Seuerini* filius.
Ernfrid., *Maximil.*, *Ernicus* } *Ferger* L. B. in Tolet, & Zagging, Auſtriac. fratres.
Paulus, *Ludouic.*, *Georgius* } *Gaiman*, Nobiles in Gaſpach, Traiteneck &c. Auſtriaci.
Wilhelm. a Künigsfeld, Can. Friſing.
Gregor., *Sebaſt.*, *Wilhelm.* } *Füeger*, ab Hirſperg & Schaddenſtain, fratres.
Fabius Vicecomes Borromeus, Mediolanenſ.
Ioannes Raſinus ex Comitibus Rafinorum.
Franciſcus de Salazar, Cancellarii Mediolan. filius.
Ioannes Vicecomes, Mediolanenſ.
Carolus, *Ioan. Iac.*, *Ioan. Bapt.*, *Marcus* } *Rembold*, Patrit. Auguſt.

Iacob.

A. 1598.

Iacob. Mayus, } Patrit. Auguſt.
Chriſtoph. Reblinger, }
Georg. Kellner a Zinnendorf.
Martin. a Seckendorf, Can. Eichſtett.
Ioan. Theodoric. ab Halberſtain.
Stanislaus Paris a Pariſow, Baro Polonus.
Ludouicus du Moncel, Rothomagenſ.
Ioan. Chriſtian. Hauſsmann a Steffn, Tirol.
Paulus in der Maur, Tirol.
Ioan. Iacob. } *Seeman* a Maugern, Tirol.
Ioan Georg. }
Albert. Georg. }
Alexander } *Mlotziewski*, Barones Poloni, The-
Chriſtophor. } ſaurarii Reg. Pol. filii.
Ioan. Beltzecy, Baro Polon. cum Nobilibus aliis.
Ioan. Bapt. Cignardus, Mediolanenſ.
Georg. Chriſtoph. a Gaiſperg, Auſtriac.
Henric. de Beauvau, Baro Lotharing.
Philipp. Rudolph. Comes in Liechtenſtain, Baro in Kaſtelkhorn & Runglſtain, Dominus in Etſchengelsburg &c. Tirol.
Berchtold. a Wolkenſtain, Baro a Trosburg, & Nienhauſen, Tirolenſ.
Ludouic. l'Argentier a Vancemain, Baro a Chapelaine, Gallus.
Ioan. Georg. Renner ab Almendingen.
Petrus Procop. Almsky a magna Velnia, Baro Polon.
Matthæus Ceſchius Sanctæ Crucis, Tridentin.

Nou. Prof. *Matthias Mayle*, Stockach. Sueu. S. I. *Caſ.*
Leonard. Hönigle, Tirolenſ. S. I. *Phil.*

Memorabilis eſt huius anni dies quarta Februarii, qua Sereniſſ. Dux GVILIELMVS ſeſe regimine prouinciarum ſuarum abdicauit, & illarum cura atque adminiſtratione in filium MAXIMILIANVM translata ſoli iam Deo ſeruire conſtituit. Vixdum facta hac rerum mutatione ingens Aulam Boicam luctus afflixit. PHILIPPVS Cardinalis & Epiſcopus Ratisbonenſis, ille quondam noſter Illuſtriſſimus Alumnus & Vniuerſitatis Rector

A.
1598. Magnificentiſſimus menſe Maio in Caſtro Dachauienſi ex hac vita deceſſit. Venerat Ille primo vere huius anni Ingolſtadium, quod Medici commodiorem hic valetudini, qua iam tum afflictabatur, auram eſſe futuram iudicarent. Diuertit interea piiſſimus Princeps, dum habitatio dignior inſtrueretur, ad Collegium Patrum Societatis; ſed poſtea cum iam in arce parata eſſent omnia, & maior, quam vocamus, ante celebritatem paſchalem hebdomas aduenisſet, in Collegio tamen ſubſtitit, vt opportunius ſacrato hoc tempore pietatis exercitiis vacare liceret. Et vero perpetua etiam & acerba tuſſis eum a templo nunquam abſterruit. Ipſo Paſchatis feſto Patres academicos omnes ſplendido excepit conuiuio. Paulo autem poſt, cum morbus inualeſceret, Sereniſſ. Parentum voluntate Monachium, & inde Dachauium profectus eſt; vbi lenta tabe conſumtus die 18. Maii, ætatis anno viceſimo ſecundo necdum expleto, piiſſime obiit. Nos eidem die 5. Iunii in templo academico parentauimus, orationem funebrem adornante *Reynero Fabricio* Ethices Profeſſore, qui ad hoc munus ab vniuerſo Senatu delectus erat.

Collegium etiam theologicum amiſit hoc anno virum celebrati paſſim nominis & veteranum Profeſſorem, *Gregorium de Valentia*, qui die 14. Febr. hinc diſceſſit, Romam a Præpoſito Generali Societatis euocatus, vt in grauiſſimis coram Pontifice diſputationibus de Auxiliis Gratiæ ſuam & ipſe ſententiam exponeret. Sereniſſ. Dux MAXIMILIANVS, vbi id comperit, *Gregorium* Monachio tranſi e in Italiam voluit, & clementiſſime exceptum, equis, famulo ac liberali inſuper viatico inſtruxit, virum ſcilicet de Academia ſua, de Bauaria & Religione per viginti quatuor annos optime meritum. In Elogio, quod illi Facultas theologica ſcripſit, habemus & vitæ & laudum ſummam: *Gregorius de Valentia e Societate IESV, Methymnenſis Hiſpanus, S. Theologiæ Doctor, inter Theologos ſui temporis nulli ſecundus, Pariſiis vehementer expetitus, a Stephano Rege Poloniæ diu poſtulatus, præclarum Academiæ decus, in qua annos viginti quatuor commoratus, cum S. Theologiam ſedecim annis magno auditorum plauſu & fructu fecundiſſimæ eruditionis propagatione docuiſſet, atque interim in omni controuerſiarum genere contra hæreticos quam multos compluribus libris editis nunquam*

A.

quam non victor egregie dimicaſſet, vniuerſamque Theologiam ſcholaſticam 4. Commentariorum Tomis commemorabili opere illuſtraſſet, immortalem nominis gloriam adeptus anno 1598. Superiorum ſuorum voluntate Romam aduocatus eſt. Cumque illic partim ſacræ Theologiæ Profeſſor, partim ſupremus in Collegio Societatis ſtudiorum moderator aliquamdiu clariſſimus vixiſſet, demum aſſiduis laboribus fractus, & inueterata conſumtus ægritudine, Neapoli, quo valetudinis cauſſa eger conceſſerat, e viuis ſemper victurus exceſſit 25. Aprilis anno 1603 ætatis 54. CLEMENS VIII. Pont. Max. *Gregorium* noſtrum pulcherrimo laudum compendio *Doctorem Doctorum* appellauit. 1598.

His merito addenda ſunt, quæ *Engerdus* Almæ Ingolſt. Acad. Tom. I. Part. VII. pag. 157. & ſeq. ſcripſit: „ Anno 1575. „ *Torrenſi Gregorius de Valentia* Hiſpanus ſucceſſit. Quodſi iam „ diuinum ingenium & diuinam pene memoriam *D. Gregorii* am„ pliſſimis ornare laudibus voluero; non tanta mihi certe ora„ tionis vbertas ſuppeteret, quantam pietas, virtus & eruditio „ illius ſingularis optimo iure meretur: Ab eo enim tempore, „ quo anno 1575. 14. Cal. Nouembris, vna cum D. Luca Pinel„ lo, ſub Rectore Magnifico, D. Philippo Menzelio, Medicinæ „ Doctore & Profeſſore, ac P. L. nomen Vniuerſitatis Matricu„ læ dedit, & Sacroſanctam Theologiam publice docere cæpit, „ tam laudabiliter & tam fructuoſe Spartam ſuam ornauit, & „ etiamnum ornat, vt auditores in magnam admirationem tra„ ducat: Non tantummodo enim auream D. Thomæ Aquinatis „ ſummam Theologicam in lectionibus publicis inſigniter expli„ cando dilucidat; verum etiam in religioſo S. Hieronymi Sa„ cello aliquoties Latinas easque doctiſſimas Conciones habuit. „ Quin & diſputando acer, ſubtilis ac profundus Theologus, „ contra Hæreticos, & præcipue *Herbrandum* iſtum, Confeſſio„ niſtam Tubingenſem, egregios Tractatus in publicum emiſit.

Catalogus Librorum, quos D. Gregorius de Valentia typis in lucem edidit.

I. *De diſcernenda humanorum contractuum iuſtitia & iniuſtitia, Diſputatio Theologica habita in Academia Ingolſtadienſi, Præſide Gregorio de Valentia, Societatis IESV, reſpondente Paulo Vizano.* Ingolſtadii anno 1577.

A. 1598.

II. *De Idololatria aduerſus improbiſſimas noſtri temporis Hæreticorum, præſertim Tubingenſium calumnias Diſputatio &c. Reſpondente Othone Eyſenreich*, &c. Ingolſtadii, anno 1578.

III. *De excellenti diuinæ gratiæ natura, & iis, quæ ad eam tum obtinendam, tum conſeruandam requiruntur, deque ipſius admirabili efficacia Diſputatio &c. Reſpondente M. Petro Steuartio Eyſtadii Profeſſore.* Ingolſtadii, anno 1577.

IV. *Apologeticus de Idololatria, aduerſus impium libellum Iacobi Herbrandi, qui nuper diſputationem de eodem argumento Ingolſtadii, contra Sectariorum contumeliam propoſitam, oppugnare auſus eſt.* Ingolſtadii, anno 1579.

V. *Confutatio calumniarum, quas Herbrandus Spongia quadam ſua complexus eſt, & in Apologeticum de Idololatria nuper Ingolſtadii editum, leuiter ac petulanter effudit Auctore Gregorio de Valentia &c.* Ingolſtadii, anno 1579.

VI. *De iuſtitia in iudiciis ſeruanda, diſputatio &c. Reſpondente P. Othone Eyſenreich, Collegii Albertini Regente.* Ingolſtadii, anno 1579.

VII. *Diſputatio Theologica de vera & falſa differentia veteris & nouæ legis, contra fundamentum Lutheranæ doctrinæ a Caluino etiam receptum & a Melanchtone, Clemnicio, Herbrando & aliis paſſim Sectariis repetitum, &c. Reſp. M. Chriſtophoro Sella.* Ingolſtadii, anno 1580.

VIII. *De ſacroſancto Miſſæ ſacrificio contra impiam Diſputationem Tubingæ nuper a Iacobo Herbrando propoſitam, atque adeo contra peruerſiſſimam Lutheri, Kemnitii aliorumque nouatorum doctrinam, Tractatus &c.* Ingolſtadii, anno 1580.

IX. *Explicatio verarum cauſſarum, cur Iacobus Herbrandus Lutheranæ Sectæ in Schola Tubingenſi Profeſſor, ſuſceptum de Idololatria certamen proſequi recuſauerit, cum refutatione falſarum, quas ille prætexuit &c.* Ingolſt. 1580.

X. *De Idololatria contra Sectariorum contumelias Diſputatio; vnacum Apologetico, aduerſus Iacobum Herbrandum Lutheranum.* Ingolſt. 1580.

XI. *Apologia de SS. Miſſæ ſacrificio, aduerſus cauillationes leuiſſimas Iacobi Herbrandi Lutherani, contra Tractatum de eodem argumento ſuperiori anno Ingolſtadii editum &c.* Ingolſt. 1581.

XII.

A.
1598.

XII. *Refutatio Apologiæ Iacobi Herbrandi Lutherani, de cauſſis, cur ſuſceptum de Idololatria certamen deſerere inſtituerit, &c.* Ingolſt. 1581.

„ Dum hæc ſcribo (*ita pergit Engerdus*) quidam Collega„ rum meorum ſignificauit mihi, ab eodem *D. Gregorio* eruditiſ„ ſimam diſputationem de prædeſtinatione Dilingæ, antequam „ illinc huc veniret, typis excuſam eſſe. Hæc igitur pauca, „ & ea ſummatim de *P. Gregorio*, viro præclara eruditione & „ doctrina ornatiſſimo ſcribere volui: Non enim tantum alte„ rius teſtimonio eſt laudatus, ſed eruditis ſuis ſcriptis laudes „ meretur ampliſſimas.

Longum eſſet ſpeciatim omnia recenſere, quæ *Gregorius de Valentia* præterea ſcripſit atque edidit. Vid Biblioth. Script. S. I. *Nathanaelis Sotuelli* pag. 309.

Eidem Facultati Theologicæ atque ſimul Academiæ valedixit *Vitus Michael* Caſuum Conſcientiæ per duos annos Profeſſor, & Collegii Georgiani Regens, promotus ſcilicet ad pinguem Parochiam Hofkirchenſem in Diœceſi Paſſauienſi. Decreto Collegii theologici, vt *Petrus Steuartius* in actis Decanicis refert, ſcriptum eſt ad Sereniſſ. Principem, vt lectioni Caſuum iterum Societatis Patres præficerentur, a quibus ſcilicet biennio abhinc ad memoratum *Vitum Michaelem* tranſierat. Conſentiente Sereniſſimo Caſus profiteri cæpit *Matthias Maylius*, nuper Sereniſſ. Bauariæ Principum in Philoſophia Præceptor, & anno proxime elapſo Theologiæ in Academia Dilingana Profeſſor. In regendo Collegio Georgiano ſuffectus eſt *Vito Michaeli Ioannes Deſchlerus* Mindelhemienſis.

A die 20. Octobris h. a. cæpta iterum eſt tradi Dialectica in Collegio veteri, ſicut olim fiebat. Scilicet anno 1591. in renouatione ſtudiorum translata illa fuerat cum Academicorum conſenſu ad Gymnaſium; idque propter Sereniſſ. Archiducem FERDINANDVM, cui Rhetorices tum ac ſimul Dialectices auditori moleſtum fuiſſet e Gymnaſio quotidie itare ad Academiam.

Venerunt eodem anno miſſi à Sereniſſ. MAXIMILIANO Duce Commiſſarii ad expedienda quædam negotia academica. Apud hos Facultas Artiſtica, incertum a quibus, aut quibus

A. 1598. in capitibus accuſata eſt. Reuerſis Monachium Commiſſariis, non ſane optime cauſſa Facultatis apud Principem videtur fuiſſe acta; aduenerunt enim menſe Nouembri literæ Sereniſſ. Ducis, die 12. eiusdem pleno in Senatu lectæ, in quibus, præter alia ad totam Academiam ſpectantia, tres Facultatis Artiſticæ Inſpectores ſunt conſtituti, tres ſcilicet Seniores ex triplici Profeſſorum Collegio; *Hungerus* Theologus, *Lagus* ICtus, & *Menzelius* Medicus; horumque loco, ſi vel ob valetudinem, vel ob aliam cauſſam ſuo munere fungi non poſſent, *Steuartius* ac *Denichius*; qui omnes ſimul etiam Collegio Georgiano ita ſunt præfecti, vt ſine illorum conſenſu Regens eiusdem Collegii nihil deinceps attentaret, quod alicuius momenti eſſet. Videbantur hæc certe non ſine quadam Facultatis Artium labe fieri: conuertitur itaque & ipſa ad Sereniſſimum, explicatque rerum cauſſas & ordinem; idque menſe adhuc Decembri eiusdem anni obtinet, vt miſſis nouis ad Academiam clementiſſimis literis decreta priora abrogarentur, & demandata nuper ſenioribus trium Facultatum Profeſſoribus inſpectio ad ſolum Collegium Georgianum reſtringeretur. Aliud quoque elapſi Nouembris decretum, quo lectio Oratoriæ in Collegio veteri quot diebus haberi debebat, eodem tempore reuocatum, & ea Cathedra Gymnaſio ſeruata eſt.

Habet hoc apud nos ex antiqua conſuetudine Decanus Facultatis Philoſophicæ, vt feſto S. Catharinæ die prælatis ſceptris, vno toti Academiæ communi, altero Facultatis proprio ad Aedem D. Virginis deducatur. Inuenio ad hunc annum eam deductionem ſolito ſplendidius fuiſſe peractam: comitabantur ſcilicet memoratæ Facultatis Decanum Magnificus ac Generoſus Rector Vniuerſitatis *Ioannes Baro a Kollowrat*, Illuſtriſſimi Principes ALEXANDER & CONSTANTINVS Duces Zaslouiæ, duo Comites Mediolanenſes, ac Barones omnino ſeptendecim.

AN-

ANNO DOMINI M D XCIX.

A. 1599.

Rect. CCXLV. PETRVS STEVARTIVS &c. VIII.

Rect. CCXLVI. HIERONYM. ARNOLD. RATHIVS I. V. Doct. & Inſt. Prof. II.

Inſcripti 147.

Nobiles, *Ioan. Wiguleus ab & in Weichs.*
Ioan. Ortolph. de Sandizell in Edelzhauſen.
Ferdinand. a Beching, Monacenſ.
Alexander de Phin, Lombardus.
Albert. Zislinsky, *Adam. Wilbranowsky*, } Barones Poloni.
Vitus Zacharias, *Ioan Sigismund.*, *Carol. Ludouic.* } *Riederer.*
Carolus Iörger in Tollet, Roppach & Stauff, L. B. in Krüſpach, Dominus in Pernſtein, Scharnſtein & Walpenſtorf, Auſtriæ ſup. Præfectus hæreditarius.
Guilielm. Bart, Patrit. Monac.
Guilielm. Loyſeel, Brugenſ.
Carolus Baro a Thanenberg de Aurolzmünſter.

Nou. Prof. *Sebaſtian. Heiſs*, Auguſtan. S. I. Metaphyſ.
Ioannes Mannbart, Ematingenſ S. I. Log.

Nou. Doct. *Wolfg. Henric. Langenmantel*, Can. Straubing.
Wolfg. Erneſt. Gruner, Paroch. Waſſerburg.
Melchior Grieſſel,
Melchior Eyrelius Inchenhof. Paroch. Scherding. } *Theol.*

Vigeſima quarta Aprilis cum *Ioannes Baro de Kollowrat* præmiſſa oratione Rectoris officium depoſuiſſet, ſucceſſor legitime electus eſt Illuſtriſſimus Princeps ALEXANDER Dux Zasloniæ, qui vna cum fratre natu minore CONSTANTINO ſtudiorum gratia apud nos verſabatur; verum cum ille rectoralem dignitatem publice deprecaretur, ſubſtitutus eidem eſt *Petrus Steuartius* Parochus Mauritianus, Principis antea Prorector deſignatus.

Sere-

A. 1599. Sereniſſ. Dux MAXIMILIANVS ipſo feſto S. Bartholomei cum coniuge, fratre ALBERTO & familia aulica Ingolſtadium venit. Præſtiterunt ciues ea occaſione fidelitatis iuramentum, dato inſigni poculo. Academia excepit Sereniſſimos hoſpites in arce: orationem habuit loco accomodatam & tempori *Petrus Steuartius* p. t. Rector. Oblatum etiam eſt ab Academia poculum inauratum. Reſpondit nomine Principis magnus Cancellarius: vocatique per vices ad menſam ſinguli Profeſſores. Multa cum Sereniſſimo, eiusque Cancellario acta ſunt de rebus Academiæ; nec ſine effectu, paulo poſt ſecuto; nam aucta ſunt ſtipendia plerorumque Iuris Profeſſorum, ita vt *Hellius* & *Denichius* quadringentos, *Rhatius* autem trecentos acciperet florenos. Statutum quoque, vt Academiæ rationes a Camerario toti Senatui redderentur, non Inſpectoribus & Senioribus *Hungero*, *Lago* & *Menzelio*, vt hi antea cum Commiſſariis *Lautherio*, *Gailkirchero* & *Ficklero* transegerant. Perſtiturus erat apud nos Sereniſſimus ad S. Michaelis vſque, niſi peſtifera quædam lues graſſari cœpiſſet, cuius metu diſceſſit. Eadem ex cauſſa magna fuit ſtudioſorum in omnibus Facultatibus raritas, dilapſis plurimis, & nullis accedentibus nouis.

Eodem anno Octobri menſe Romani Theologi de Societate Ieſu miſerunt Librum quemdam de Efficacia diuinæ Gratiæ ad Facultatem noſtram Theologicam, eidem per Decanum ſupplicantes, vt illum, ſi ita videretur, approbaret, ac nominis ſubſcriptione ſuam ſinguli ſententiam firmarent. Probatum eſt ſcriptum illud concordibus votis, & damnata opinio contraria, cuius nempe refutationem liber continebat. Subſcripſere *Petrus Steuartius* Rector, *Albertus Hungerus* Procancellarius, *Michael Eiſelinus* Decanus, & *Iacobus Gretſcherus*.

Hubertus Giphanius, Büirenſis Geldrius, I. V. D. & Profeſſor Codicis ordinarius, quem anno 1590. Altdorfio ad noſtram Academiam acceſſiſſe diximus, hoc anno eandem reliquit, ad Cæſaris RVDOLFI II. aulam euocatus, Eiusdem Conſiliarius ac Referendarius futurus; quo in munere anno 1604. Pragæ obiiſſe ſcribitur. Hoc de viro eruditorum varia eſt ſententia: ſunt qui *Giphanium* ad aſtra vſque extollunt, tanquam ſummum Philologum ac Iurisconſultum; ſunt alii, qui plagii eun-

A.

eundem accuſant, & multa in eius ſcriptis carpunt. De eius religione certum eſt, fuiſſe ambulatoriam; cum enim apud Batauos Reformatam, apud Argentinenſes & Altorfianos Lutheranam profeſſus eſſet, apud nos Catholicam præferebat, in qua & mortuus fuiſſe dicitur. Vxorem habuit *Margaretham Ioannis Marbachii* Theologi Lutherani filiam; quæ, dum ipſe nobiscum erat, Norimbergæ degens inde aliquoties ad maritum inuiſebat. Scripſit *Giphanius Collectanea & Indicem in Lucretium; Scholia breuia in Homerum; Obſeruationes in latinam linguam ſingulares; Commentarium in* 10. *libros Ethicorum Ariſtotelis; Commentarium in Politicorum opus Ariſtotelis; Commentarium in Inſtitutionum Libros IV.; Commentarium de Imperatore Iuſtiniano; Indicem hiſtoricum Rerum Romanarum; Oeconomiam Iuris methodicam; Diſputationem de actionibus Emti & Venditi; Tractatum de Renunciationibus, cum conſiliis aliquot illuſtrium Academiarum; Commentarium in Tit. ff. de Reg. F.; Commentar. in Titulos Digeſtorum & Codicis; Antinomias Iuris Feudalis, ſeu Diſputationes ex eius prælectionibus deſumptas; Practicum Iuris exercitium a Collegio ICtorum Ingolſtad. inſtitutum; Diſputationem de Magis, Veneficis, Maleficis &c.*

1599.

Habuit Facultas Artiſtica cum *Giphanio* non leuem controuerſiam, ſuperiori iam cæptam, & hoc demum anno, aliquot ante menſibus, quam hinc abiret, in celebri conuentu & pleno Patrum Academicorum conſeſſu per viam compromiſſi, vt loquuntur, compoſitam. Anno 1598. circa finem Caniculariū, *Giphanius* priuatim, ac inſcia Facultate Artiſtica Philoſophiæ Magiſtrum creauerat *Ioannem Lindtnerum* Alſatam, Phyſicæ per tres menſes auditorem, Cæſareum prætendens priuilegium. Sæpe rogatus, vt illud exhiberet, litem ad menſem vſque Martium huius anni ambiguis ſermonibus protraxit. Tandem a Senatu academico hæc lata eſt ſententia, & *Giphanio* per *Albertum Hungerum* Procancellarium denunciata; ſcilicet, vt nunquam poſthac talem actum promotionis in quacunque Facultate hic exerceret; ſaluo etiam in hoc caſu iure Sereniſſ. Principis Bauariæ & Epiſcopi Eichſtadiani. Adiecta etiam admonitio, vt ſi in futurum alios alibi promouere intendat, non promoueat in Religione ſuſpectos; quemadmodum nuper Ratisbonæ feciſſet. Ad hæc *Giphanius* ſtipulata manu promiſit Magnifico

A. 1599. fico D. Prorectori *Henrico Canisio*, se hoc pronunciato contentum fore, ea tamen conditione, vt Cæsareæ Maiestatis iuri nihil inde præiudicii fiat.

Post septem, quos in Philosophica Facultate consumserat annos, abiit demum Ingolstadio *Cornelius Adrianſens* Antwerpiensis, Romam vocatus ad Collegium Germanicum.

Ad alteram vitam migrauit *Christophorus Silberhornius* per plures annos Matheseos apud nos Professor & Collegii Albertini Regens; quod munus tanta cum dexteritate gessit, vt post vnius, quo ab eodem decesserat, anni spatium reuocatus iterum fuerit, quasi vnus ipse ad conseruandum recentis tum domus honorem sufficeret.

Ex Actis Congregationis Mariano - Academicæ intelligo, mense Maio obiisse *Cyriacum Luzium* Medicinæ Doctorem & Professorem, de quo superioribus annis, præcipue 1595. facta est mentio. Eius scripta *Grienwaldius in Albo Bauariæ Iatricæ* sequenti ordine annotauit: *Oratio de comparatione inter naturalem fœtus in vtero materno formationem atque mundi creationem*, Ingolst 1571. *De ligni Cotonei natura, & viribus*, Ingolst. 1580. *Obseruatio de Lithosophistica erronea quorundam de Lapide Philosophico nunc disceptantium doctrina* &c. Ingolst. 1582. *Descriptio de variis Medicorum sectis* &c. Ingolst. 1583. *De Medicina Philosophica*, Ingolst. 1597. quem quidem librum in captiuitate turcica se scripsisse testatur. *Disputatio de humoribus & superfluitatibus*, Ingolst. 1588. *De Academicæ vitæ commoditatibus. De considerando Academicorum officio. De hoc seculo disputabundo.* Vid. Grienwald. l. c. pag. 74. & seq.

ANNO DOMINI M D C.

A. 1600.

Rect. CCXLVII. PETRVS STEVARTIVS &c. IX.

Rect. CCXLVIII. HENRICVS CANISIVS &c. V.

Inscripti 201.

Nobiles, *Georg. Christoph. Schadt* de Mittelbibrach.
Ioan. Vdalric. a Preysing.

Ioan.

A. 1600.

Ioan. Iacob. Curtius a Senftenau, *D. Iacobi* Imper. Vicecancellarii filius.
Samuel Sanguzko, Baro in Kowal & Smolain.
Alexander Tyskowitz Palatin. Preſtienſ. Baro Polon.
Carol. Philipp. } *a Welden*, fratres.
Erneſt. Ludou. }
Ioan. Erneſt. } *Fuggeri*, *Chriſtophori* filii.
Otho Henric. }
Ioan. Wilhelm. a Rorbach.
Ioannes Fuggerus, *Marci* filius.
Sigismund. Leonard. Voyt de Berg.
Ioan. Wilhelm. a Königseck.
Ioan. Baro a Bemelberg & Hohenburg.
Georg. Chriſtoph. a Preyſſing.
Georg. Albert. } *Brey*, fratres.
Henricus }
Ioan. Pac, Comes in Kiwacice, Polon. cum aliis duobus nobilibus.

Ernricus, }
Godefrid. } *Barones a Landaw*, Auſtriaci.
Ioachim. }
Ferdinandus }
Maximilianus } *Hund* a Lending & Steinach.
Wiguleus Rudolph. }
Georg. } *Federl* a Pürk, Pfreimdenſ.
Wilhelm. }
Ferdinand. ab Haunſperg.
Rudolph. a Gemmingen.
Iacob. } *Barones a Thurn*, Bauari.
Georg. }
Martin. Hylnerus a Roſenbach, Præpoſit. Glogou. mai. Canonic. Wradislauienſ. & Budiſſin. Sileſius.
Ioan. Paul. Vertematus de Franchis, Italus.
Carolus Ianofsky a Ionsdorf, Sileſius.
Nou. Prof. *Hugo Rott*, Auguſtan. S. I. Prof. Caſ.
Ioannes Thannenmayr, S. I. Log.
Iacobus Keller, S. I. Phyſ.

A. 1600. *Ioannes Riepelius* SS. Theol. Doctor & Profeſſor atque ad D. Virg. Parochus relicto Ingolſtadio Landishutum conceſſit, de Academia & Parochia optime meritus. Ad Facultatem Theologicam acceſſit *Hugo Rott*, Profeſſor Caſuum Conſcientiæ, qui die 14. Iunii, cum adhuc Profeſſor eſſet Metaphyſicæ, Præſide *Iacobo Gretſchero* theſes defendit ex omnibus partibus Diui Thomæ, pro Licentia Theologica, quam vnacum *Ioanne Deſchlero* Collegii Georgiani Regente die 19. eiusdem conſecutus eſt.

Notandum quoque venit conſilium Theologicum, quod ſibi *Chriſtophorus Baro de Märsburg* a noſtra Vniuerſitate expetiit; ſcilicet, an liceret quosdam ſuos ſubditos catholicos permutare cum aliis heterodoxis; ita vt tum hi, tum illi cum Domino ſuo cogerentur & religionem mutare. Reſponſum illi eſt, non licere.

Hoc anno abrogata eſt ordinaria lectio Dialecticæ, cum conſenſu Sereniſſ. Principis MAXIMILIANI.

A. 1601.

ANNO DOMINI M DC I.

Rect. CCXLIX. IOANNES DESCHLERVS, SS. Theol. Licent. Collegii Georgiani Regens.

Rect. CCL. PETRVS STEVARTIVS &c. X.

Inſcripti 321.

Nobiles, *Chriſtoph. Rechlinger*, Patrit. Auguſt.

Guilielm. } *Viebeck*, Monacenſes, *Theodori Viebeckii* ab
Ioan. Albert. } Haimhauſen &c. filii.

Wilhelmus a Köckeritz, Saxo.

Stanislaus Laſoczky, Baro Polon.

Philibert. de Bois, Pragenſ.

Ioannes } *Konopacki*, Barones Polon.
Georgius }

Chriſtoph. Tomicki, Baro Pol.

Erneſtus Comes in Oetting, *Guilielmi* filius.

Carolus ab Ezdorf, renou.

Iodo-

A. 1601.

Iodocus Martin. Debitz, Sileſ.
Africanus de Baſſompierre, al. *Bettſtain*, Baro in Haruel & Hermouille, Lotharing.
Ioan. Adam a Muggenthal.
Caſp. Maurit. } *a Thierhamb.*
Philipp. Iacob }
Franc. Wilhelm. Comes in Haag, Sereniſſ. Ducis FERDINANDI filius.
Ioan. Chriſtoph. a Tyrhaim, nobilis puer Comitis in Haag.
Ettelius Ioan. a Stahlberg, Oenipont.
Rudolphus Comes ab Helffenſtain.
Wolfgang. Theodoric. Schenk a Stauffenberg, Can. Herbipol.
Georg. Frideric. } *Stauding.*
Georg. Chriſtoph. }
Ioan. Wolfg. Luz a Riſmansdorf. Straubing.

Nou. Prof. *Iacob. Keller*, S. I. Secking. Lucern. Prof. Caſ.
Ioannes Stuber, I. V. Doct. & Prof.
Ioannes Brutſcher, S. I. Obersdorf. Sueu. Prof. Phil.
Ioannes Lanz, S. I. Tettnang. Sueu. Prof. Matheſ.

Nou. Doct. *Stephan. Nebelmair*, Colleg. Eccleſ. SS. Iacobi & Tiburt. Straubingæ Can. & Paroch. } Theol.
Vergilius Maurer, Paroch & Decan. Aichenſ. }

Hoc anno menſe Nouembri Ingolſtadium venit FERDINANDVS *Gonzaga*, Ducis Mantuani & Montisferratenſ. VINCENTII I. filius cum honeſto admodum comitatu. Officii cauſſa Nobiles aliquot, & Equites Ducis Neoburgenſis eum comitabantur, ſed hi in vrbem intromiſſi non ſunt. Illuſtriſſ. Principem ſalutauit magnif. D. Rector cum duobus ex PP. acad. *Denichio* nimirum, & *Caniſio*, quos eodem die vnacum reliquis Profeſſoribus ad prandium inuitauit. Dum Collegium Ignatianum inuiſeret, exceptus eſt perbreui Dialogo a Comitibus, & nobilibus Gymnaſii Acad. Alumnis. *Berchtoldus* etiam Baro a *Wolckenſtein* eiusdem honoribus oratiunculam perorauit; cumque illis diebus quemdam Iuris Doctorem ab *Henr. Caniſio* creari contingeret, Dux quoque Mantuanus cum ſuis aulicis eum actum illuſtrauit. Incidit hac occaſione dubitatio: num a Rectore Vniu-

A. 1601. primus locus Principi cedendus eſſet? Conſultus propterea Sereniſſimus Dux noſter MAXIMILIANVS reſpondit: Principem præcedere debere. Viſitauit ſubin Collegium vetus & Bibliothecam; lectionem quoque phyſicam, & logicam, quin aliquando etiam Theologicam audiit. Hæc cum primo fere octiduo eſſent acta, nondum ipſe, neque ex eius comitatu quisquam Albo Academico nomen dederat, immo ne poſtea quidem inſcribi volebat, quod Patribus acad. vehementer diſplicuit, atque idipſum etiam Monachium perſcripſere, quo menſe Decembri Dux ipſe diſceſſit, vocatus a Parente Duce, qui ex Hungaria ob inualetudinem redux illac tranſibat, paullopoſt tamen Ingolſtadium reuerſus, atque priuatim Præceptore *Valentino Eiſenharto* Logicam didicit.

Inſcripſimus vero eodem anno alium illuſtriſſimum Academicum *Franc. Wilhelmum Comitem in Haag*, communius dictum *a Wartenberg*, Ser. FERDINANDI vtr. Bau. Ducis Filium, Præpoſitum poſtea Oetingæ veteris, qui cum *Oſwaldo Frickio* Præceptore, nobili Ephebo, & famulo ad Scholam noſtram miſſus in Collegio Conuictorum habitauit, vbi altero poſt aduentum die recepto tum apud Academicos ritu depoſitus eſt. Anno 1611. Romam abiit in Collegium Germanicum; atque anno dein 1626. factus eſt Epiſcopus Oſnabrugenſis.

E Collegio noſtro Theol. euocati menſe Nouembri ſunt *Albertus Hungerus*, & *Iacobus Gretſcherus* ad Colloquium Ratisbonenſe, quod Catholicos inter Theologos, & Lutheranos Doctores inſtituendum curauerunt Sereniſſ. Dux MAXIMILIANVS, & PHILIPPVS LVDOVICVS Dux Neoburgicus. Aderant ex parte Lutheranorum, qui doctiſſimi tunc habebantur, ex omni Palatinatu, Saxonia, Marchia Brandenburgica, & Würtenbergia Theologi, quorum e numero a Principe *Collocutores* (ſic Diſputantes appellare placuit) deſignati ſunt *Iacobus Hailbrunnerus*, & *Aegidius Hunnius*. Ex catholicis præter duos Profeſſores noſtros, conſtitutos nempe a Duce MAXIMILIANO Collocutores, aderant tanquam teſtes & conſultores *Georg. Lautherius*, Eccl. Colleg. ad D. V. Monachii Præpoſitus, *Anton. Welſerus*, Can. Friſing. *Wolfg. Hannemannus* ad D. Petrum Monachii Decanus, Canonicus pariter Friſingæ, & *Adamus Tannerus*, qui ægrotanti dein *Gretſchero* eſt

A. 1601.

eſt ſuffectus. Multi etiam ex ſtudioſis noſtris Ratisbonam proficiſcebantur. De ſucceſſu huius Colloquii multa vtrinque fuere ſcripta, quæ longum nimis foret enarrare. Mihi vnum ſufficit pro Catholicis argumentum, quod nimirum WOLFG. WILHELMVS Ducis Neoburg. filius ac Hæres Colloquio præſens, ab illo tempore animum ad Catholica Sacra conuerterit, atque eadem demum palam ſit amplexus.

Iurium Profeſſor *Rathius* Monachium euocatus eſt, ſeruato iure reditus, & annua centum florenorum penſione ex ærario Vniuerſitatis. In eius locum *Ioannes Stuberus* ad tempus, ſi nempe ſatisfaceret, receptus ſuit. Rector quoque Academiæ æſtiuus *Ioan. Deſchlerus* ex voluntate Sereniſſimi Principis GVILIELMI Monachium diſceſſit; hinc poſtquam feſto D. Lucæ Rectoratum abdicaſſet, munus ſimul Regentis Collegii Georgiani depoſuit. Rogati igitur PP. academici, vt de Succeſſore proſpicerent. Conuenere illi 20. Dec. in ædibus Rectoris D. *Steuartii*, & communibus ſuffragiis elegerunt *Michaelem Miſſenmannum*, Parochum Pemfeldenſem, cui proximo menſe Februario *Steuartius* Rector nomine Sereniſſ. Ducis, a quo literæ confirmationis paullo ante aduenerant, & Academiæ, gubernationem Collegii tradidit.

A. 1602.

ANNO DOMINI M DC II.

Rect. CCLI. BERCHTOLDVS BARO DE WOLKENSTEIN in Troſſburg & Neuhauſen, Tirolenſ.

Prorect. *Petrus Steuartius* &c.

Rect. CCLII. IOAN. ERNEST. FVGGERVS Baro in Kirchberg & Weiſſenhorn, *Chriſtophori* filius, *Ioannis* nepos.

Prorect. *Henricus Caniſius* &c.

Inſcripti 164.

Princeps, FERDINANDVS *Gonzaga*, Mantuæ & Montisferrati Dux, Prior Baruli &c.

Nobiles, *Aurelius Pomponatius*, Protonot. Apoſtol. Com. Palat. Eques Aurat. Pontif. Max. Clementis VIII. Domeſt.

A. 1602.

meſt. Commenſ. Eccleſ. Colleg. S. Barb. Abbas, & ordinar. Sereniſſ. Ducis Mantuani intim. Conſil. & Principis Ferdinandi Præfect. general.

Ioan. Bapt. Romielus Comes Tricerii, Cubiculi Præf.

Vigilius Gonzaga, Can. Cathedr. Mant. Domus Præf.

Ioan. Bapt. Gonzaga, Cubicular.

Iulius Fugacina, *Rudolphus a Gebeck*, } nobiles pueri.

Ioan. Iacob. *Carol. Euſeb.* } *Magnus*, Equites Bohemi.

Fridericus *Ioan. Sebaſt.* } *Erlbeck* a Sinningen in Ettershauſen.

Iul. Cæſar Criuellus, Mediolan. Maximil. Ducis Bau. Cubicular.

Melchior a Stain. Can. Eichſtett.

Ioan. Chriſtoph. Regaller.

Ioannes *Barthol. Conrad.* } *Fluth*, Saxones.

Felix Had a Roſeze, Bohem.

Alexander Logowſchi, Baro Polon.

Wolfgang. *Paulus*, *Sebaſtian.* *Ioan. Carol.* } *Langenmantel*, Patrit. Auguſt.

Carol. Ludou. Ernſt. Comes a Sulz &c.

Vitus Adam. Gebeck ab Arnbach, Can. Friſing. ac poſtea ibidem Epiſcopus.

Ioan. Virgil. *Maximilian.* } *Schleich*, Landishut. fratres.

Dominicus de Vic, Pariſin. Abbas B. V. du Bec in Normania.

Ioan. Bapt. de Barbogliis & Algiſiis, Breſcienſ. Ital.

Ioan. Stephan. *Ioan. Sigismund.* } *a Cloſen* in Haidenburg & Hinterholzen.

Ioan. Raymund. a Neubauſen.

Ioan. Sigward. a Schwabach, Bauar.

Augu-

A. 1602.

Auguſtin. } *Löſch* ab Hilgertshauſen, Bauar.
Wolfg. Wilh. }
Ioan. Georg. } *Lung* a Plank, Bauar.
Ioan. Albert. }
Wolfg. Ludou. Lung a Plank, Can. Friſing.
Georg. Baro a Dannberg, Can. Ratisbon.
Adam. Reittörner in Schelnach, Bauar.
Ioan. Anton. Clementi a Cles, Trident.
Otto Zenger ab Altenthan, Bau.
Berchtold. Schrenk a Notzingen, Tirolenſ.
Ioan. Sirakowius a Purkow, Morauus.
Carolus Troilo, Tirolenſ.
Erneſtus Comes ab Oettingen.
Ioan. Chriſtoph. Comes in Hohenzollern, Can. Colon.
Carol. Comes in Hohenzollern.
Gedeon de Vic, Baro Pariſienſ.

Nou. Prof. *Conrad. Reibingus* Auguſtan. S. I. Prof. Philoſ.

Menſe mox Ianuario huius anni venere legati a Seren. noſtro Duce MAXIMILIANO, acturi cum Mantuano Principe, vt cum ſua familia Albo Acad. inſcriberetur. Conſenſit ille, hac tamen lege, vt ne in conſueta aliis verba iurare teneretur, ſed ſtipulata manu promitteret pro ſe quidem, Præfectus vero Aulæ pro reliquis omnibus. Dedit hoc illi Academia, quia Principi. Inſcripta igitur Matriculæ recepto more omnium Nomina a Rectore *Steuartio*, cui Princeps inſigne munus addidit 100. florenorum, data etiam Notario, Bedello, & ipſi Academiæ ſua dona. Etſi vero publicas lectiones ne tum quidem audiret, ad academiam tamen non raro venit, ac tum præcipue, cum *Paulus* quidam *Troyerus*, Erdinganus Theſes ſuas Philoſophicas eidem dedicaſſet, toto pomeridiano tempore cum aulicis ſuis diſputationi interfuit. Proceſſionem quoque, quam Mariana Congregatio ſexta maioris hebdomadæ feria educere ſolet, pœnitentes inter Academicos rubro indutus ſacco comitatus eſt. Illud in 15. annorum Principe memorabilius, quod Feriarum Acad. tempore *libellum* compoſuerit *Piarum Meditationum pro Quadrageſima*, quem typis dein Academicis excuſum Sereniſſimo genitori VINCENTIO Mantuæ, Montisque ferrati Duci &c. dedicauit.

A. 1602. Aprili demum menſe in Italiam diſceſſit; relicta hic familia fere tota, dicebatur rediturus; ſed ita viſum haud fuit Patribus Acad. die enim 16. Aprilis Dominus Rector, ſociis *Denichio*, *Hollyngo*, *Dannemario* & *Fabricio* illi diſcedenti nomine totius Academiæ valedixit. Et vero Iunio menſe per Camerarium quemdam ſuum, ad Sereniſſ. Bau. Ducem prius deſignatum omnem, quam reliquit, familiam reuocauit Mantuam. Hac ratione Illuſtriſſ. ac Reuerendiſſ. Princeps intra 5. menſes ſuam priuatos inter parietes confecit Philoſophiam. Anno 1605. in Cardinalium Collegium cooptatus eſt. Sed poſtquam FRANCISCVS frater ſine maſculo hærede obiiſſet, relicta purpura matrimonium iniit primum cum *Camilla Reticina*, dein cum *Catharina*, magni Ducis Florentiæ filia. Ex quibus cum & ipſe hæredem non reliquiſſet, ſucceſſorem habuit *Vincentium II.* tertiogenitum fratrem.

Illuſtres inter Alumnos hoc anno Academiæ adſcriptos in primis memorandus eſt *Carol. Ludou. Erneſtus Comes a Sulz* &c. qui poſthac nomine Cæſaris vniuerſam Würtenbergiam adminiſtrauit, ac demum Ambergenſis vrbis gubernator factus eſt.

Menſe Iunio parentauit Academia in Templo D. V. Sereniſſ. RENATAE, Ducis GVILIELMI ſanctiſſimæ coniugi, quæ 22. Maii Monachii obierat. Eius laudes *Raynerus Fabricius* Ethices Prof. poſt decantatum ſolennius ſacrum oratione bene longa declamauit. Illuſtriſſ. Principem, Epiſcopum Ratisb. & Præpoſitum Eluacenſem WOLFGANGVM hac tranſeuntem ſalutauit Vniuerſitas: habuit *Steuartius* Prorector orationem breuem, cui nomine Principis reſpondit *Leonardus Treitweinius*, Capit. Ratisbon. Syndicus. Academicos omnes Princeps ipſe humaniſſime excepit.

In mutatione æſtiuali Rectoris illud hoc anno fuit ſingulare, quod auditor Rhetorices, & primus ex Collegio Ignatiano Vniuerſitatis Rector electus ſit *Berchtoldus Baro de Wolkenſtein*, Tirolenſ. *Iuuenis*, ut acta teſtantur, *grauis*, *modeſtus*, & *probus*. Variis libris eius nomini dedicatis ſexies omnino cultus eſt.

Cum hoc anno Sereniſſ. Dux MAXIMILIANVS *Andreæ Fachinei*, noſtri quondam, nunc Piſani Iurium Profeſſoris operam per literas expetiiſſet, vt optimum per Italiam pro hac ſua

Vni-

A.

Vniuerſitate Iuris Profeſſorem conquireret; commendauit is 1602.
Fabricium Mattheium, Foroliuienſem generum ſuum omnibus modis, petiitque pro ſtipendio 700. Coronatos, certam item ſummam pro itineris ſumtibus, ſuppellectile, & libris. Exquiſiuit hac ſuper re Dux MAXIMILIANVS Academiæ ſententiam, quæ cum perbene *Mattheium* illum noſſet, quippe cui non multis abhinc annis Doctoris gradum contulerat, reſpondit Sereniſſimo, non iudicare ſe illum talem, pro quo commendatus eſſet, aut qui pari diſcentium, atque ſuo emolumento Iurisprudentiam profiteri poſſet.

Ex teſtamento *Roberti Turneri* Prof. antehac noſtri, obuenit hoc primum anno Patribus Societatis Bibliotheca libris inſtructiſſima, mille aureis a quibusdam æſtimata.

Ceterum triſtiſſimi duo caſus hoc anno accidere, quos, vt forte lecturis iſta luuenibus noſtris cautelæ loco ſeruire poſſint, referre hic placet. Die 24. Ianuarii *Iacobus Wolfgangus Luz a Rismansdorf*, Straubinganus ad Meilingam pagum interfectus eſt a nobili quodam Iurium Studioſo ex *Hundiorum* familia nato. Fugit percuſſor ad Patres Franciſcanos, adhibiti cuſtodes; ſed vt fere fieri ſolet, poſt aliquot dies euaſit. Occiſi cadauer in templo Veldkirchenſi terræ mandatum eſt. Die 24. Auguſti vero *Leonard. Bachmarius* Dilinganus lamentabili plane caſu e ſuperiore domus parte intempeſta nocte totus ebrius præceps ruit, ita vt temulentus adhuc animam vna circiter poſt caſum hora exhalarit.

Iam ſub exitum fere huius anni venit ad nos cum Præceptore & famulo Polonus Iuuenis, qui Marchionem ſe dicebat. Sed negarunt ei PP. Academici locum & prærogatiuam aliis hactenus Marchionibus conceſſam, quod alia longe eſſet ratio Marchionum Germanorum, qui veri ſunt Principes, quam Polonorum, vbi hi tituli vel nulli ſunt, vel perrari. Moleſte id ferente illius Præceptore, Academia tamen in ſententia perſtitit. Sub finem autem Martii diſceſſit hic Marchio cum ſuis Dilingam, tum quod pro Marchione illum non agnouerit Academia, tum quod propter duellum feria ſecunda Paſchæ commiſſum, armis & pecunia etiam mulctarit.

A. 1603.

ANNO DOMINI M DC III.

Rect. CCLIII. PETRVS STEVARTIVS &c. XI.
Rect. CCLIV. HENRICVS CANISIVS &c. VI.
Inſcripti 251.
Nobiles, *Ioan. Adolph. a Peſſenhauſen.*
Ioan. Wolfg. a Weix.
Ioan. Chriſtoph. } *a Seiboltsdorf.*
Ioan. Clemens }
Ioan. Comes a Sulz, filius Vicedom. Straubing.
Paris Comes a Lodron, Dominus caſtri noui, Rhet. Stud. poſtea Archiepiſcopus Salisburgenſis.
Chriſtoph. Comes a Lodron &c.
Cornelius a Reutbelm, Düſſeldorp.
Conſtantin. } *Comites a Liechtenſtein*, Domini in Caſtelcorn.
Veſpaſian. }
Guilielm de Cazanis, a Gandino, Tirolenſ.
Ferdinand. } *Zebendner* a Zehentgrueb, Tirolenſ.
Alexander }
Sebaſt. Chriſtoph. Rechlinger, Patrit. Auguſt.
Ioan. Bapt. Schellenberg.
Chriſtoph. a Lerchenfeld in Gebelkofen & Walchering.
Sigismund. a Künigsfeld in Gitting.
Chriſtoph. Fux ab Ebenhofen in Hildenburg. Bau.
Wolfg. Theodoric. a Thun.
Iacob. } *Khuen a Belaſy* in Liechtenberg & Gartenegg, Liberi Barones in nouo Lempach, Tirolenſ. fratres.
Guilielm. }
Ioannes de Cazebanis.
Ioannes de Eideren, Leodius.
Matthæus } *Welſeri*, Patrit. Auguſt.
Andreas }
Carolus } *Fuchs* de Fuchsberg & Iauffenburg, Baro-
Oſwaldus } nes in Freudenſtain, Lebenberg & S.
Ferdinand. } Valentino, Tirolenſ.
Carol. Iungher ab Oberchunreut, Bambergenſ.
Bartholom. du Boyſſelin, Armoric. Gallus.

Maxi-

A. 1603.

Maximil. Schad a Mittelbibrach.

Nou. Prof. *Adam. Tannerus*, Oenipont. S. I. Prof. Theol.
Leonard. Zindekerus, I. V. Doct. & Prof. Cod.
Albert. Menzelius, *Philippi* filius, Medic. Doct. & Prof.
Paulus Laymannus, Oenipont. S. I. Prof. Philos.

Nou. Doct. *Archimbaldus Anderson*, Scotus, Medic.

Pridie Ianuarii huius anni Ingolstadium venit Reuerendiss. & Illustriss. Princeps IOANNES CONRADVS, Episcopus Eichstett. cum magno comitatu, lubilæi Indulgentias populo impertiturus. Exceptus fuit ea ipsa die a ciuibus ad pompam solenniter armatis, postridie vero ab Academia in ædibus *Matthæi Fuggeri*, ad quas diuerterat. Habuit breuem orationem *Albertus Hungerus* Procancellarius, cui Princeps latine respondit. Iturus ad Templum Academicum ad dextris habuit Magnificum Vniuersitatis Rectorem, a Sinistris Abbatem Cæsareensem, aulici nobiles præcedebant, Academici cum reliquis sequebantur. Cantatum ibi ab eodem Sacrum, ad quod pagi circumiacentes cum vexillis, & sacris cantilenis confluxere. Monitus de controuersia, quam Academia cum Præfecto vrbis habet ratione *præcedentiæ*, respondit: se Iura Vniuersitatis nolle infringere. Inuitauit ad prandium Professores, illustres Comites ac Barones, ad cœnam vero Præfectum, & Senatores vrbis. Obtulit Academia doliolum vini dulcis; ciues poculum inauratum; Præfectus nomine Ducis Sereniſſimi dolium vini, currum avenæ, aprum & ceruum. Altero die mane discessit. Iucundissima hæc, breuis licet commoratio Principis ad ouiculas suas inuisentis vrbi nostræ & accolis accidit; a centum enim annis, vt illius temporis monumenta referunt, nullus Episcopus Eichstadianus Missam solennem Ingolstadii decantauit.

Ab Academia & Cathedra Theol. Dilingam discessit *Michael Eiselinus*, per continuos 18. annos apud nos Theologiæ Professor, quam ipse in Collegio Germanico Romæ didicerat, Doctoris ibi gradum ex ea scientia consecutus. Scripsit disputationes Theologicas *de Diuina Gratia*. Elogium, quod sacra illi Facultas reliquit, huius est tenoris: *Mich. Eiselin, S. I. Gamundianus Sueuus, post Philosophicas disciplinas publice explicatas SS. Theologiam annos ipsos XXIII. magna sua laude, magno auditorum fructu*

A.
1603. *explanauit, e quibus XIII. omnino annos in hoc ipſo auditorio poſuit, X. reliquos Dilingæ, Monachii, Conſtantiæ, omnibus vbique cum ob ſingularem eruditionem, tum ob inſignem vitæ, morumque candorem & probitatem gratiſſimus. Tandem ad vires, quas laboribus ac vigiliis attriuit, reſtaurandas cum Medicorum conſilio Bauariam repeteret, vitæ prius, quam profectionis terminum inuenit XVI. Decemb. anno Domini MDCXIII. ætatis LV.*

Habuit 26. die Maii ſolenne principium de iucunditate & præſtantia vitæ Studioſorum *Leonardus Zindeckerus*, I. V. Doctor Codicis Profeſſor a Sereniſſ. Principe conſtitutus, pro *Caſparo Hellio*, qui vltra annum Monachii detentus in carcere, omnino demum exauctoratus fuit.

In Facultate Medica numero Profeſſorum adlectus eſt *Albertus Menzelius*, *Philippi* filius, qui die 17. menſis Decemb. ſolenne principium de more habuit; poſt feſta autem natalitia explicationem Aphoriſmorum Hyppocratis aggreſſus eſt. In eadem Facultate Doctor creari debuit, ita volente Sereniſſimo Principe noſtro, *Archenbaldus* quidam Scotus, ſine vllis expenſis, ſeu pro bonis nouis, ſeu conuiuio, ſeu burſa medicæ Facultatis. Contra rem inſolitam binas dedere literas Patres Academici ad Sereniſſimum, ſed nihil effectum eſt.

In ſolenni philoſophica 21. Magiſtrorum inauguratione primo ſecundum doctrinæ ordinem loco ſpectabilem ſe reddidit *Paulus Albertus Michna de Vaczinoua*, nobilis Bohemus, qui iam menſe Martio magnam ſibi ex publica diſputatione eruditionis laudem comparauerat; Iuuenis, vt Acta loquuntur, optimæ indolis, & ſummæ exſpectationis. Fuerunt eiusdem gradus Philoſophici duo alii candidati, quorum inſolentia primum, deinde ſumpta de illis pœna memoranda videtur. Duo Clerici minus contenti eo, quem vi examinis meruerant, loco immoderate prorſus, atque inſolenter Collegii Philoſophici Patribus obſtrepebant: moniti a Decano non deſtitere. Delata ergo ad Rectorem res eſt, qui mox ambos carceri iuſſit includi. Integra die, atque etiam nocte in illo hæſerant, cum ad Facultatis Philoſophicæ Concilium vocati deprecari primum culpam iubebantur; deinde iniunctum, vt deſignato ſibi loco contenti eſſent, nec vllo ſigno oſtenderent, factam ſibi iniuriam, ſub grauiſſima,

arbi-

A. 1603.

arbitraria Patribus Facultatis, infligenda pœna. Res tranquille peracta, præſtitere quod iuſſi ſunt Candidati; quare cum reliquis Magiſterii grada fuere inſigniti. Exemplum hoc ſeuerioris diſciplinæ academicæ multum teſtantibus actis valuit ad confirmandam Collegii Philoſophici auctoritatem, atque ad infringendam quorumdam inſolentiam.

ANNO DOMINI M DC IV.

A. 1604.

Rect. CCLV. ALBERTVS MENZELIVS Medic. Doct. & Prof.
Rect. CCLVI. PETRVS STEVARTIVS &c. XII.
Inſcripti 200.
Principes, PHILIPPVS S. R. I. Princeps, *Comes ab Aremberg*, Baro in Zeuenberg, Dominus in Mirouart, Hannonius Belga.
SCIPIO } *Gonzagæ* Marchiones, FERRANTIS Man-
ALPHONSVS } tuani Marchionis filii.
Nobiles, *Michael* } *Gieſen*, Boruſſi, fratres.
Albertus }
Wernerus a Gymnich, Iuliacenſ.
Hugo de Preux, puer honorarius Principis Aremberg.
Ioan. Ioachim. a Leubelfing.
Georg. Frideric. a Muckenthal.
Georg. Philipp. S. R. I. Mareſchallus hæreditar. L. B. *in Pappenheim.*
Cæſarinus Iuſtinianus, Italus.
Ioan. Adam. a Taufkirchen.
Henric. Heilbrand. ab Einſeidl, Miſnius.
Ioannes du Boyſſelin, Aremoric. Gallus.
Godefrid. Henric. S. R. I. Mareſchall. hæreditar. Dominus *in Pappenheim* & Treuchtling &c.
Ioan. Theodoric. a Welden, Laubheim. Sueuus.
Ioan. Chriſtoph Ilſung, Ingolſtadienſ. *Sebaſtiani* filius.
Ioan. Paul. de Leoprechting in Elenbach.
Gaſpar Bobola, Polon.

Ioan.

A. 1604.

Ioan. Iacob. Peuttinger, Auguſtan.
Ioan. Otto a Taufkirchen, in Hohenrain.
Ioan. Iacob. Baro in Königseck.
Carol. Baro a Schrottenbach, Heggenberg & Oſterwiz, obiit an. 1607. in Hiſpania.
Angelus Martius Medices, Florentin.
Fridericus Fodro, nobilis puer DD. Marchionum.
Leo Burrianus Bercha a Dubba & Leyppa, Baro Bohemus.
Frideric. Proſſowsky de Proſſewicz, } Bohemi equeſtris
Adauctus Geniſech de Vgezd, } ordinis.
Ioan. Frideric. }
Ioan. Erneſt. } *Decii, Conradi Decii de Weidenberg* Cæſar. Conſil. & Secret. filii.
Ioan. Godefrid. }
Ioan. Euchar. a Wolffurt, Profeſſus Campidunenſ.
Rudolph. Ioachim. Blarer a Wartenſee, Profeſſus Campidunenſ.
Carolus Kuglmann, Styrus.

PHILIPPVS Princeps *Arembergius* ſub finem Ianuarii ad Vniuerſitatem noſtram venit cum *Mario* Italo moderatore, & nouem aliis ad eius ſeruitia deſtinatis. Huius Pater *Carolus* 1563. ſtudiis apud nos vacauerat ſub Comitis Arembergici titulo; ſed an. 1565. a MAXIMILIANO II. Imp. hæc familia ad Principum Imperii dignitatem in *Ioanne* PHILIPPI noſtri auo fuit euecta. Erat PHILIPPVS hic noſter 16. annorum, cum ad nos acceſſit, audiitque publice Ethicam; domi mane hora 7. Inſtitutiones Iuris; in Collegio Patrum Soc. Politicam & Hiſtoriam; Præceptore *Rayn. Fabricio*; hora 2. mathematicam. Quam multa hæc ſunt & varia, non ſuperabant tamen ingenium Principis, quod erat excellens ac ſummum. Circa ordinem ſeſſionis ac inceſſus in actibus publicis decretum eſt a Senatu Acad. vt *Arembergius* omnes Comites præcederet, excepto *Franc. Guilielmo Wartenbergio*, FERDINANDI Senioris vtr. Bau. Ducis filio.

Inſcriptos ad eundem annum Academiæ albo reperio Illuſtriſſimos Marchiones SCIPIONEM, & ALPHONSVM *de Gonzaga*, FERRANTIS ſeu FERDINANDI *Mantuæ Marchionis, Sabionedæ, ac Bozzoli Principis, & S. Martini Comitis* filios. Erant hi admodum iuuenes, & SCIPIO quidem 10. *Alphonſus* 8. annorum. Habitabant

A.
1604.

bant in Conuictu S. Ignatii Mart. & frequentabant in Gymnasio Acad. infimam Grammatices classem. Plura de horum Principum commoratione Ingolstadiensi inuenire non licuit.

Inter reliquos hoc anno inscriptos memorandus merito venit *Ioannes Mändl*, Gynzburgensis Suevus, Præfecti illius loci filius, qui cum Philosophiæ ac Iurisprudentiæ curriculum felicissime apud nos absoluisset, ita, vt inter vicenos & vltra Baccalaureos atque Magistros Philosophiæ primum semper locum, ante ipsum etiam *Leonem Menzelium* obtinuerit, Præses denique Cameræ Monachii factus, atque in numerum liberorum S. R. I. Baronum relatus est.

In Facultate Iuridica ab aliquo iam tempore agebatur de *Gilkenio* quodam Würceburgensi Iurium Professore ad academiam nostram recipiendo; commendauit scilicet hunc Principi MAXIMILIANO summus Præpositus Ratisbon. *Quirinus Leoninus*. Obtulit & ipse sese *Gilkenius*, si septingentorum vel octingentorum florenorum quotannis stipendium esset accepturus; recensens præterea quos scripsisset libros, & quos scribere cogitaret. MAXIMILIANVS hisce literis ad Vniuersitatem missis, informari ab eadem super hoc negotio petiit. Dissuasere Patres Academici, *Gilkenii* receptionem, causantes nihil quidem ad rem facere, quod doctrina præstaret, cum prouectæ ætatis esset, & requiem magis quærere ea re videretur, quam in hac Academia haud esset inuenturus. Recusasse illum etiam biennio abhinc hanc stationem, postquam suo ab Episcopo largius stipendium impetrasset; dein plus petere ipsum, quam Facultates Cameræ Academicæ ferre possent, quippe quæ tali modo ære alieno grauanda esset. Sperare potius Vniuersitatem, rogareque, vt benemeritis, & veteranis Professoribus, qui neque scientia, neque experientia *Gilkenio* cederent, stipendium augeatur; quod vtique ad alendam honestam æmulationem opportunissimum videretur, ne scilicet animi ad labores torpere inciperent, si amplioris fortunæ spes omnis esset erepta. Hic fere sensus erat Responsi Acad. cui etiam Princeps acquieuit.

Quod huius anni memoriam funestat, mors est *Alberti Hungeri*, Theol. Doct. & Prof. Vniuersitatis per 24. annos Procancell. Canonici Eystett. & Passau. nec non Præpositi Ha-

A.
1604. bacenſis. Natus erat Kelhemii in Bau. anno 1545. patre *Wolfg. Hungero*, celebri Iurisconſulto, de quo ſuperius. Poſteaquam anno ætatis 17. Philoſophiam apud nos abſoluerat, atque ex eadem Doctoris dignitatem erat conſecutus, Romam abiit, atque in Collegio germanico vltra triennium commoratus Theologiam didicit Profeſſore *Turriano*. In reditu autem ex vrbe, Patauii ab *Hieron. Violinio* Epiſc. Argolicenſi, celeberrimo illius Vniuerſitatis Theologo, Baccalaureus in ſacra ſcientia creatus eſt. Anno 1567. vixdum vigeſimum primum ætatis annum egreſſus Philoſophiam profiteri eximia cum laude cœpit; mortuo dein an. 1570. *Georgio Theandro* ad cathedram Theol. euectus eodem adhuc anno Licentiatus, ſequenti autem Doctor Theol. vnacum *Martino Eiſengreinio* renuntiatus eſt a *Theodoro Peltano*. Poſt obitum denique magni illius *Eiſengreinii* anno 1578. Scholæ noſtræ Procancellarius & Inſpector conſtitutus eſt; quod vtrumque munus continuas inter corporis infirmitates ſumma cum dignitate ad hunc vſque annum ſuſtinuit, quo tandem morborum grauitate victus ſuccubuit die vndecima Februarii magno cum totius Academiæ luctu. Die tertia decima eiusdem tumulo illatum eſt funus. Orationem funebrem eo die habuit *Rayn. Fabricius* Prof. Ethices, & Facult. Artiſticæ tunc Decanus. In die ſeptimo depoſitionis perorauit *Franc. Neuffert*, Rhetorices Profeſſor, in die autem triceſimo *Adamus Tannerus* S. Facultatis Decanus. Ad præcedentium meritorum cumulum, & ſingularem, dum viueret, in omnes beneficentiam *Albertus* varia legata moriturus adiecit. Mille florenos in fundationem annui cenſus pro ſubſidio egentium familiarum huiatis vrbis deſignauit; Academiæ inſtructiſſimam ſuam Bibliothecam teſtamento legauit; Theologicæ autem Facultati ſcyphum argenteum inauratum. Fundauit item duo ſtipendia, ſingula 50. florenorum; templo quoque Patrum S. I. qui hoc grati in ſuis actis notarunt, legauit centum aureos, atque crucem gemmis auroque illuſam faberrime & ex collo portatilem. Sepultus fuit in templo D. V. ante Sacellum trium Regum cum hac inſcriptione: *Anno a partu Virginis MDCIV. III. Idus Febr. Dominus Albertus Hungerus Theol. Doctor, vir omni laude vera cumulatiſſimus e viuis pie exceſſit, cuius animæ moriture viator iudicii, quod te manet, non immemor bene precare.* Aliud

Epi-

A.
1604.

Epitaphium iuxta ſacrarii portam muro inſertum, & marmore cum effigie crucifixi Chriſti, & coram eo flectentis *Hungeri* inſculptum eſt his verbis:

Chriſto Redemptori S.

D. Alberto Hungero, Profeſſori Theologo, eruditione & eloquentia nulli ſecundo, viro natalibus claro, prudentia mirabili, religione in Deum, pietate in pauperes, ſummis, mediis, infimis vt ſpectatiſſimo, ita chariſſimo, e tabulis teſtamenti, quod pridie fatalis horæ ſua manu perſcripſit, & obſignauit, Pos. vixit annos LIX. dies IV. anno ſal. MDCIV. III. Idus Febr.

Huic Epitaphio conſonat elogium in Schola Theol. eius memoriæ inſcriptum, quod addere hic iuuat: *Albertus Hungerus, Theol. Doct. vir ſingulari doctrina, prudentia, ſuaui morum grauitate, perpetua vitæ innocentia, in pauperes liberalitate clariſſimus, Paſſau. & Eyſtett. Eccleſiæ Canonicus, Orator inſignis, Sereniſſimis Bau. Ducibus a Conſiliis, in hac Academia primum Philoſophiam vixdum 21. ætatis annos egreſſus, deinde Scholaſticam Theologiam annos circiter 18. docuit, Procancellariatus munere etiam 26. annis perfunctus, editis libris, variisque ingenii ſui monumentis inclaruit, moriens inſtructiſſimam Bibliothecam Academiæ, duo millia aureorum pauperibus, alia in alios pios vſus teſtamento reliquit. Obiit die 11. Febr. anno 1604 ætatis ſuæ 59.*

Libri ab *Hungero* typis editi hi fere ſunt: *Theſes naturalis Philoſophiæ de cœlo.* 1573. *De Peccato, aduerſus Lutheri, Caluini &c. errores.* 1573. *De Prouidentia diuina oratio.* 1574. *Philoſophia de Elementis explicata.* e. a. *Aduerſus veteres & nouos errores de anima, Concluſionum centuria.* 1575. *De veritate Tranſubſtantiationis in Sanctiſſima Euchariſtia.* 1577. *De Originis peccato.* 1578. *De auctoritate Eccleſiæ, eiusque Miniſtrorum legitima vocatione.* 1579. *De fide S. Athanaſii, & conſenſu Theologiæ Lutheri cum Philoſophia Epicuri.* 1582. *De prima præſtantiſſimaque Philoſophia.* 1583. *De medio Eccleſiæ catholicæ aduerſus nouos & veteres Extremiſtas.* 1586. *De deſcenſu Chriſti ad inferos, & eiusdem ad cœlos aſcenſu.* 1587. *De Incarnati Verbi myſterio.* 1595. *De Statu Epiſcoporum.* e. a. *De modo, quo Deus ab intellectu creato cognoſci poteſt, de Oratione, & Horis Canonicis.* e. a. *Orationum Tomi tres. a.* 1601, & 1602. &c.

In officio Procancellarii Vniuerſitatis *Hungero* ſuffectus eſt *Petrus Steuartius;* cumque eadem Facultas Sereniſſimo Duci noſtro *Hungeri* obitum ſpecialibus literis ſignificaſſet, ac ſimul

A. 1604. pro nouo Profeſſore Theologiæ ſubſtituendo rogaſſet, voluit Sereniſſimus ab eadem Facultate ſibi celebrem quemdam Doctorem nominari, quæ clementiſſimi Principis voluntati diligenter obſecuta *Adamum Gerickium*, Pruthenum, Theol. Licent. & Collegii Ratiborienſis in Sileſia Decanum commendauit. Sed de hoc negotio plura anno ſequenti, eouſque enim res fuit dilata.

In Philoſophia Theſes inſigni cum laude defendit Illuſtris *Comes Paris de Lodron*, Dominus noui caſtri &c. Præſide *Paulo Laymanno*, quod eo maxime ex capite mihi memorabile viſum eſt, quod hic ipſe *Paris* an. 1619. ad Archiepiſcopatum Salisburgenſem euectus, non tantum eius loci Vniuerſitatem liberaliſſime fundarit, ſed omnem illam Prouinciam tempore tricennalis belli prudentiſſime ac feliciſſime continua in pace gubernarit.

Regens Collegii Georgiani inſtitutus eſt *Gregorius Harſæus*, Leodius Eburo, inſignis probitate & eruditione vir, qui ſequente mox anno Licentiatus primum, tum Doctor Theologiæ eſt renuntiatus.

ANNO DOMINI M DC V.

A. 1605.

Rect. CCLVII. PETRVS STEVARTIVS &c. confirmatus XIII.

Rect. CCLVIII. HENRICVS CANISIVS &c. VII.

Inſcripti 237.

Nobiles, *Ioan. Daniel Carpio* a Caperſtein, Pragenſ.

Wolfg. Theodoric. Baro a Thun, liberis Imperii Baronibus circa hoc tempus adſcriptus, die 31. Ian. h. a. iterato ſuum nomen matriculæ dedit.

Chriſtoph. Frideric. a Freyſing, Tirolenſ.

Petrus Curtius, Dominus d'Oupei, Hermei, Viuiginii & Tilleur &c. Leodius.

Henric. Baro de Lomenie, Pariſin. filius D. *Antonii* Conſil. reg. in ſanctiori interiorique Status Conſilio ac a ſecretis omnium primi.

Carol.

A. 1605.

Carol. Frideric. Schrenk a Nozingen, Tirolenſ.
Ioan. Frideric. a Liechtenaw.
Ioan Wolfg. Walch a Pfauſtett & Salern.
Ioan. Wilhelm. a Lerchenfeld in Gebelkouen.
Octauius Corſinus, Illuſtris Florentinus.
Wolfgang. Pelkhouer a Mosweng in Ried.
Ioan. Chriſtoph. a Paulsdorf, Palatin.
Ioan. Vdalric. Tabertshofer in Baumbruck.
Ioan. Bapt. Gentillotus, Trident.
Seyfrid. Leonard. L. B. de Breuner, Auſtriac.
Leonard. Carol. L. B ab Harrach, Auſtriac.
Guilielm. Comes Arundeliæ, Anglus, Illuſtriſſ. D. *Thomæ* filius, cum *Thoma Wenmanno* nobili Anglo, Magiſtro Oxonienſi, Præfecto.
Oſwaldus Dungouius, Prutenus.
Ludouic. Federl a Pirk, Pfreimdenſ.
Ioan. Sigismund. } *Vintler* a Plätſch, Tirolenſ.
Georg. Nicolaus }
Ferdinand. Panuinius ab Oberweineck, Tirolenſ.
Martin. Carol. Haller ab Hallerſtein, Norimberg.
Maxentius Bandelmontius, } Florentini.
Angelus Guicciardinus, }
Hieronym. Faſſianus, Meſſanenſ. Siculus.
Aurelius Bergontius, Parmenſ. Eques S. Steph.
Stephan. Senyey L. B. de Kis, Sennye & Gialu.
Philipp. Iacob. Füeger, a Neumelanz, Tirolenſ.
Mauritius Müſtetter, Carinth.
Ioan Bapt. Spindler de Hoffegg, Viennenſ.
Georg. Vdalric. Lung in Tandern, Can. Ratisbon.
Ioan. Chriſtoph. a Muckenthal in Hagenhüel.
Martin. Zimmermann a Palmoburgo, Stirus.
Iuſtinian. Haizenberg a Cronberg, Viennenſ.
Ioan. Iacob. a Pflaumern, Biberacenſ.

Nou. Prof. *Adamus Gerick*, Boruſſus, Theol. Doct. Prof. Controu. fidei.
Thomas Löſch, S. I. Prof. Caſ. Conſc.
Simon de Labricque, Leod. Prof. Iuris extraord.

A.
1605. *Gualtherus Mundbrodt*, Chegerſtenſ. S. I. Philoſ.
Nou. Doct. *Adam. Gerick* vt ſupra, Decan. Ratiborienſ. in Sileſ.
Ioan. Gregorius Harſæus, Leod. Regens Coll. Georg.
Wolfgangus Schober, Ingolſtad. Parochus & Decanus Schärding.
} Theol.

Hoc igitur anno nouus Profeſſor Theologiæ quem Facultas Sacra pro demortuo *Hungero* Sereniſſimo Principi commendarat, *Adam. Gerickius* Ingolſtadium delatus eſt, cumque Theologiæ Licentiatus iam eſſet, eodem adhuc anno vna cum ſupra nominatis duobus Doctor a *Steuartio* creatus eſt. Hunc actum vt ſolenniorem, atque ad poſteros memorabilem redderent ſacræ Facultatis Patres, nouas epomides, atque pileos doctorales, quibus antehac caruerant, confici in eum diem curarunt. Erant e panno coloris ianthini cum fimbriis coccineis; formam habebant eam, quam hodie ſola Epomis rectoralis habet. In ipſa autem geſtatione inter Profeſſorum, & Neodoctorum Epomides id erat diſcriminis, quod Profeſſores eas ex humeris pendentes haberent, noui autem Doctores in ipſo actu iis plane induti incederent, vt adeo caputia, ſeu collaria deſuper a fronte aperta, vt cum induuntur, eo facilius & ornatius e capite ad collum reducantur. Reliqua Doctoratus Theol. Inſignia, librum cum ſertis, accenſas faces in crucis formam cancellatas, annulum, cingulum, quatuor e Gymnaſio honeſtiſſimi pueri genios induti præferebant. Ipſam proceſſionem e Collegio Vniuerſitatis ad Templum Acad. & inde ad locum conuiuii comitabantur Dominus Rector Magnif. Marchiones, Comites, Barones, Profeſſores, aliique hoſpites.

Hæc cum 16. Nouembris die acta eſſent, ſequentis Decembris die 12. ſolenne profeſſionis ſuæ principium habuit *Gerickius*, themate ad inſtitutum accommodato, videlicet de neceſſitate & vtilitate ſtudii Controuerſiarum fidei. Cum enim hactenus tres Theologiæ Scholaſticæ Profeſſores eſſent, ipſa autem ſex annorum, quibus nempe *Hungerus* a lectionibus abſtinuerat, experientia compertum haberetur, a duobus Profeſſoribus quadriennii tempore commode illam abſolui poſſe, Facultas ſacra

ſuffra-

A.
1605.

ſuffragiis conſentientibus ſtatuit, vt Doct. *Gerickius* Controuerſias fidei explanandas ſuſciperet, tanquam ſpartam ſibi propriam & ordinariam, atque a curſu Theologiæ Scholaſticæ ſeparatam, quod ille eadem die magno animo auſpicatus eſt. Venere paullo poſt ad Facultatem a Sereniſſ. MAXIMILIANO literæ, quibus liberaliter conceſſit, vt iuxta petitionem eiusdem Facult. *Gerickio* centum floreni honorarii muneris loco ex Cameræ Acad. ærario numerarentur.

Iacob. Gretſcherus, qui inde ab an. 1592. quo ad Cathedram Theol. promotus fuerat, præter quotidianos lectionum labores plurima erudita opera elucubratus fuerat, hoc demum anno circa Paſcha ob grauiora ſcribendi argumenta, & negotia Theologiam *Iacobo Kellero* ceſſit; hic caſuum ſcholam *Thomæ Löſchio*.

Ad Cathedram Iuris extraordinariam receptus eſt die 31. Martii *Simon de Labricque* Leodius, conſtituto 150 florenorum ſtipendio; *Leonardus* autem *Zindekerus* die 23. Decemb. ad Cameram Spirenſem fuit præſentatus.

Exemplum grati animi Annalibus noſtris dignum edidit *Matthæus Kolſtorphius*, Seminarii Clericorum Niſſæ in Sileſia Profeſſor. Hic ad gradum Magiſterii Philoſophici anno 1590. gratis apud nos fuerat promotus; ea tamen conditione, vt ſi ad pinguiorem aliquando fortunam eluctaretur, Artificæ Facultatis memor eſſet; quod ille inſigniter hoc anno præſtitit, cum pro quatuor, quos debebat, octonos miſerit aureos. Habuit eadem Facultas hoc anno controuerſiæ aliquid cum Senatu ciuitatis Landſpergenſis, qui ius præſentandi, atque nominandi ad ſtipendium Wolfianum ſibi arrogare volebat; ſed agnouit ipſe paullo poſt errorem ſuum, vt literæ teſtantur ad *Gregorium Harſæum* Regentem Georgianum datæ.

Die 28. Iunii nocturno tempore occubuit *M. Ioannes Georg. Ernſperger*, Eichſtadianus, a proprio fratre confoſſus, rite tamen, antequam exſpiraret, expiatus. Poſtridie ſepultus fuit ſolenni ritu, comitantibus Profeſſoribus, & maximo ſtudioſorum numero.

AN-

A. 1606.

ANNO DOMINI. M DC VI.

Rect. CCLIX. ADAMVS GERIKIVS, Prof. Controu. Fid.

Rect. CCLX. PETRVS SVEVARTIVS &c. XIV.

Inſcripti 246.

Nobiles, *Ferdinand.* } *Kleberger* ab Eiſendorf & Gräffing, Bauar.
Wilhelm. }

Ioan. Chriſtoph. } *Roſenberger* Tirolenſ.
Ioannes }

Ioan. Vdalric. Ainkhirn a Bittenbach, Bauar.

Ludouic. a Zeilhofen, Bau.

Ioan. Chriſtoph. a Teuffenbach in Mäſſweeg & Spielberg, Stirius.

Franc. Andr. a Schayer in Ainöd & Stegberg, Carniol.

Bernard. Hagen in Hagenegg.

Ioan. Frideric. Freyberg de Waldeck in Redeben.

Chriſtoph. Andr. Kulmer in Roſenbüſchel.

Ioan. Frideric. Schrenk Monacenſ. Præſidis Cameræ filius.

Ioan. Ioach. Bümbl a Lindumb in Stepperg.

Ioan. Erneſt. Löbl, L. B. in Greinburg & Arbing.

Berchtold. } *Barones in Königseck* & Aulendorf.
Hugo }

Ioan. Werner. ab Ebingen in Bergſtein, Sueu.

Nicol. } *Palffy*, Barones Hungari.
Paulus }

Ioan. Conrad. Geiſt a Wildeck, Rottwilan.

Andreas Rexeiſen, Viennenſ.

Ferdinand. Langius a Langenfels, Tirolenſ.

Iacob. Hundtpis a Waldrambs, Can. Eluacenſ.

Caſpar Frölich, Stirus.

Sebaſtian. }
Georgius } *Füll* a Windach, Gramertshofen & Ereſing,
Franciſcus } fratres.

Alexander } *Oginsky*, Lithuani, fratres.
Samuel }

Georg. Rudolph ab Oberſtein, Ingelheimenſ. Palat.

Tho-

A. 1606.

Thomas Beccaria de Simone, Vallistelinus.
Christoph. } *Gans*, Barones in Buttlist, Brandenburg.
Maurit. }
Anselm. a Vels, Tirolens.
Andreas Cromer a Krippendorf, Silesius.
Philipp. Sigismund. a Kastell, Bauar.
Christoph. Martin. a Lerchenfeld in infer. Brennberg.
Ioan. Othmar. a Pueseck, Hassus.
Paul. Carol. } *a Pierpaum* de Twerenbach, Mellicens.
Amandus } Austr.
Sigismund. Rampeltshofer de Twerenbach, Austriac.
Georg. Baro a Thurn, renou.
Carolus } *a Frauenberg*, filii *Georgii* S. R. I. Equitis
Maximil. } hæreditar.
Wolfg. Wiguleus ab Abaim, Bauar.
Andreas Sardagna, Tridentin.

Nou. Prof. *Stephan. Vitus*, Hybernus S I. Prof. Theol.
Balthasar Hagelius, Murnauiens. Bau. S. I. Prof. Cas. Consc.

Nou. Doct. *Iacob. Weitzenegger*, Paroch. Wemding. } *Theolog.*
Iacob. Im Hoff, Patrit. Augusts. }
M. Andreas Graff, Monacens. } *Medic.*
M. Georg. Aquarius, Fuldan. }

Impetrauit hoc anno Sereniss. Princeps noster MAXIMILIANVS a PAVLO V. Pont. max. vt redditus ac prouentus annui Canoniæ Regularis in *Schambaupten* Academiæ Ingolstadiensi, & ex parte etiam domui regulari Eremitarum Ord. S. August. ibidem applicarentur. Fuerat *Schambaupta* Collegium Canonicorum Regular. S. August. an. 1137. a nobili Matrona *Gertrude Berchtoldi* vidua, & *Luitgarda* filia eius vnica fundatum. Autumat *Hundius* fundatores huius Canoniæ ex Abenspergensi familia fuisse, quod penes hanc ius aduocatiæ exstiterit. Seculo XVI. illud Collegium cum tot aliis communi fato a religiosis inquilinis desertum, & a Sereniss. Bau. Duce eius cura suscepta est, constituto scilicet Sacerdote, qui eius loco Parochiam, atque homine laico, qui temporalia administraret; hoc demum anno, octauo Kalendas Iunii redditus illi Pontificia authoritate Vniuersitati nostræ ita cesserunt, vt ducenti ex illis floreni Paro-

A. 1606. cho Schamhauptenſi, quadringenti Eremitis S. Aug. Scholas noſtras frequentantibus, reſiduum alendis Profeſſoribus obtingeret, æſtimabantur autem prouentus omnes memoratæ Canoniæ pretio 600. Ducatorum auri de Camera, vt phraſis habet Bullæ Pontificiæ.

Stephanus Vitus, Hybernus e Salmanticenſi Hybernorum Seminario, vbi Philoſophiam prælegerat, ad huiatem Academiam euocatus, 7. Ianuarii die Profeſſioni Theologiæ Scholaſt. ſolenne principium dedit, ſuffectus nimirum in *Iacobi Kelleri* locum, qui Eberſpergam primum, inde Ratisbonam ad regendum ibi Societatis Collegium miſſus eſt. Eodem tempore *Balthaſar Hagelius* Theol. Lic. cum ante plures annos, & in hac Vniuerſitate Philoſophiam, & linguam hebraicam, ac Dilingæ Theologiam tum ſcholaſticam tum poſitiuam magna cum laude publice docuiſſet, rurſus apud nos caſuum lectionem ſuſcepit pro *Thoma Löſchio*, qui inde a Paſchate ei muneri præfuerat.

In monumentis Acad. huius anni quemdam *Bartholomæum Turnerum*, Salisburgenſem Inſtitut. Profeſſorem extraordinarium fuiſſe deſignatum reperio; ſed hoc titulo diu frui certe non potuit, cum feria ſecunda Paſchatis Landſpergam abierit ad Tyrocinium Soc. IESV, vbi tamen valetudinis cauſſa haud perſtitit.

Occaſione Profeſſoris Iurium extraordinarii enata eſt hoc anno controuerſia, quam ne in cuiusquam inuidiam incidam, ad verbum prorſus ex actis deſcribam: *Vndecima Octobris die in conſilio acad. inter alia mota eſt quæſtio de præcedentia, vt vocant, ſeu quo ordine in publicis actibus ſit procedendum tum Academicis, tum aulicis, tum ciuicis? Atque concluſum, vt primas tenerent Profeſſores ordinarii, tum aulici, tandem ciuici. Inſinuatum in eodem conſilio a Domino Camerario* (fuit is tunc *Vitus Schoberus* Iurium Prof.) *male fieri, quod Profeſſores Philoſophiæ permittant, Doctorem Söld præcedere, D. etiam Stuberus ibidem proteſtatus eſt, ſe dum extraordinarium ageret Profeſſorem, ſequutum eſſe omnes Profeſſores ordinarios. Quod ideo hic annotaui, vt conſtaret, quid agendum ſit Facultati Philoſophicæ, quando adeſt Profeſſor Iuris extraordinarius.* Hactenus acta.

Die 29. Ianuarii e viuis exceſſit *Caſparus Lagus* (Haas) Rainens. Iurium Prof. & Præfectus Koſchingenſis. In huius viri lau-

A. 1606.

laudem neſcio, an quid dignius ſcribi, diciue poſſit, quam quod Denichiana familia eidem ſtatuit Epitaphium; Sic autem habet: *D. M. Caſpari Lagi Rainenſis viri clariſſimi, quem fata inuiderunt, quia Germania amauit, fleuit Academia extinctum, quia lumen in illo perdidit. Sex Germaniæ Principum Conſiliarius, ſibi tamen optime conſuluit, quia moriundo bene. Nobilis in hac Academia annos XLVIII. Iurium Interpres ab A. MDLIX. iam ſenex annorum LXXX. viſus tamen immature mori, ſe ipſum in cœmiterio proximo MDCVI. condi voluit, prius vxore Suſanna Eckhartin, poſtea filia Maria Denichia in eodem depoſitis ſepulcro. Tu viator benemeritis quietem ne inuide. Auo optimo Denichii nepotes grati PP.*

Menſe mox ſequenti, 25. nempe Februarii die, obiit *Ioannes Hülzius*, Landishutan. Theol. Licentiatus, Parochus Acad. ad D. V. *Hülzio* in Parochia ſuffectus eſt *Conradus Agricola*, Theol. Baccalaureus, Senior apud D. Mauritii. Ius nominandi ad dictam Parochiam B. V. eſt penes Academiam, præſentandi vero penes Sereniſſ. Bau. Duces. *Petrus Steuartius* nomine Eichſtettenſ. Epiſcopi IOANNIS CONRADI poteſtatem parochialem contulit *Conr. Agricolæ*.

A. 1607.

ANNO DOMINI M DC VII.

Rect. CCLXI PETRVS STEVARTIVS &c. XV.
Rect. CCLXII. IOAN. GEORG. PRVCKLACHER, Rainenſis, I. V. D. & Prof. extraordinarius.

Inſcripti 332.
Nobiles, *Carol. a Kirchberg*, Sueu.
Ioan. Henric. de Muckenthal in Sinzenhauſen.
Anton. Perronus Hyporedienſis ex Comitibus S. Martini, Dominus de Zorras, Donatos &c. Italus.
Mich. Adolph. Weiler a Königswieſen, Bauar.
Erneſtus, *Henricus*, *Iacobus* } *Häller*, Leodii.
Ioan. Iacob. a Königsfeld.

A. 1607.

Raphael Elemannus } *Coraducii* a Nusdorf, Tergeſtini.
Petrus Paulus }
Chriſtoph. Wilhelm. Egloff a Zell in Immentingen, Sueu.
Ludouic. } *Verreicken*, Bruxellenſ.
Petr. Erneſt. }
Franciſc. Micault ab Indeuelda, Belga.
Ioan. Albert. Nothaft a Wernberg.
Euſtachius } *Freymon* in Randeck, fratres, *Ioannis Wolf-*
Ioan. Wolfg. } *gangi* S. C. M. Intim. Conſil. filii.
Iacob. Kölderer in Burgſtall, Salisburg.
Ioan. Henric. Ainkhirn a Bittenbach, Bau.
Ioan. Iacob. a Lerchenfeld.
Ioſeph. Reichlin a Meldeck, Hegoius.
Ioan. Henric. } *a Cloſen*, fratres.
Chriſtoph Emeram. }
Ioan. Caſpar. } *a Sigershofen*, fratres, Bau.
Wolfg. Sigismund. }
Philibert. Schranz Baro a Schranzeneck, Græcenſ.
Wolfgang. } *Kellner* a Zinnendorf, Sueui.
Chriſtoph. Dietbelm. }
Ioan. Andr. a Guttenberg, Can. Herbipol.
Guilielm. Hofer ab Vrfarn, Bau.
Georg. *Wilde*, Sileſius.
Ioan. Dazincourt, Burgund.
Petrus Dubuys, Pariſin.
Ioan. Florian. } *Barones a Sprinzenſtein*, Auſtriae.
Rudolfus }
Sim. Hieron. }
Wencesl. Richard. }
Ortolphus a Sandizell, Bauar.
Hieronym. } *a Würzburg*, Can. Herbipol. & Bam-
Chriſtoph. Vdalric. } berg. fratres.
Ioannes a Gemmingen.

Nou. Prof. *Ioan. Georg. Prucklacher*, Rainenſ. I. V. D. & Prof. extraord.
Chriſtophor. Steborius, S. I. Prof. Phil.

Nou.

A. 1607.

Nou. Doct. *Chriſtoph. Carolus* Ridobochus, Ban.
Philipp. Heniſchius, Auguſtan.
M. Iodocus Hartlieb, Bamberg.
Alexander Maier, Neufrenſ. Acron. } *Medic.*

Ipſis Ianuarii Calendis allatæ ſunt ad Collegium noſtrum theologicum literæ, a Sereniſſimo Duce MAXIMILIANO miſſæ, cum variis diplomatis Rom. Pontificium in cauſſa Sacerdotum concubinariorum; quid ſcilicet & quantum Princeps in illos poſſit. Reſponſum Facultatis circa diem 20. Ianuarii ad Sereniſſimum transmiſſum eſt.

Initio Maii Monachio ad nos venere, qui Academiam viſitarent, Doctor *Lautherius*, Vicecancellarius *Gailkircherus* & Doctor *Gewoldus* cum Secretario. Perſtitere Ingolſtadii tres tantum dies, atque Profeſſores ſeorſim ſingulos audierunt.

Recruduit hoc anno futilis illa lis de *præcedentia*; cum enim menſe Maio ad Academiam acceſſiſſet *Georgius Prucklacherus*, extraordinarius Iuris Profeſſor futurus; tentabat is feſto Pentecoſtes in deductione Rectoris Facultatem Artium præcedere: hæc vero recentiſſimo, ſuperioris ſcilicet anni, concluſo nixa, eidem ſe oppoſuit, atque rem ad Vniuerſitatis Rectorem *Steuartium* detulit. Is diſcuſſo negotio cum tribus Academiæ ſenioribus, *Vito Schobero*, *Ioachimo Denichio* & *Philippo Menzelio*, atque ipſo etiam *Prucklachero*, huius tenoris literas dedit ad Decanum Facultatis Artiſticæ, qui tunc erat *Gualtherus Mundbrodius* Phyſicæ Profeſſor: *Reuerende Pater & ſpectabilis Domine Decane! Dominus Doctor Ioannes Georgius Prucklacher mihi iam peramanter ſignificat, quod philoſophicam Facultatem præcedere in poſterum non velit, licet Domini Commiſſarii iudicauerint, aut ſaltem putauerint, locum ſibi poſt DD. Medicos deberi, ſicut forte ante plurimos annos fuit vſitatum. Itaque nouerit Veſtra Reuerentia cum ſuis vti ſuo iure, & ſi placet, diſſimulare. Ceterum Deum pro me oret.* 11. *Iunii. Petrus Steuartius Rector.* Et vero vſi paulo poſt ſunt Artiſtæ ſuo præcedendi iure in promotione iuridica, & iterum in deductione ſolenni, quæ feſta Theophoriæ die inſtitui ſolet, vbi & *Prucklacherus* & *Söldius* præſentes, priorem locum Decano philoſophico ipſi obtulere.

A. 1607. Triſte quidem, ad aliorum tamen correctionem ſalutare exemplum editum eſt in *Carolo Hungero*, qui nocturna digladiatione confixus ſubito interiit. Conſtituerat is paucis ante diebus ſincera noxarum confeſſione animum purgare; iamque egerat cum ſocio, vt ſeſe ad ſacerdotem quemdam adduceret. Sed cum inſtarent dies lætiores bacchanaliorum, differre maluit negotium ſaluberrimum ad quadrageſimam; quam tamen a morte occupatus, viuendo aſſecutus non fuit.

A. 1608.

ANNO DOMINI M DC VIII.

Rect. CCLXIII. ADAMVS GERICKIVS &c. II.

Rect. CCLXIV. ADAMVS GERICKIVS &c. III.

Inſcripti 193.

Princeps, MATTHIAS *ab Auſtria*, S. R. I. Marchio, RVDOLFI II. Imp. filius, cum 7. perſonarum comitatu.

Nobiles, *Hyppolitus Bondelmontes*, Comes Montis boni, Patritius Florentinus.

Franc. Billeus, Can. Leodienſ.

Maximil. Billeus, Leodius.

Erneſt. de Wotrenge, Leodius.

Ioan. Caſp. a Guttenberg, Can. Herbipol. & Bamberg.

Wolfg. Achat. a Guttenberg.

Chriſtoph. Wigul. a Weichs, Bau.

Ioan. Leonard. } *de Seyboltsdorf* & Rittersworth.
Wolfg. Iacob. }

Procop. Hlauaz de Schottenburg, Morau.

Coſmus Medices, Patrit. Forentin. Magni Ducis Hetruriæ ex fratre nepos.

Ioan. Albert. Comes in Oettingen & Wallerſtein.

Marquard. } *Fuggeri* Barones in Kirchberg & Weiſ-
Marc. Philipp. } ſenhorn.

Eberhard. a Dienheim, Epiſcopi Spirenſ. ex fratre nepos.

Da-

A. 1608.

Damianus Caſtilia a Carcheris, ex familia MATTHIAE Auſtriac.
Franciſc. Sfondratz Comes de Riuiera, *Herculis Sfondrati* Ducis de Monte Martiano filius.
Nicol. a Perroman, Friburg. Heluet.
Ioannes Nimbstorf, Sileſ. ex familia D. MATTHIAE Auſtr.
Adam. Conrad. Mieſyznek a Weitſckowa, Bohem. ex familia eadem.
Ioan. de Merode Baro in Pietersheim, } fratres, Belgæ.
Henric de Merode Baro in Diepenbeck, }
Philipp. Thranner, Bau.
Ioan. Georg. Wangnereck in Gersdorf & Puechrain, Neoötting. Bau.
Ioan Adam. a Königsfeld.
Wolfg. Ioachim a Maxelrain Baro in Waldeck.
Alexander Baro de Thurn, Bau.
Ioan. Felix } *Ilſung* de Trazberg, Patrit. Auguſt.
Ioan. Chriſtoph. }
Caſpar. ab Hirſchau in Hirſchberg, Bau.
Ioan. Frideric. ab Athemis Baro Italus.
Nou. Prof. *Iacob. Reihingus*, Auguſtan. S. I. Prof. Phil.
Nou. Doct. *Carol. Guilielm. Zehentner* a Zehentgrueb, Oenipont. } *Theol.*
Ioan. Rogg, Kisleggenſ Sueu. Paroh. Pfering. }
Aegid. Held, Weilhaimenſ. Paroch. Braitenbrun. }

Academiam atque vrbem noſtram menſe Iulio reliquit inſigne illius decus *Franciſcus Guilielmus Comes Wartenbergius*, Romam miſſus a Sereniſſimo Parente FERDINANDO in Collegium germanicum, vt ſtudia ibidem ſua abſolueret, queis Ingolſtadii in Diui Martyris Ignatii contubernio ſeptennium ipſum impenderat, maxima ſemper integritatis ac innocentiæ laude. Is, cum iam Præpoſitus tum eſſet Oettingæ veteris, ad plures poſtea in Imperio germanico Infulas, atque ad ipſam Romanam Purpuram eſt euectus.

Huius

A. 1608. Huius diſceſſum cum in Academia, tum in Collegio Ignatiano aliqua ratione compenſarunt Illuſtriſſimi duo Itali, *Coſmus Mediceus* Magni Ducis Hetruriæ ex fratre nepos, & *Franciſcus Sfondratus* Comes de Riuiera, HERCVLIS Principis & Ducis de Monte Martiano filius octennis, quem Prouincialis Ieſuitarum ex Italia hoc anno redux ſecum adduxit.

Ad philoſophicam Facultatem nouus Profeſſor acceſſit *Iacobus Reihingus* patria Auguſtanus, genere Patritius, *Conradi Reihingi*, quem per quinquennium integrum Philoſophiæ Profeſſorem habuimus, germanus frater. Hic vero eſt infelicis memoriæ *Iacobus Reihingus*, qui anno 1621. cum ſeptem iam annis in Aula Palatino-Neoburgica, apud Ducem WOLFGANGVM, nouitium Religionis Catholicæ clientem, verbum diuinum non ſine fructu, vt videbatur, ac ſui commendatione explicaſſet, ac ſcriptis etiam libris pro re catholica pugnaſſet, turpiter ab orthodoxis ſacris & ordine religioſo defecit, & in Tubingenſi apud Würtenbergios Academia Lutheranam Theologiam ad mortem vſque, quæ anno 1628. die Maii ſexta vel ſeptima contigit, publice profeſſus eſt, ſociata ſibi ſacrilego connubio *Maria Welſeria* ciue ſua, & patritii pariter apud Auguſtanos generis fæmina, quam in Aula Palatina noſſe cæperat.

Lincii in ſuperiore Auſtria menſe Auguſto obiit *Caſparus Hellius* Aichacenſis, I. V. Doctor, & per multos annos noſtra in Academia Profeſſor.

A. 1609.

ANNO DOMINI M DC IX.

Rect. CCLXV. PETRVS STEVARTIVS &c. XVI.

Rect. CCLXVI. HENRICVS CANISIVS &c. VIII.

Inſcripti 232.

Princeps, HENRICVS *a Lotharingia*, Abbas S. Michaelis &c. cum quatuor Aulicis.

No-

A. 1609.

Nobiles, *Ioan. Erhard. ab Harteneck*, Sueu.
Michael a Rabatta, Goritienſ.
Chriſtoph. Kiſzka, Cancellarii Lithuan. nepos ex ſorore.
Ioan. Albert. Obernburger in Thrain.
Chriſtian. a Wœſtenraedt, Limburgenſ.
Ioan. Henric. a Neuneck, Can. Herbipol. & Auguſt.
Samuel Sapieha a Czarnobyt, Illuſtris Polonus.
Ioan. Bapt. a Paar, Baro Styrius.
Samuel Lubomirsky, Polon.
Franciſcus } *Spinola*, Patritii Genuenſ.
Paulus }
Cæſar Pallearius, Mediolanenſ.
Franc. Maximil. } *Calcus*, Patritii Mediolanenſ. & Feu-
Ioan. Bapt. } datarii.
Ludonic. a Ierin, Niſſenſ.
Ioan. Franc. } *a Liechtenau*, Bau.
Ioan. Philipp. }
Ioan. Iacob. Baro ab Athemis, Italus.
Carol. Franc. Breuner Baro Auſtriac.
Nicol. a Knillenberg, Tirolenſ.
Ioan. Ludouic. }
Ioan. Andr. } *ab Hegnenberg*, fratres.
Ioan. Conrad. }
Andreas } *a Sczecarzewie* Tarlo, Barones Polon.
Sigismund. }
Ioan. Chriſtoph. a Rueſtorf, Bau.
Ioan. Chriſtoph. Hörwartt ab Hohenburg, magni Cancellarii Prouinc. filius.
Ludouic. Theodoric. Speth a Zwifalten, Can. Herbipol. & Eluacenſ.
Ferdinand. Chriſtoph. Fuchs, Styrus.
Adamus Pfettner a Weeg, Bau.

Nou. Prof. *Sebaſtian. Heiſs*, Auguſtan. S. I. *Theol.*
Georg. Klainer, Herbenting. Sueu. S. I. *Phil.*
Rudolf. Mattmann, Lucernas S. I. *Ethic.*

Nou. Doct. *Martin. Morenski*, Polon. *Theol.*

A. 1609.

Thomas Habich, Anhuſan. Sueu.
M. Ioan. Millietus Auguſtan. } *Medic.*
M. Ioan. Caſp. Rateliffus, Eborac. Angl.

Exacto triennio Academiæ noſtræ & Cathedræ Theologicæ valedixit *Stephanus Vitus* Hybernus, eidemque ſucceſſit *Sebaſtianus Heiſſius* SS. Theologiæ Doctor & eiusdem antea Dilingæ Profeſſor. *Balthaſar* etiam *Hagelius* ob aduerſam valetudinem poſt Paſcha a profeſſione Caſuum Conſcientiæ liberari debuit; ſuſcepitque eam interea prouinciam *Iacobus Gretſcherus*, qui per plures iam annos a publicis lectionibus abſtinuerat.

Martinos quidam *Morenskius* Polonus, SS. Theologiæ Licentiatus, priuatim petiit Theologiæ Doctor creari. Negauit hoc ſacrum Theologorum Collegium, indignum aſſerens, tantum gradum absque publica ſolennitate conferri; neque etiam exſtare exemplum priuatæ huiusmodi promotionis vel in theologica, vel in iuridica aut medica Facultate. Hanc Polonus repulſam paſſus ad publicam mox promotionem ſe offert. Admittitur ille, deſignatur Promotor, determinatur dies, inſtruitur conuiuium, parantur chirothecæ ac faces; cum ſubito præter omnium expectationem mutat animum, nec tantis marſupium ſuum ſufficere impenſis Decano renuntiat. Offenſi ea hominis inconſtantia Patres Facultatis grauiter inprimis illum obiurgant; tum ne quis in poſterum ſimili ratione ſacro Collegio illuderet, hanc ei ſtatuerunt pœnam; ſcilicet vt illud omne, quod alias in publico gradu Profeſſoribus atque Pedello præſtandum erat, quamprimum exſolueret. Et vero attulit ille mox tres & quadraginta florenos; reliquum vt ſibi remitteretur, ſupplicauit. Verum nihil obtinuit; illud potius additum in multæ partem, vt reuerſuro paulo poſt in Poloniam ſuſceptæ *Licentiæ* teſtimonium non daretur; & vt iuramentum de doctorali dignitate alibi non recipienda nullo modo relaxaretur. His territus *Morenskius* ſaniorem induit mentem: ad preces conuertitur, mutabilitatis ſuæ petit veniam, atque vt aditus ſibi ad Doctoratum pateſiat, demiſſe petit. Aegre, & non niſi præſtito coram duobus teſtibus iuramento de non mutanda porro ſententia, conſenſit Facultas, vt ſecunda demum Septembris die Doctor crearetur.

Gra-

A.
1609.

Grauior moleſtiorque cauſſa hoc anno Facultatem philoſophicam cum magnifico Vniuerſitatis Rectore, qui tum erat *Adamus Gerickius* Controu. Fid. Profeſſor, & exinde cum reliquis Academiæ Profeſſoribus colliſit. Agebatur de quibusdam iuribus, quæ Facultas Artium cum ex antiquiſſima conſuetudine, tum ex nouis Sereniſſimorum Bauariæ Ducum decretis in ſuos diſcipulos competere ſibi aſſerebat; quæ inter præcipue erat ius excludendi immorigeros a ſuis lectionibus. Hoc cum ad huius anni initium a *Iacobo Reihingo* contra quemdam Logicæ ſtudioſum exercitum fuiſſet; is vero apud Rectorem Vniuerſitatis quæſiiſſet refugium, hic ſuam Rectoris iurisdictionem læſam ratus, eiectum ad ſcholam remiſit; Facultas admittere recuſauit; ſicque cæptum eſt bellum, quod aliquamdiu miſſis vltro citroque epiſtolis hic geſtum, tandem Monachium translatum eſt, & a conſtitutis ad eam cauſſam Commiſſariis in quartum vſque annum extractum, nullo fere operæ pretio, niſi quod illi referre ſolent, qui in lutoſa area luctantur; ſcilicet, poſtquam vna pars alteram repetitis accuſationum defenſionumque libellis commaculârat, ad pacis compoſitionem deſcenſum eſt, quæ domeſticam hanc contentionem ſedauit potius, quam penitus extinxit.

His tamen inſuper habitis floruiſſe hoc anno dicenda eſt Facultas artium; Baccalaureos enim creauit quadraginta & vnum; Magiſtros viginti tres; qua in promotione illud inuenio ſingulare, quod cum Vniuerſitatis Procancellarius Ingolſtadio abeſſet, ipſe Reuerendiſſimus & Celſiſſimus Princeps, Academiæ noſtræ Cancellarius literis ad Facultatem datis Cancellariam, vt vocant, aperuerit Magiſterii Candidatis, dilata fidei profeſſione in aduentum Procancellarii.

Eiusdem Facultatis venerabilis Senior *Rainerus Fabricius* Leodius hoc anno rude donatus, & a docendi labore abſolutus eſt, poſtquam in noſtra hac Academia vltra 38. annos partim Eloquentiam ab anno 1570. partim moralem Philoſopiam inde ab anno 1591. profeſſus fuerat. Perſtitit tamen in Facultate, & ab ipſo die, quo *Rudolfum Mattmannum* nactus eſt ſucceſſorem, Decanatum Artiſticum gerere cæpit.

A. 1609. *Hieremias Drexelius*, famoſum poſtea ob eruditionem & vitæ ſanctimoniam nomen, Theologiæ apud nos auditor, multum hoc anno inclaruit ex crebris orationibus, quas in æde Diuæ Virginis pro antiquo Vniuerſitatis more habuit, vt in feſtis S. Ioannis ante Portam Latinam, Natiuitatis Chriſti &c.

A. 1610.

ANNO DOMINI M DC X.

Rect. CCLXVII. PETRVS STEVARTIVS &c. XVII.
Rect. CCLXVIII. ADAMVS GERICKIVS &c. III.
Inſcripti 232.

Princeps, GEORGIVS *ab Oſtrog*, Dux Zaslauienſis, cum tribus Nobilibus & octo famulis.

Nobiles, *Ioan. Wilibald. Schenk a Caſtell*, Profeſſus Campidun.
Alexander Zehentner a Zehentgrub, Tirol.
Frideric. ab Honburg, Waldshutenſ.
Georg. Aegid. a Sickenhauſen, Bau.
Paul. Weiſer, Patric. Auguſt.
Ioan. Guilielm. Eiſenreich, Bau.
Otto Henric. } *a Riedhaym*, Sueu.
Ioan. Egolph. }
Ioan. Paul. Staudinger de Turkenfeld, Bau.
Chriſtoph. } *Zawiska*, Polon.
Georg. }
Ioan. Godefrid. Baro ab Attems.
Ioan. Iacob. ab Edlinſtetten, Sueu.
Ioan. Wigul. Hund a Sulzenmos & Odelzhauſen.
Adam. Erneſt. } *ab Haagſtorf*, Bau.
Chriſtoph. Ludou. Erneſt. }
Ioan. Iacob. a Königsfeld.
Hypolitus a Stozingen.
Ioan. Ioach. Reichlin a Meldeck, Rauenſpurg.
Ioan. Angelus Cribellius, Roman.
Georg. Berroyer, Normannus.

Ioachim.

A. 1610.

Ioachim. Renner ab Almendingen, Sueu.
Ioan. Wilhelm. } *a Triembach*, Sueu.
Ioan. Carol. }
Ioan. Caſp. de Hohenberg, Allmangou.
Ioan. Franc. a Seebach, Carniol.
Ioan. Wolfg. a Baumgarten, Bau.
Georg. Wilhelm. Riederer a Par, Bau.
Ioan. Franc. Baruitius, Bohem.
Matthias a Berfeldt, Embricenſ. Cliuius.

Nou. Prof. *Chriſtoph. Scheiner*, Waldenſ. Sueu. S. I. *Matheſ. & Ling. Sacræ.*

Nou. Doct. *Ioan Sartorius* Arensbergenſ. Paroch Köſching. } *Theol.*
Georg. Thiem, Carolſtadius, Paroch. in Stettfelden, } *Theol.*
Ioan. Iacob. Martinius, Baſileenſ. *Medic.*

Philoſophia noſtra pro *Ioanne Lanzio* Monachium abeunte inſignem accepit virum *Chriſtophorum Scheinerum*, Waldæ haud procul Mindelhemio natum. Hunc anno 1606. cum Theologiam apud nos diſceret, Sereniſſimus Dux GVILIELMVS Monachium euocauit, & iam tum Matheſeos peritia celebrem, arcaniora quædam docentem audiuit. Quid autem futuris temporibus ad perennem ſui nominis famam, & ad honorem noſtræ Vniuerſitatis præſtiterit, ſuo loco dicetur.

Edidere Patres Collegii philoſophici hoc iterum anno inſigne exemplum ſui pro diſciplina academica atque orthodoxa ſimul religione ſtudii. Candidatus quidam Magiſterii philoſophici accuſabatur, quod minus pie catholiceque de rebus ad religionem pertinentibus non raro loqueretur. Vocatus per Pedellum faſſus eſt obiectum crimen, ſed ex leuitate ac per iocum huiusmodi a ſe dicta eſſe excuſabat. Verum illi in re tanta iocos etiam haud ferendos eſſe rati, in aliorum exemplum & cautelam, detrahendam illi epomidem, qua pro temporum illorum conſuetudine indutus iam erat, negandumque Magiſterii gradum decreuere. Flens ille depoſuit epomidem, omnesque ac ſingulos ſupplex obteſtabatur, vt pœnam mitigarent. Sed nihil obtinuit, niſi cum reliqui Candidati omnes ſerio ac conſtanter pro ipſo intercederent; in quorum gratiam

A. 1610. admiſſus tandem eſt ad gradum, ita tamen, vt vltimum inter Candidatos locum, qui duodecimum alias inter quinque & vicenos obtenturus erat, in catalogo occuparet, ac ſeriam de religione cautionem præſtaret. Hæc ſententia vt illi nunciata eſt, æquiſſimo animo ab eo accepta, vt gratias etiam tanquam pro beneficio permagno haberet. Illud etiam in pœnæ partem eidem iniunctum, vt loco reliquorum omnium profeſſionem fidei publice ex propoſito libro recitaret.

Die ſecunda Septembris ſub veſperum obiit *Henricus Caniſius* SS. Canonum in vigeſimum annum Profeſſor. Duodecimo abhinc die, qui erat Dominicus, mane in templo S. Crucis more ſolito duobus intererat ſacris, in quorum altero paulo ante ſextam apoplexia tactus concidit, & inde ad ædem propriam templo vicinam delatus eſt. Vocis membrorumque omnium vſu penitus deſtitutus ad extremum vſque vitæ ſuæ halitum decubuit. Commodum illi accidit, quod octiduo ante ſacra confeſſione animum expiarit, ſacrisque myſteriis, quod frequenter facere ſolebat, communierit. Nihilominus tamen ob clara ſatis pœnitentis animi ſigna, fuſasque vbertim lacrymas abſolutionis ſacræ beneficium ipſi impertiuit *Rainerus Fabricius*, quo conſcientiæ vſus eſt moderatore. Dehinc oleo ſacro magno cum pietatis ſenſu inunctus, innocentiſſimum ſpiritum eo, quo dictum eſt, die creatori reddidit. Vir fuit *Caniſius* ſingulari virtute atque doctrina: quinquagenario maior cælibem ſemper vitam duxit; in victu ac veſtibus modeſtus admodum; ſolitudinis, templi, pauperum nunquam non ſincerus fuit amator. Pietas *Caniſii* in vltima maxime voluntate eminuit, cum ſcilicet Baronianos Annales, librosque omnes theologicos Bibliothecæ ſuæ ſatis amplæ vna cum gutto & pollubro argenteis, miro artificio cælatis Collegio Societatis; Tomos ſuos antiquarum Lectionum Seminario S. Hieronymi; reliquam librariam ſuppellectilem Academiæ; rem veſtiariam pauperibus; reliquum vero omne ſiue pecunia conſtaret, ſiue ſuppellectile, Congregationi Maiori Academicæ, cuius feruentiſſimus ipſe Sodalis erat, teſtamento legauit.

Nec minorem ex ſcientiæ canonicæ atque omnigenæ eruditionis commendatione famam ſibi *Caniſius* comparauit; non enim

in

A.
1610.

in quotidianis ſolum prælectionibus auidiſſimos ſemper habuit auditores; ſed multo magis ſcriptis de Iure Canonico libris, quos vel in lucem ipſe edidit, vel ad prælum paratos moriens reliquit, ſolidiſſimam ſuam doctrinam comprobauit. Nulla tamen re ſuum ad poſteros nomen fecit illuſtrius, quam ſenis illis *Antiquarum Lectionum* Tomis, quos in ſubſidium Hiſtoriæ medii æui typis plerosque academicis edidit; quosque eruditiſſimus *Baſnagius* dignos iudicauit, vt ſuis illuſtrati annotationibus in Hollandia recuderentur. Reliqua *Caniſii* ſcripta hæc fere ſunt: *Summa Iuris Canonici, cum Concordatis Germaniæ & Commentario in Regulas Iuris Libri VI. Decretalium*, an. 1600. *Refutatio trium Tractatuum editorum a quodam ICto Heidelbergenſi*, an. 1600. *Synodus Bauarica ſub Taſſilone Duce*, an. 1600. *Promptuarium Eccleſiaſticum, in quo 55. Auctores nunquam antea editi continentur*, an 1608. *Prælectiones Academicæ in duos Titulos Iuris Can. de Decimis, Primitiis, Oblationibus, & de Vſuris*, an. 1609. Poſthuma: *De Sponſalibus & Matrimonio*, an. 1613. *Commentarius in Librum III. Decretal.* an. 1629.

Sepultus eſt *Henricus Caniſius* in æde Specioſæ Virginis poſt Aram ſummam, cum hoc Epitaphio lapidi inſcripto: *Nobili, Clariſſimo Domino Caniſio Nouiomago I. C. & SS. Canonum Profeſſori celeberrimo.*

ANNO DOMINI M DC XI.

A.
1611.

Rect. CCLXIX. ADAMVS GERICKIVS &c. IV.

Rect CCLXX. PETRVS STEVARTIVS &c. XVIII.

Inſcripti 259.

Nobiles, *Criſtoph. Kripp* a Freidenberg.

Carolus
Henric.
Chriſtoph.
Iacobus } *Keckii* fratres, nobil. Bau.

Ioan. Georg. a Langeneck, Sueu.

Leo Gazeus a Brandonerio, Pictau. Gall.

A.
1611. *Ioan. Dambrouica* Firlei, Palatinid. Cracou.
Ioan. Achilles Illſung, Patrit. Auguſt.
Ioan. Erhard. Schenk a Caſtell.
Ioan. Balthaſ. ab Habersberg, Brixin. Tirol.
Ioan. Henric. a Dachsberg, Bau.
Carolus Moſchow de Leff, nobil. Venet.
Ioan. Leonard. Clarius, Foroiul.
Ioan. Erdeodi Comes perpetuus Montis Claudii & Comitatus Varasdin. Vngarus.
Carolus Bariloviz, Croata.
Maximil. Curtius a Senftenau, Bau.
Ludouic. Humbert, Nanceian. Lotharing.
Ioan. Franc. Haller ab Hallerſtein, Ingolſtad.
Ioan Erneſt. } *Imhof*, Patrit. Auguſt.
Philipp. Iacob. }
Ioan. Caſp. Rembold, Patrit. Auguſt.
Marc. Ant. Welſerus, Patrit. Auguſt.
Georg. Deſider. a Königsfeld in Zaizkofen, Can. Friſing.
Philipp. Erhard a Perfall in Greiffenberg.
Wolfg. Ferdinand. Hund a Falkenſtein.
Philippus de Magnis, Mediolan.
Wolfg. Guilielm. Baro a Maxelrain in Waldeck.
Emeram.
Otho Henr. } *Nothaft* a Wernberg, in Etling & Oberbergkirchen, Bau.
Erneſt. Henr. }
Paul. Chriſtoph. Baro a Leubelfing in Rain & Grafentraubach.
Chriſtoph. } *ab Aſch*, Landishut. fratres.
Georgius }
Nou. Prof. *Petrus Brindeus*, Cenomann. Gall. Phil. & Medic. Doctor & Prof. extraord.
Nou. Doct. *Sebaſtian. Vrſpringer.*
Arſacius Rindfelder, Can. Monac. & Landishut. } *Theol.*

Vna res facit hunc annum æterna memoria digniſſimum: *Chriſtophorus Scheinerus* Matheſeos, vt ſuperiori anno dictum, in Academia noſtra Profeſſor, maculas ſolares menſe Martio primum detexit. Experimentum huius phænomeni primum præſente

Ā. 1611.

ſente *Ioanne Baptiſta Cyſato*, Mathematicæ tunc diſcipulo, poſtea Profeſſore, in turri templi S. Crucis fecerat: ſubin vero alii aliarum Facultatum Profeſſores ſpectatum venere; qui omnes ſecundo & admirabundo plauſu inſolitum ſpectaculi genus exceperunt. Quantum etiam cuperet *Scheinerus* rem nouam interea occultam haberi; dum inſtitutis aliis obſeruationibus ad maturitatem perduceretur, ita tamen celari non potuit, vt non ad aures *Marci Welſeri* Dunmuiri Auguſtani penetraret; qui cum omnium literarum Mecænas, & *Scheinero* ſingulariter amicus eſſet, continuis eundem literis fatigauit, donec phænomeni ab eo detecti nouitatem extorqueret; quo aliquot epiſtolis accepto, ſtatim animum ad illius editionem adiecit, ne quid de gratia nouitatis, vt aiebat, longa mora deperiret; aut primæ inuentionis laurea aliunde decerperetur. Sed cum res non tantum noua & difficilis, verum etiam philoſophicis opinionibus in multis tunc diſſentanea videretur, ne quid præpropere aut inconſulto a Profeſſore academico in lucem emitteretur, cuius deinde retractatio difficilis atque indecora eueniret, *Scheinerus* aliorum potius, quam ſua ſententia ſub ficto *Apellis* nomine in publicum prodiit, quaſi *poſt tabulam* arbitraturus aliorum de inuento ſuo iudicium. Hisce cautelis etiam factum, vt epiſtolæ multo pauciores, quam ad *Welſerum* exarauerat, in vulgus emanarent, tres ſcilicet tantum, quas *Welſerus* die 5. Ianuarii 1712. Auguſtanis typis edidit.

Scripſit contra *Scheinerum* anno 1619. & iterum anno 1623. *Galilæus Galilæi* Mathematicus Florentinus, eumque plagii accuſauit, afferens ſibi eius inuenti gloriam deberi; verum *Scheinerus* tam ſolide ac copioſe in ſua *Roſa Vrſina* honorem Obſeruatorii Ingolſtadienſis vindicauit, vt nullum reliquiſſe videatur dubitationi locum. *Mais quoi qu'il en puiſſe etre de celui*, ſcribit *De la Lande* in Aſtronomia L. 20. n. 2503. hac ipſa de re, *à qui le hazard les a pu faire voir pour la premiere fois, il eſt ſur, que perſonne ne les obſerua auſſi bien, & n'en donna la théorie d'une maniere auſſi complette, que le P. Scheiner; ſon ouvrage a 774. p. in fol. ſur cette ſeule matiere, & cela ſuffit, pour faire voir, avec quelle aſſiduité il s'en occupa, & combien il y donna d'étendue: on voit d'ailleurs par ſon livre, qu'il étoit tres bon aſtronome, & auſſi capable que Galilée de*

A. 1611. *bien faire ces obſervations.* Hæc Aſtronomus Gallus, & huius quidem, quod vivimus, ævi præcipuus, de Germano, de Ingolſtadienſi Aſtronomo. *Heuelius*, magni & ipſe nominis Aſtronomus in *Selenologia* ſua pag. 82. miris laudibus exornat *Scheinerum* noſtrum: *Incomparabilis*, ait, *& omnigenæ eruditionis — vt hac in materia omnibus palmam quaſi præripuiſſe dici poſſit*: loquitur de maculis ſolaribus. Inſtrumenta, queis *Scheinerus* in ſuis obſervationibus vtebatur, hodiedum in Armario noſtro mathematico aſſeruantur. Alia nonnulla, quæ *Scheinerus* in Aſtronomorum commodum primus inuenit, *Priſtleyus* Anglus in ſua Opticæ hiſtoria pluribus commemorat.

Die 23. Aprilis *Petrus Brindeus* Cennomanus Gallus, Philoſophiæ Doctor a Sereniſſ. Duce MAXIMILIANO Facultati medicæ tanquam Profeſſor extraordinarius præſentatus eſt, ita tamen, vt nullo interea ſtipendio frueretur.

A. 1612.

ANNO DOMINI M DC XII.

Rect. CCLXXI. PETRVS STEVARTIVS &c. XIX.
Rect. CCLXXII. GREGORIVS HARSARVS, Leodius, Theol. Doct. Colleg. Georg. Regens.

Inſcripti 321.

Nobiles, *Maximil. a Sigershofen*, Bau.
Andreas Kottua a Fraifeld, Pragenſ.
Wilhelm. Vendius in Fraishauſen, poſtea, vt matricula notat. *Monteguggli* dictus.
Ioan. Andr. Lauizarius, Vulturienſ. Ital.
Tobias Schwanau, Viennenſ.
Claudius Guichard, Nanceian. Lotharing.
Georg. Ludouic. } *Barones a Gumpenberg*, Bau.
Vdalric. Carol. }
Marcellin. a Muckenthal, Bau.
Ioan. Rakowsky, ſupremi Regis Polon. Cubicularii filius, cum comitatu trium Nobil. polon.
Ioſua Theodo Magensreutter a Theiſing in Moosthening, Bau.
Andreas Firley de Dambrouica, Capitan. Lublin. filius.

Gau-

A. 1612.

Gaudentius Rolandin. ab Ambl in Roſenſtein, Tirol.
Ioan. Gartner a Schaidenſtein, Schwazenſ. Tirol.
Ericus a Cloſen.
Ioan. Georg. Vendius in Fraishauſen, Aichacenſ. Bau.
Ioan a Werden, Boruſſus.
Ferdinand. } *a Schneeberg* Barones Tirol.
Ioannes }
Fridericus a Königsfeld, Bau.
Balzer von Iasmund, Rugianus.
Ludouic. } *Federl* a Pyrk, Pfreimdenſ.
Sebaſtian. }
Wilhelm. Gailkircher in Kemnaten & Neuhauſen, Monacenſ. Can. ad S. Maurit. Auguſt. *Ioannis* quondam noſtri filius.
Wolfg. Rudolf. a Sirgenſtein, Allgoi. Can. Eichſtett.
Ioan. Iacob. a Sirgenſtein, Allgoi.
Ioan. Iacob. Kellner a Zinnendorf, Eluacenſ.
Ioan. Georg. a Rueſtorf, Bau.
Carol. a Trautmannsdorf, Materell. Tirol.
Wolfg. Sebald. Pföttner.
Ioan. Carol. a Stozingen, Sueu. Can. Ratisbon.
Sigismund. Hendel a Caſtelwel.
Ioannes } *a Stemberg Koſtka*, Comites cum ſex
Nicol. Raphael } Nobilium comitatu.
Alexander de Rammin, Pomeran.
Raynutius de Aluiano, Vicentin. Ital.
Heronym. Parauicinus, Vall. Telin.
Wolfg. Iacob. a Schœnbrunn, Schärdingan.
Ioan. de Terrel, Nanceian. Lotharing.
Ioan. Conrad. Iſſlinger de Graneck, Sueu.

Nou. Prof. *Leo Menzelius*, Ingolſtad. SS. Theol. Doct. Prof. Controuerſ. Fidei.
Simon Felix, Monacenſ. S. I. Prof. Phil.
Gregorius Faber, Weiſſenhorn. Sueu. S. I. Prof. Ethic.

Menſe Februario Illuſtriſſ. D. HENRICVS *a Lotharingia* Profeſſores omnes vna cum aliis quibusdam Conſiliariis ducalibus ſplendido epulo excepit; poſtquam ſcilicet illius Præfectus *Gerardus Durandus* SS. Theologiæ Licentiatus creatus eſt.

A. 1612. *Adamus Gerickius*, ab anno 1605. Controuerſiarum Fidei apud nos Profeſſor, menſe Martio ex Academia Eichſtadium vocatus eſt ad Vicariatus, vt vocant, dignitatem. Supplicauit igitur Facultas theologica Sereniſſimo Principi, vt in eius locum reciperetur *Leo Menzelius*, *Philippi* Medicinæ Profeſſoris filius, qui paulo ante Romæ in Collegio Germanico Theologica ſtudia cum magna laude abſoluerat, & Bononiæ eiusdem Theologiæ Doctor fuerat renunciatus. Annuit Clementiſſimus Princeps Facultatis precibus, & die 24. Nouembris miſſis ad eandem literis *Leonem Menzelium* ordinarium Theologiæ Profeſſorem declarauit. Hic quantum lumen noſtræ & vrbis & Academiæ euaſerit, toto deinceps vicennio, quod apud nos tranſegit, ſatis patebit.

Inſcriptus eſt hoc anno Matriculæ academicæ *Sebaſtianus Denichius*, *Ioachimi* filius, de cuius meritiſſimis laudibus ſuo tempore pluribus agemus.

Die 26. Martii obiit *Edmundus Hollyngus* Anglus, per quatuor & viginti annos Medicinæ apud nos Profeſſor. Eo autem in munere tanta cum laude ſemper eſt verſatus, vt Germanos inter complures etiam Itali, Galli, Scoti & Poloni eius doctrinæ fama exciti ad noſtram academiam confluxerint, quorum non paucos doctoralibus donauit Inſignibus. Cum *Martino Rulando* Archiatro Cæſareo medicam habuit controuerſiam de lue Hungarica, cuius rei occaſionem atque hiſtoriam illi, quorum intereſt, ex *Hollyngi* reſponſione, typis edita, intelligere poſſunt.

Scripſit *Hollyngus* varias diſputationes medicas, vt, *de Calore tum naturali, tum aquiſititio, tum febrili atque etiam de Calido innato*, Paduæ an. 1588. *De Principe totius corporis humani parte*, Ingolſt. 1589. *De Chyloſi*, an. 1594. *De Medicamenti ſimplicis definitione atque actione*, an. 1595. *De Ophtalmia*, an. 1596. *De Inflammatione Hepatis*, an. 1597. *De modo Nutritionis*, an. 1598. *De Venenis*, an. 1599. *De Apoplexia*, an. 1600. *De ſalubri Studioſorum Victu*, h. e. *De Literatorum omnium valetudine conſeruanda* &c. an. 1602. *De Melancholia*, an. 1602. *De Dolore Capitis*, an. 1602. *De Criſibus & diebus criticis*, an. 1606. *Medicamentorum Oeconomia nova*, an. 1610. *Reſponſio ad Epiſtolam Martini Rulandi Med. Cæſ. de Lapide Bezoar & fomite luis Hungaricæ*, an. 1611.

In

A. 1612.

In demortui *Hollyngi* locum iuſſu Sereniſſimi Ducis MAKIMILIANI ſucceſſit *Petrus Brindeus*, hactenus Profeſſor extraordinarius, qui dein habito pro more die 9. Maii ſolenni Principio explicare cæpit Auic. 1. 1. Doct. IV. *de Humoribus*. Die autem 30. menſis Octobris eiusdem anni *Brindeo* ex aula Monacenſi mandatum eſt, vt bina quotidie collegia inſtitueret, atque cum theoria chirurgicam lectionem coniungeret; quod mox etiam executioni datum eſt.

Ex Facultate quoque philoſophica vnum mors rapuit, *Rudolfum Mattmannum* Lucernatem, Ethicæ Profeſſorem, virum humanioris literaturæ, cui vt plurimum ſtuduit, eximie peritum, & dictionis præſertim politæ iuxta ac grauis ſcientiſſimum. In lectione Ethices eidem ſucceſſit *Gregorius Faber* Rhetoricæ antehac Profeſſor.

ANNO DOMINI M DC XIII.

A. 1613.

Rect. CCLXXIII. IOANNES ERDEODY ab Eberau, Varasdini & Montis Claudii Comitatus perpetuus Comes, *Thomæ Erdeody* Conſil. Cæſar. Regnorum Croat. Dalmat. & Sclauon. Proregis filius.

Prorect. *Gregorius Harſæus*, Colleg. Georg. Regens.

Rect. CCLXXIV. PETRVS BRINDEVS, Medic. Doct. & Prof. ord.

Inſcripti 189.

Nobiles, *Cyprianus Coroninus*, Goritienſ.
Ioan. de Römerſtall, Alſat. Can. Baſil. & Ratisbon.
Albert. Marinus de Frenel, Bau.
Andreas } *Kazimirski*, Comites de Biberſtein, cum tri-
Thomas } bus Nobilibus polon.
Carol. Fuggerus Baro in Kirchberg, Dominus in Vnterſulmentingen.
Ioan. Chriſtoph. ab Hegnenberg, Bau.
Auguſt. Erneſt. Ramspeck a Rorenfels, Palat.
Abraham de Keckwitz.
Claudius de Rambouiller, Nanceian.

A. 1613.

Vit. Vdalric. Romung in Seeholz, Bau.
Ioan Guilelm. Wieninger a Wiſing & Playbach, Bau.
Marc. Chriſtoph. Nothaft in Niderhazkofen.
Ioan. Bapt. } *Hendel*, Tirol.
Carol. Oſwald. }
Ioan. Chriſtoph. a Schellenberg.
Carol. Ludouic. de & a Wilmendingen, Sueu.
Ioan. Iacob. } *ab Haunſperg*, fratres.
Georg. Adam. }
Ioan. Hector } *Schad* in Haslbach, Bau. fratres.
Ioan. Carol. }
Ioan. Eberhard. a Carben, Wetterau.
Ioan. ab Adelzhofen, Trochtelfing.
Michael a Weilenberg, Heluet.
Carol. Frideric. Schrenk a Nozingen, Tirol.
Ioan. Sixtus Toll de Tolleck. Styr.
Carol. Alexand. Lampfrizhamer.
Carol. Potyer, Leodius.

Nou. Prof. *Ioan. Moquetius*, Lotharing. S. I. Prof. Theol.
Caſp. Lechnerus, Reichenhalenſ. Bau. S. I. Prof. Phil.
Ferdinand. Waizenegger, Prof. Iur. extraord.

Nou. Doct. *Franciſcus Balen*, Leodius Eburo, *Medic.*

Sebaſtianus Heiſſius, cum morbis ingraueſcentibus ad Academiam nequiret deſcendere, theologicas lectiones in Rhetoricæ ſchola aliquamdiu habuit; ſed cum in æſtate omnino ſatiſceret, cathedram theologicam *Ioanni Moquetio* ceſſit ob eam rem Monachio huc accerſito, & iam antehac Dilingæ Theologiam profeſſo.

Rediit menſe Iulio ad Academiam *Hieronymus Rathius* Iurium Profeſſor, aſſignato ſexcentorum florenorum ſtipendio; cum paulo ante *Waizeneggerus* ad extraordinariam Legum cathedram aſſumtus eſſet.

Die 19. Septembris Illuſtriſſ. Princeps GEORGIVS Principis IANVSII Ducis ab Oſtrog in Zaslau, Palatini Volhiniæ filius vniuerſam Ariſtotelis Philoſophiam editis theſibus magno cum applauſu propugnauit. Sub ipſo diſputationis æſtu Maluatico & opiparis bellariis Profeſſores munificentiſſime refocillauit ante

&

A.

& poſt prandium. Ipſi etiam reliqui auditores a prandio libe- 1613.
raliter vino ſunt refecti.

Luxit hoc anno Academia veteranum Profeſſorem *Philippum Menzelium*, AA. LL. Phil. & Medic. Doctorem, VII. Id. April. extinctum. Succeſſerat hic anno 1568. *Vito Iacobæo* in Profeſſione poetica, & anno 1574. *Adamo Landauo* in Cathedra medica, quam ad hunc vſque annum ſumma cum laude tenuit. Vt ea præteream, quæ *Grienwaldius* in Albo Bauariæ Iatricæ pag. 89. ex *Rottmaro*, *Guarinonio* & *Thiermaro* in eius laudem congeſſit, vnum hic addam præconium, quod eidem Patres Societatis, quorum erat Medicus, in Actis Collegii ſcripſere: *Amiſimus* inquiunt, *Philippum Menzelium præſtantiſſimum Medicorum, multaque inſuper eruditione, nec minori pietate, modeſtia & experientia prorſus inſignem virum, & officii in nos ſui vſque adeo diligentem, vt nullum fere diem omitteret, quo non ad Collegium viſeret ſemel iterumque, prout ægrotantium ratio poſtularet. Succeſſit Parenti filius Doctor Albertus.* Scripſit *Philippus* quatuor libros *Carminum;* item *de Venæ Sectione; de Hemiplexia; de Pituita lenta glutinoſa fauces obſidente; de Cruditate Stomachi.*

Sepulchrum nactus eſt *Philippus Menzelius* apud Patres Franciſcanos cum monumento marmoreo parieti affixo; quod primum aliquot abhinc annis ob aram Chriſto Crucifixo recens erectam remotum eſt. Hæc vero illius erat inſcriptio:

Saxea ni vena eſt, plorabis & ipſe viator!

D. O. M. S.

Philippus Menzelius, Sandſeenſis Noricus, Phil. & Med. Doctor, Poeta Laureatus, natus eſt an. 1546. die 15. Octob. denatus an. 1613. die 7. April. Dominica Paſchatis. Vixit annis 67. menſ. 5. diebus 21. Maritus cum Eliſabetha Peiſſerin pientiſſima fœmina annis 32. menſ. 2. diebus 27. quæ diem extremum clauſit an. 1608. Academiam Ingolſtadienſem illuſtrauit profitendo Poeſin annis 6. Medicinam 39. cuius praxin conſtanti & paterna cura inter ſummos, medios, infimos annis 40. & amplius ſucceſſu ſalutis felici exercuit. Liberi mœſtiſſimi monumentum hoc Parentibus deſideratiſſimis PP.

Incipit ab hoc anno Tomus IV. Matriculæ Academicæ, cui præfixus cum ſit catalogus Profeſſorum illius temporis, eundem

A. 1613. dem ad qualemcunque lectoris eruditionem inferere non dubitaui, atque eo quidem ordine, quo descripti in illo leguntur.

IN THEOLOGIA: *R. D. Petrus Steuartius* Procancell. *R. P. Adamus Tanner* Decanus; *R. P. Iacobus Gretscher*; *R. P. Sebastianus Heiss*; *R. D. Leo Menzelius.*

IN IVRE: *D. Ioachimus Denichius*, Primar. SS. Can. Prof. tunc Decanus; *D. Vitus Schober*, Camerarius; *D. Ioannes Stuber*, ff. *D. Simon Labrique*, Cod. *D. Ioan. Georg. Prucklacher*, Inst.

IN MEDICINA: *D. Albertus Menzelius*, Decanus; *D. Petrus Brindeus.*

IN PHILOSOPHIA: *R. P. Gregorius Faber*, Ethic. Decanus; *R. P. Christophorus Steborius*, Metaphys. *R. P. Iacobus Reibing*, Phys. *R. P. Christophorus Scheiner*, Mathes.

EXTRA SENATVM: *R. P. Felix Simon*, Log. Prof. ord. *D. Ferdinandus Waizenecker*, Iur. extraord. *Ioan. Bauhof*, Notarius; *Nicolaus Linsinger*, Pedellus.

Christophorus Eyser, Zeytternensis, Spirensis Diœcesis, per 13. annos Notarius academicus, eo munere sponte se abdicauit, ad Archigrammatei officium hic loci susceptus.

A. 1614.

ANNO DOMINI M DC XIV.

Rect. CCLXXV. LEO MENZELIVS, Ingolstad. Theol. Doct. Ducal. Eccles. Straubing. Can. & Controu. Fid. Prof.

Rect. CCLXXVI. N. N.

Inscripti 194.

Nobilis, *Ferdinand. Wilhelm. a Neuhausen*, Sueu.

Ioan. Wolfg. } *a Neuhaus*, Neumarchens. fratres.
Ioan. Vitus }

Ioan. Conrad. Pfettner, Mosburgens.

Ioan. Christoph. Freyunger in Stock & Veldkirchen, Passau.

Rudolph. a Pirching in Sigerting & Ronbach, Bau.

Franciscus ab Haslang &c.

Ioan. Isaac Leuprechtinger, Schärdingan.

Con-

A. 1614.

Conſtantin. Comes a Liechtenſtein, Dominus in Caſtelcorno, *renou.*
Elias Schwanauer a Retz, Brunenſ. Morau.
Ioan. Wolfg. a Muckenthal in Sinzenhauſen.
Eberhard. Adolph. a Muckenthal, Landishut.
Erneſt. Vdalric., *Ioan. Carol.*, *Ioan. Iacob.*, *Amandus*, *Aicher*, de Heringries in Offenſtetten.
Ioannes, *Ioan. Conrad.* *Mendel* a Steinfels in Gmünd.
Ioan. Frideric. a Schwarzach, Conſtantienſ.
Abel de Lalée, dictus *de la Tornette*, Sabaudus.
Anton Inama, Trident.
Chriſtoph. Samuel Seeman a Mangern, Tirol.
Chriſtoph. Theodoric., *Benedictus* *a Memmingen.*
Ioan. Henric. a Pflaumern, Salisburg.
Carolus Fugger, Baro in Kirchberg & Weiſſenhorn.
Ioan. Alexand. Pac, Palatini Minſcenſ. filius.
Matthæus Baro ab Annenberg.
Franc. Sigmund., *Ioan. Oſwald.*, *Ioan. Cyprian.*, *Ioan. Reinbert.* *Hendel* a Goldrain & Mareitſch, fratres.
Chriſtoph. Theodoric. Hundt in Dorfhaim.
Ioan. Balthaſ., *Chriſtophor.* *Khütner* a Kümnitz, Auſtriac. fratres.
Philipp. Magalottus Baro Florentin.

Nou. Prof. *Wolfgang. Hœuerus*, Med. Prof.
Ioan. Sigersreitter, Straubing. Bau. S. I. Prof. Phil.
Caſpar. Denichius, Prof. Iur. extraord.

Nou. Doct. *Petrus Wilhelmus*, Ord. Ciſterc. Profeſſus Lucellenſ.
Otto Henric. Bachmair, Decan. & Paroch. in Donauſtauf, *Theol.*
Fridericus Pirchinger, Monacenſ.

A. 1614.

M. Vdalric. Staub, Heluet.
Simon Treitlerus, Miſnius,
Wernerus Landauus, Fuldenſ. } *Medic.*

Extraordinarius Iurium Profeſſor *Ferdinandus Waizeneckerus* die 22. Septembris Inſtitutionum Ordinarius pro *Georgio Prucklachero* deſignatus; *Caſparus* autem *Denichius*, *Ioachimi* filius ad extraordinariam Iuris lectionem receptus eſt.

Medicinam eodem anno profiteri cæpit *Wolfgangus Hœuerus* Miſnienſis; qui cum Bononiæ Doctor creatus, Salisburgi primum, tum Friſingæ praxi medica inclaruiſſet, ad noſtram hoc anno Academiam vocatus eſt, in qua cum laude vſque ad annum 1647. eſt verſatus. Inter eiusdem Facultatis ſtudioſos hoc anno 1614. inſcriptus eſt *Anton. Ionas Kilianſtein*, Herbipolenſ. præclarus poſtea apud nos Medicinæ Profeſſor.

Chriſtophorus Scheinerus Mathematicæ Profeſſor, poſtquam menſe Septembri *Diſquiſitiones Mathematicas de Controuerſiis & Nouitatibus Aſtronomicis* typis vulgatas publicæ diſputationi expoſuerat, reſpondente nobili Iuuene *Ioanne Georgio Lochero* Philoſophiæ Candidato, paulo poſt, Octobri ſcilicet menſe Oenipontum abiit, quo ipſum mathematicarum inuentionum fama paſſim celebrem Sereniſſimus Archidux Auſtriæ MAXIMILIANVS euocauerat. Rediit inde circa Calendas Ianuarii ſequentis anni: atque ne interea quidquam de conſuetis lectionibus academicis negligeretur, *Ioannes Lanzius* Monachio reuocatus eſt; idque tanto videbatur magis neceſſarium, quod *Scheinerus* iterum iterumque ex interuallo ire Oenipontum ac redire a Sereniſſ. Archiduce iuſſus ſit.

Quod rarum nuper & inſolitum diximus, vnum & quadraginta Philoſophiæ Baccalaureos fuiſſe creatos, id tanto magis hoc anno mirandum vidimus, totidem ſcilicet Candidatos ſupremi Magiſterii laurea inſignitos fuiſſe.

Sebaſtianum Heiſſium Auguſtanum SS. Theologiæ Doctorem & quatuor fere annis apud nos Profeſſorem, quem ſuperiore anno ex Academia dimiſimus, die 20. Iulii huius anni mortuum extulimus, anno ætatis tertio & quadrageſimo. Vir erat ſingulari ingenio, doctrina eximia, nec his dotibus impari virtute. Vix erat ſcripti genus, quod non legiſſet; vix legerat quid-

A. 1614.

quidquam, quod memoria non retinuiſſet. Temporis ſui ſectarios luculentis diſputationibus editis exagitauit, eruditorum approbatione ſingulari. Opera, quæ reliquit typis vulgata, ſunt: *De vera Chriſti in terris Eccleſia*; *De triumphante in cælis Eccleſia*; *De Cultu & Inuocatione Sanctorum*; *Le viginti Articulis Confeſſionis Auguſtanæ*; *De Purgatorio Lutheranorum*; *De S. Scriptura in genere*; *De S. Scriptura in particulari*; *De S. Euchariſtia*, &c.

ANNO DOMINI M DC XV.

A. 1615.

Rect. CCLXXVII. PETRVS STEVARTIVS &c. XX.

Rect. CCLXXVIII. LEO MENZELIVS &c. II.

Inſcripti 191.

Nobiles, *Georg. Comes a Liechtenſtein*, Iſerenſ.
Ioan. Vdalric. Freyunger a Stock.
Ioan. Chriſtoph. Gugelius, Norimberg.
Chriſtoph. Payr de Caldiff, Tirol.
Wolfg. Theodoric. L. B. ab & in Thöring.
Franc. L. B. a Gumpenberg.
Ioan. Frideric. Hörwardt ab Hohenburg, Monacenſ.
Carol. Emanuel Madruzius Comes de Chiallandt.
Chriſtoph. Andr. } *Barones de Wolkenſtein* & Rodnegg, fra-
Georg. Vdalric. } tres.
Dauid Comes Brembati, Bergomas Italus.
Franc. Baro a Spaur & Valör, Tirol. Can. Brixin.
Wolfg. Wilh. Chrimel ab Eberſtall & Gleichhaim, Bau.
Nicol. a Perroman, Friburg. Heluet.
Ioan. Leonard. Herold, Ellingenſ.
Franc. } *Montoia*, Monacenſ.
Maximil. }
Stephan. Raſor a Mako, Pannonius.
Adolph. Hundt a Saulheim, Spirenſis, Can. Moguntin.
Maximil. } *Comites a Portia*, fratres.
Ferd. Guido }

A. 1615.

Chriſtoph. Adam. a Muckenthal in Parr.
Arnold. a Waltendönk, Cliuenſ.
Ioan. Guil. a Bocholz, Geldrius.
Alexand. a Ruſpe, e Marchia Weſtphal.
Secund. Deſider. a Burgaw in Birgen.
Ioan. Georg. a Riedhaim, Kaltenburgenſ.
Adamus } *Barones in Pariſon*, Palatin. Mazouiæ Capi-
Sigmund. } tanei Cerneczenſis filii.
Matthias Roſenhamer a Grauenwiſen de Furt, Bau.
Ioan. Marquard. } *a Liechtenau*, Köſchingenſ.
Ioan. Benno }
Nou. Prof. *Laurent. Forerus*, Lucernas, S. I. Prof. Phil.

Templo noſtro academico ſingularem hoc anno honorem habuit Reuerendiſſimus ac Celſiſſ. Princeps & Epiſcopus Eichſtettenſis, qui ſolennem proceſſionem cum ſupplici ciuium ſuorum agmine ad illud ſeptembri menſe deduxit. Obuiam ei itum ab omnibus ordinibus; noluit tamen Academiæ nomine ſalutari a Profeſſoribus; offenſus ſcilicet, quod ante biennium id officii genus omiſiſſent, cum ad ſpectandam comœdiam huc accederet.

Idem Reuerendiſſimus, cum *Steuartius* Academiæ noſtræ Procancellarius in Belgium profectus, ad tempus Magiſterii philoſophici nondum rediiſſet, *Iacobo Gretſchero* eius vices commiſit, qui in oratione, quam actui ex more præmiſit, Ingolſtadienſes quam maxime dilaudauit, quod Magiſtros inter ſeptem primos, huiates quinque omnino eſſent, atque in illis *Sebaſtianus Denichius*, *Ioachimi* filius, Epiſcopus poſtea Almirenſis & Suffraganeus Ratisbonenſis; qui idem Calendis Iulii publice diſputauit ex *Libris de Anima;* atque theſes ſuas Facultati philoſophicæ dedicauit, ita volente patre, ad teſtandam ſcilicet amicitiam cum Artium Facultate penitus reſtauratam, quam priorum annorum contentiones quædam & offenſiunculæ labefactaſſe videbantur. Egregio Iuueni a Patribus Facultatis decretum eſt honorarium, Tomus ſcilicet primus Hiſtoriæ S. I. eleganter compactus. Neſcio, an ex eo fortaſſis libro affectum illum hauſerit *Sebaſtianus Denichius*, quem moriens maxime oſtendit, cum ipſum Collegium Ingolſtadienſe ex aſſe hæredem ſcripſit.

Chri-

A. 1615.

Chriſtophorus Scheinerus hoc iterum anno, menſe Septembri publice diſputauit, propoſuitque *Exegeſes fundamentorum Gnomicorum*, reſpondente nobili adoleſcente *Ioanne Georgio Schönbergero*, Oenipontano, quem proxima dein hebdomade ad tyrocinium Societatis ipſe Præſes deduxit; qui inde iam tertium ad Sereniſſ. Archiducem MAXIMILIANVM in Tirolim abiit, vt quasdam ei mathematicas quæſtiones ſolueret. Rediit ad nos die 29. Octobris. *Schönbergerus* poſthac Matheſin Friburgi, Dilingæ & Pragæ inſigni cum laude docuit.

Ab hoc anno initium ducit *Colloquium*, vt vocant, *Externum*, quod ad imitationem Colloquii interioris, ſeu *Matris ter Admirabilis* inter pios quosdam Academicos coaluit. Celebrabant primum ſuos conuentus in ſchola quadam Gymnaſii: circa annum 1740. odeum proprium accepere ædibus Eckianis contiguum. Floruit hic cætus ad annum vſque 1773.

ANNO DOMINI M DC XVI.

A. 1616.

Rect. CCLXXIX. LEO MENZELIVS &c. III.

Rect. CCLXXX. PETRVS STEVARTIVS &c. XXI.

Inſcripti 339.

Nobiles, *Marcus Franc.* } *Fuggeri* Barones in Kirchberg & Weiſſenhorn, fratres.

Ioan. Victor de Lerchenfeld in Oberbrennberg & Elthaim, Bau.

Ioan. Ferd. Comes a Schwarzenburg, Baro in Hohenlandsberg.

Ioan. Wolfg. a Leibſing in Krailing.

Ignat. a Pflaumern, Biberacenſ.

Georg. Iacob. Schad de Mittelbibrach, Landishut.

Wolfg. Theodoric. ab Haunſperg, Salisburg.

Ioan. Henric. Baro a Gumpenberg.

Ioan. Albert. Alexander } *a Rorbach*, fratres.

Ioan. Iacob. S. R. I. Dapifer hæredit. L. B. in Waldburg.

Victor Adam. Ioan. Werner. Ioan. Chriſtoph. } *a Seyboltsdorf*, fratres.

Ioan.

A. 1616.

Ioan. Daniel Relinger ab Horgaw, Auguſt.
Petrus } *Rhelinger*, Patrit. Auguſt.
Octauian. }
Georg. Chriſtoph. ab Horkheim, Sueu.
Ioan. Conrad. Hundtpiſs a Waldrams.
Georg. Chriſtoph. Puecher a Walchersauch & Tann, Can. Ratisbon.
Ioan. Chriſtoph. Decius a Weydenburg, Pragenſ.
Hector Schachner a Tettenweiſs.
Ioan. Burattus, Bononienſ.
Thomas de Lezenice Lezenski, Polon.
Ioan. Sigismund. } *a Neuhaus*, fratres.
Hildebrandus }
Ioan. Albert. a Braitenlandenberg, Profeſſus Campidun.
Maximil. Baro Fuggerus, *Antonii* iun. fil.
Ioan. Georg. ab Halweil.

Nou. Prof. *Georg. Kern*, Dilingan. S. I. Prof. Caſ.
Franciſcus Neuffert, Florentin. S. I. Prof. Ethic.
Oſwaldus Coſcanus, Halenſ. Tirol. S. I. Prof. Log.

Reuerendiſſimus Vniuerſitatis noſtræ Cancellarius hoc iterum anno, die 23. Auguſti ad nos inuiſit, a Rectore & omnibus Profeſſoribus ſalutatus, ac vino honorario, eoque maluatico donatus. Placuit Principi hoc officii genus; quod & verbis ipſe teſtabatur & facto, cum feudum, haud liquet, quodnam illud fuerit, ab Academia pridem expetitum liberaliter conceſſerit, & poſtero die Profeſſores omnes ad menſam ſuam inuitarit.

Facultas theologica in feſto S. Ioannis ante Portam latinam conuiuium ſuis ſumtibus inſtruxit omnibus Patribus academicis. Inuitati præterea *Guilielmus a Künſeck* Vrbis Præfecti filius, *Chriſtophorus Gewoldus*, Parochus academicus, Regens Collegii Georgiani, *D. Waizenecker* Parochus Wemdinganus, Notarius & Pedellus. Eius rei nec exemplum, nec ratio ex præteritorum annorum actis occurrit.

Iacobus Gretſcherus, cum iam anno 1605. a lectionibus publicis habendis liber fuiſſet pronunciatus, ac quadriennio poſt

loco

A.
loco *Balthaſaris Hagelii* ægrotantis Caſuum lectionem reſumſiſſet, 1616.
hoc demum anno a docendi onere rurſum fuit exemtus, quo expeditiorem ſcribendis libris operam daret. Succeſſorem in explicanda Theologia Caſuiſtica nactus eſt *Georgium Kernium*, Theologiæ iam antehac polemicæ Monachii, & ſcholaſticæ Dilingæ Profeſſorem.

Caſparus Denichius ſub anni huius finem ordinarius Iuris Profeſſor renunciatus eſt; id quod acta Facultatis philoſophicæ docent, dum ad diem 24. Decembris referunt, *D. Stuberum* Decanum Iuridicum ſuper ea re *Laurentio Forero* literas Sereniſſ. Ducis noſtri exhibuiſſe, ſimulque inſinuaſſe, ne miraretur, ſi deinceps in publicis actibus *Denichius* Philoſophos præcederet.

Chriſtophorus Scheinerus hoc iterum anno Oenipontum excurrit; cumque inde Archidux MAXIMILIANVS in Auſtriam abiret, eidem ipſe quoque adhæſit. Eius ergo Cathedram academicam *Ioannes Lanzius* iterum ſuſceptam deinceps ex inſtituto tenuit; atque hoc ipſo anno, ſub extremum ſcilicet Decembrem *Euclidem* latinitate a ſe donatum ſumtibus Facultatis philoſophicæ edidit. *Scheinerus* poſthac ad Academiam non rediit; ſed Romæ aliquamdiu commoratus nouas de maculis ſolaribus obſeruationes inſtituit, quas omnes æri inciſas, in vaſto illo opere, *Roſa Vrſina* dicto edidit. Inde in Sileſiam miſſus, primus fuit Rector Collegii Niſſenſis recens fundati ab Archiduce CAROLO, FERDINANDI II. fratre, cui a ſacris confeſſionibus erat. Obiit Niſſæ anno 1650. die 18. Iul. ætatis anno 77. Fuit *Scheinerus* vir indolis candidæ & eximiæ pietatis, auarus præcipue temporis, ac ſomni parcus; quippe qui conſuetum ſurgendi tempus vna quotidie, alteraue hora occupabat, vt diutius incumbere in ſua ſtudia poſſet.

Scripſit *Apellem poſt Tabulam*; *Diſquiſitiones Mathematicas de controuerſiis & nouitatibus mathematicis*, vbi expendit vſitata hactenus mundi ſyſtemata; *Nouum Solis Ellyptici Phænomenon*; *Exegeſes Fundamentorum Gnomicorum*, vbi præter alia traditur nouus modus deſcribendi lineas ellypticas, parabolicas atque hyperbolicas in quocunque plano; *Refractiones Cœleſtes*; *Oculum*, ſeu fundamentum opticum, in qua accurata oculi anatome exponitur; *Roſam Vrſinam*, ſiue *Solem ex admirando facularum & macularum*

ſua-

A.
1616. *ſuarum phænomeno varium, Libris IV. Bracciani apud Andream Phæum, an.* 1630. *in fol.* quo in opere copioſe pertractat auctor de maculis ſolaribus, de cæli corruptibilitate & liquiditate, de ſolis circa axem gyratione & aliis, magna & ſolida eruditione; *Pantographicen*, ſiue artem delineandi res quaslibet per parallelogramum lineare, ſeu cauum, mechanicum, mobile, libellis duobus explicatam, & demonſtrationibus geometricis firmatam. Plura alia ad prælum parata reliquerat, quæ tamen edita nunquam fuere.

Quirinus Leoninus Præpoſitus Cathedralis Eccleſiæ Ratisbonenſis, & Fundator huiatis Seminarii Clericorum S. Hieronymi, de quo ſuperioribus annis ſæpius montio facta eſt, hoc anno poſt obita ſacra, quæ vocant, Exercitia ad Tyrocinium S. I. Landsbergam abiit, annos octo & ſexaginta iam natus. In eo vitæ genere ſeptenos ad obitum vſque annos traduxit, res potius aduerſas tolerando, quam præclare agendo, ob afflictam continuo valetudinem, bene meritus.

Die 20. Maii mortuus eſt in Collegio Patrum Societatis *Balthaſar Hagelius* Murnauienſis Bauarus, optimus atque doctiſſimus ſenecio. Hic diſciplinas fere omnes, quæ quidem in ipſius vitæ conditionem conuenire poterant, in Academia noſtra publice explanauit, linguam græcam, hebraicam, Philoſophiam & Theologiam. Atque in ſcientia quidem Caſuum conſcientiæ ita excelluit, vt dictata ab ipſo ſcripta paſſim quærerentur; ac difficillimi ad eum nodi aliunde deferrentur. Brixinæ in reformatione morum laborauit, atque ſynodo Epiſcopi iuſſu ibidem coactæ interfuit, eiusque decreta primus concinnauit. Scripſit ſub nomine *Danielis Paradini Medicamen ſeu Antidotum ſpirituale contra hæreſeos venenum; Reformationem Brixinenſium; Formas reformatas conficiendi literas cenſuales.*

Obiit præterea die 25. Septembris *Conradus Agricola* Parochus ad Diu. Virginem vndecim prope annis meritiſſimus, & ob ſingularem pietatem, morum integritatem, vitæ innocentiam, fidelemque in gregem ſibi commiſſum curam omnibus acceptiſſimus. Succeſſor ei datus eſt *Ioannes Hueberus* Schweinbacenſis Bauarus, antea per quatuor fere annos ad eandem D. Virginem Cooperator.

Ioan-

A. 1616.

Ioannes Sigersreitter edidit hoc anno Diſputationem logicam *de Recta Diſſertatione;* Item *Theoremata & Problemata philoſophica de Vita mortali;* & *Inueſtigationem philoſophicam Vitæ primæ & immortalis*, an. 1717.

ANNO DOMINI M DC XVII.

A. 1617.

Rect. CCLXXXI. HIERON. ARNOLD. RATHIVS, Prof. Cod. III.
Rect. CCLXXXII. LEO MENZELIVS &c. IV.

Inſcripti 248.

Nobiles, *Chriſtian. Gobelius*, Moguntin.
Ioan. Wolfg. a Rueſtorf, Bau.
Georg. Troyer.
Ioan. Chriſtoph. } *Im Hoff*, Patrit. Auguſt.
Ioan. Chriſtian. }
Chriſtoph Reichard. }
Ioan. Iacob. } *Barones in Thonn*, Röggen & Caldes.
Maximilian. }
Sigismund. Carol. a Raizenſtein.
Matthæus a Neuhauſen.
Henricus } *a Rohrbach* de Sandelzhauſen.
Wolfg. Maurit. }
Ioan. Carol. a Liechtenaw.
Ludouic. zur Matten, Friburg. Heluet.
Stanislaus de Rytſiani Zborowski, Baro Polon. hic mortuus an. 1619.
Ioan. Adam. Bieſſer a Wilthurn & Hochoberndorf.
Wolfg. Theodor. a Dachsberg, Bau.
Ioan. Georg. Aſch, Landishut.
Adam. Frideric. a Muckenthal in Waal.
Carol. de Grotta, Carinth.
Stanislaus }
Ladislaus } *Woina*, Barones Lithuani, fratres.
Michael }

A. 1617.

Ioan. Sigismund. Puecher, Bau.
Ioan. Iacob. Vngelter a Deiſſenhauſen.
Stephan. } *Swientoſtowsky*, Barones Poloni.
Michael }
Ioan. Guilielm. Egloff a Pääl.
Guilielm. Keck a Prunn.
Nou. Prof. *Ioachim. Erndlinus*, Conſtantienſ. S. I. Prof. Phil.
Nou. Doct. *Wolfg. Weilhamer*, Can. ad vet. Capell. Ratisb. &c. } *Theol.*
Ioan. Wolfg. Hueber, Can. ad vet. Capell. &c. Ratisb. } *Theol.*
Ioan. Iacob. Höglen, Spirenſ. } *Vtriusque Iur.*
M. Ioan. Georg. Locher, Monacenſ. } *Vtriusque Iur.*
M. Sebaſt. Kraiſſer, Mainburg. } *Vtriusque Iur.*

Bis hoc anno ſuam nobis præſentiam indulſere Sereniſſimi Principes Neoburgici WOLFGANGVS WILHELMVS & MAGDALENA Bauara eius coniux; primo quidem, menſe Aprili, cum piam peregrinationem ad S. Saluatorem, vt loqui hic ſolent, Bettbrunnenſem voti cauſſa pedites inſtituerent, hac tranſeuntes in arce pernoctarunt. Poſtridie ab Academiæ Rectore & Profeſſoribus omnibus ſalutati, gratum ſibi id officium fuiſſe maxima humanitatis & beneuolentiæ ſignificatione oſtenderunt. Deinde menſe Octobri, cum ad ſpectandam Comœdiam, quæ in aula Gymnaſii pro more exhibebatur, ad nos adnecti ſunt; verum illa finita eodem adhuc veſpere Neoburgum rediere. Præſens adfuit ea occaſione etiam Reuerendiſſimus Præſul Eichſtadianus, qui in Collegio Societatis pernoctauit.

Ex numero inſcriptorum ſpeciali quadam mentione digni occurrunt hoc anno I. *M. Matthias Faber* Altomonaſterienſis Bauarus, tum Decanus & Parochus in Bizling, poſtea deſignatus apud nos Theologiæ Profeſſor & Parochus ad S. Mauritium. Verum hoc de viro alias redibit ſermo. II. *Willibaldus Mayr*, Profeſſus Rohrenſis, Logicæ nunc Studioſus, poſtea Præpoſitus mox dicti Canonicorum Regularium Collegii, per inſpirationem electus.

Reli-

A.
1617.

Religioſorum in Collegio Ignatiano numerus, qui alias ad quinquaginta nunquam excreuerat, hoc anno ad octogenos aſcendit. Regens eiusdem Collegii pro *Gregorio Fabro* conſtitutus eſt *Franciſcus Neuffertus* Ethices Profeſſor.

ANNO DOMINI M DC XVIII.

A.
1618.

Rect. CCLXXXIII. HIERON. ARNOLD. RATHIVS &c. IV.
Rect. CCLXXXIV. LEO MENZELIVS &c. V.
Inſcripti 244.
Nobiles, *Vit. Wilhelm. a Schlammendorf.*
Mich. Ferd. Blarer a Wartenſee.
Ioan. Adam. a Stein.
Ioan. Ferd. a Gözengrien, Bau.
Ioan. Carol. } *a Bentheim*, Cognati Doctoris *Denichii.*
Ioan. Guil. }
Victor Gaudent. Comes Madruzius.
Matthæus Gſchwender, Oenipont.
Ioan. Henric. Rechlinger, Patrit. Auguſt.
Chriſtoph. Pechler, Patrit. Auguſt.
Maximilian. } *Comites de Wartenberg* & Domini in Wald,
Ferd. Laurent. } fratres.
Georg. Ioach. } *Nothaft* de Weiſſenſtein & Nidernhaz-
Ioan. Sebaſt. } kofen.
Zabulon Baro a Franking.
Ioan. Chriſtoph. a Pyrching, Reuchſtötenſ.
Wolfgang. ab Aſch, Landishut.
Marcus Stauber a Mitterhart.
Michael Fritz de Gutſtat.
Tres fratres nobiles *de Mitrowitz*, Bohem. equeſt. ord.
Nou. Prof. *Chriſtoph. Steborius*, S. I. Prof. Theol.
Caſpar. Lechner, Reichenhal. Bau. S. I. Prof. Caſ.
Bernard. Wylius, Lucernas, S. I. Prof. Log.
Ioan. Bapt. Cyſatus, Lucernas S. I. Prof. Matheſ.

A.
1618. *Georg. Stengelius*, Auguſtan. S. I. Prof. Ethic.
Nou. Doct. *Chriſtian. Gobelius*, Moguntin.
Ioan. Frideric. Iſſelbacher, Spirenſ. } *Vtr. Iur.*
Ludouic. Federl, Pfreimdenſ.
Vdalric. Fiſcher, Acronian.
M. Chriſtoph. Lehetmair, Ingolſtad. } *Medic.*
M. Vrban. Schlegel, Babenhuſan.

Ex inſcriptorum Nobilium numero memorabilis ad poſteros eſt *Wolfgangus ab Aſch*, Landishutæ in Bauaria natus, poſtea Eccleſiæ Collegiatæ ibidem Canonicus, pluribus cæleſtibus beneficiis, cum in terna peregrinatione Romana, tum alias, a Diuo Aloyſio Gonzaga recreatus; quod non ſolum libri typis impreſſi, ſed multo magis grata florentis hodiedum perilluſtris Familiæ Aſchianæ memoria teſtatur.

Cum menſe Februario Sereniſſ. Elector FRIDERICVS Palatinus hac tranſiiſſet, venit paulo poſt *Michael Menzelius* Doctor Heidelbergenſis, vt cum Theologis noſtris ageret de catholica Religione, a qua adeo non erat alienus, vt potius ipſe omnibus pietatis exercitiis intereſſet, quæ a Sodalibus præcipue academicæ Congregationis peragebantur. Quid de illius conuerſione ad Catholicos actum porro fuerit, reſcire haud licuit.

Quantum Reuerendiſſimus ac Celſiſſ. Princeps IOANNES CHRISTOPHORVS Epiſcopus Eichſtadianus Collegio noſtro theologico tribueret, hoc maxime anno oſtendit, cum *Officii*, quod vocant, *proprii* Diœceſis Eichſtettenſis approbationem a Facultate ſacra expetiit, quo ſcilicet confirmatio eiusdem in Romana Curia redderetur expeditior. Et vero Theologi noſtri eam approbationem publico inſtrumento teſtatam fecere.

Die 29. Aprilis *Adamus Tannerus* per continuos 15. annos Theologiæ apud nos Profeſſor Ingolſtadio diſceſſit, Viennam ſcilicet vocatus ab Imperatore MATTHIA, vt pro *Martino Becano* Theologiam explicaret. Anno proximo ad nos reducem FERDINANDVS II. Cæſar eundem Pragenſis Vniuerſitatis Cancellarium eſſe voluit. Sed anno ibi vix exacto, aduerſa valetudine ad familiarem ſibi huiatem auram remeare coactus eſt.

Ab

A.

Ab eo tempore nobiscum vixit vſque ad annum 1632. quo noſtra rurſus ex vrbe atque ex ipſa etiam vita diſceſſit; id quod ad dictum annum pluribus perſequemur. In *Tanneri* locum ſucceſſit *Chriſtophorus Steborius* Conſtantia, vbi Collegio Societatis Rector præerat, Ingolſtadium accerſitus. *Georgius* quoque *Kernius* Theologiæ Caſuiſticæ Profeſſor, qui menſe Octobri repente in Poloniam abire iuſſus eſt, cathedram ſuam *Caſparo Lechnero* ceſſit. 1618.

In aliis quoque Facultatibus nonnullæ hoc anno mutationes acciderunt. *Wolfgangus Hœuerus* Medicinæ Profeſſor permiſſu Principis munus Profeſſoris die 1. Aprilis depoſuit, ac Landishutum conceſſit. Sed inde iterato ad Academiam rediit; nam cum die 31. Octobris huius anni *Petrus Brindeus* deſerta vxore ac lectione medica, nullo exemplo, vt Acta ſaluberrimæ Facultatis loquuntur, nulla data occaſione, nemine conſulto, nemine conſcio in Gallias, patriam ſuam, profugus abiiſſet, monitus ea de re Sereniſſimus noſter ad conſeruandam auditorum frequentiam, quorum tum vltra ſeptendecim erant, mandauit *Alberto Menzelio* vt interea, dum nouus Profeſſor in locum transfugæ ſuſciperetur, bis quotidie legendo publice, collegia practica cum theoricis coniungeret; quod ille diligenter præſtitit, dum tandem anno 1620. redux *Hœuerus* in *Brindei* locum atque labores ſucceſſit.

Ioannes Lanzius Monachium, vnde nuper venerat, hoc anno rediit; & eius loco mathematicas diſciplinas tradere cæpit *Ioannes Baptiſta Cyſatus*, *Scheineri* diſcipulus, & in maculis ſolaribus primo obſeruandis ſocius.

Ob vtiliſſimam operam, quam per plures annos academicæ Iuuentuti in Collegio Ignatiano impendit *Iacobus Remius* Brigantinus, eius memoria non immerito videtur his annalibus celebranda. Hic, poſtquam ex ſeptuaginta duobus vitæ annis, nouem ſupra quadraginta in conuictu cum Monacenſi, tum Dilingano atque Ingolſtadienſi pari prudentiæ ſuæ laude & iuuentutis fructu poſuit, die 12. Octobris apud nos tandem obiit, vir omnium, quotquot eum familiariter norunt, conſtanti aſſeueratione non vulgariter ſanctus. Fundator is exſtitit *Colloquii*, vt vocant, *Matris Ter Admirabilis*, quod primum cum paucis

A. 1618. quibusdam Collegii Ignatiani incolis inſtituit; cui tamen poſtea ſummi etiam viri ac ipſi Principes ſe adiunxerunt. Floruit illud, quamdiu quidem in dicto Collegio perſtitit; ipſeque locus tantæ omnibus venerationi fuit, vt Sereniſſimi Bauariæ Duces nunquam Ingolſtadium acceſſerint, quin Colloquium Matris Ter Admirabilis pie inuiſerent. Venerabiles *Iacobi Remii* exuuiæ, cum conſenſu Reuerendiſſimi Ordinarii Eichſtettenſis, e communi mortuorum hypogeo in locum Colloquii translatæ ſunt; atque hodiedum in Odeo Congregationis academicæ, quo noſtris diebus Colloquium migrauit, condigne aſſeruantur.

Laurentius noſter *Forerus* vno eodemque hoc anno tot ac tam diuerſas typis euulgavit Diſſertationes philoſophicas, quot ante & poſt ipſum fortaſſe nullus. Sunt illæ 1. *De Animalibus.* 2. *De Qualitatibus motricibus, grauitate & leuitate.* 3. *De Impulſu, Centro grauitatis, Linea directionis, Circulo, Libra & Vecte.* 4. *De Sympathia & Antipathia.* 5. *De Magnete ſeu Herculeo lapide.*

A. 1619.

ANNO DOMINI M DC XIX.

Rect. CCLXXXV. LEO MENZELIVS &c. VI.

Rect. CCLXXXVI. HIERON. ARNOLD. RATHIVS &c V.

Inſcripti 151.

Nobiles, *Iodoc. Ludouic. Reichlin* a Meldeck.
Adrian. Leſensky, Eques Polon.
Ioan. Adolph. a Starzhauſen, Can. Ratisbon. poſtea Miles.
Ioan. Ludouic. Tannel a Schehem.
Chriſtoph. Maurit. Reiſacher.
Preciualus Carcaſola, Mediolanenſ.
Stanisl. Caſimir. Rudomina Duſiachi de Duſiazo.
N. Pac de Myſna, Baro Polon.
Ignat. a Walſtain, Bohem. Can. Vratislauienſ.
Ioan. Leonard. a Pflaumern, Biberacenſ.
Georg. Chriſtoph. ab Haslang, Monacenſ.
Sebaſtian. Ilſung de Vilzhut.

Ioan.

A. 1619.

Ioan. Carol. Schrenk a Nozingen in Eckenmil.
Wolfg. Iacob. Freymon a Randeck.
Ioan. Tarinus, Taurinenſ.
Georg. Wilhelm. ab Helfenſtein, Baro in Gundelfingen.
Erneſtus ab Aſch.
Ioan. Theodoric. a Muckenthal, Can. Eichſtett. } fratres.
Godefrid. Henric. a Muckenthal. }
Ioan. Sigismund. Fugger Baro in Kirchberg & Weiſſenhorn, ab Adelzhauſen.

Nou. Prof. *Andreas Mener*, Hohenreichenſ. Sueu. S. I. Prof. Phil.

Nou. Doct. *Ioan. Baumgartner*, Küpfenberg. }
Philipp. Dürr, Herbipolenſ. } Vtr. Iur.
Matthias Bregl, Sueuus. }

Funeſtauit huius anni initia mors generoſi D. *Stanislai Zborowski Baronis de Ritſiani* Poloni; qui cum die 6. Februarii variolis præter omnium expectationem extinctus eſſet, die 8. eiusd. in Aede Diuæ Virginis ſepultus eſt magna omnium ordinum frequentia & ſerio luctu; fuit enim adoleſcens inſignis, & ad omnia ſumma natus; iamque ſuſceptus in Societatem Ieſu, ſolum Parentis conſenſum expectabat. De huius virtutibus luculentam orationem, quæ typis excuſa eſt, triceſimo, vt vocamus, exequiarum die habuit *Maximilianus Comes de Wartenberg*, qui anno ſuperiore vna cum *Ferdinando Laurentio* fratre ad Academiam acceſſerat. Ipſe Comes *Maximilianus Wartenbergius* nondum abſoluto Philoſophiæ curſu, eodem anno, mox dictam Societatem ingreſſus eſt, communicato prius conſilio cum Sereniſſ. Duce GVILIELMO, Patruo ſuo (FERDINANDVS enim Parens iam anno 1608. hac ex vita deceſſerat) qui promiſit etiam, ſe, cum res poſceret, propinquorum Principum interceſſionibus facturum ſatis. Et vero applauſere omnes, MAXIMILIANVS præcipue Boiariæ tunc dominator; & cum gratulatione cognatum ſuum Landsbergam ad tyrocinium dimiſere.

Petrus Stellartius Vniuerſitatis Procancellarius, S. Scripturæ Profeſſor & ad Diuum Mauritium Parochus die 12. Maii ſcriptis ad Academiam literis omnia ſua munera reſignauit, poſiturus ſcilicet vitam Leodii, vbi illam acceperat. Eius mors inci-

A.
1619. incidit in annum 1624. quo de viro hoc meritiſſimo redibit ſermo. Ab hoc tempore vſque ad feſta Lucalia bis a Decano Theologico nomine Facultatis ſcriptum fuit ad diuerſos, quibus eius lectionis vacatio inſinuata eſt, cum amica inuitatione; primo quidem Conſtantiam ad *Georgium Dietericum*; quem tamen Reuerendiſſimus Epiſcopus Conſtantienſis dimittere noluit; deinde Landishutum ad *Fridericum Pirchingerum* eius loci Parochum, qui oblatum munus aperte recuſauit. Neque illi cathedræ hoc quidem anno prouiſum: dignitas tamen Procancellarii, vti & munus Parochi Mauritiani *Leoni Menzelio* collata eſt; qui die 25. Auguſti pro auſpicio huius muneris Profeſſoribus academicis conuiuium apparauit.

Facultas Artiſtica ius ſuum antiquiſſimum, quo illius cenſuræ ſubiiciendum eſt, quidquid in Vniuerſitate, pertinens ad humaniorem literaturam, imprimitur, egregie hoc anno tuebatur; cum duo ſcilicet, publice in Academia diſputaturi, neque Epiſtolam dedicatoriam, neque Carmina honoraria Decano Artium cenſenda obtuliſſent, atque moniti etiam refractarios ſeſe exhibuiſſent, tam feliciter ea cauſſa, fauentibus maxime Senioribus Academiæ euicta eſt, vt non hi ipſi tantum, quos reluctantes modo memorauimus atque reliqui Vniuerſitatis alumni, ſed ipſi adeo reliquarum Facultatum Profeſſores, ſiquid cogitarent cum politioribus ſcientiis coniunctum luci publicæ committere, ad Artium Decanum diligenter poſthac deferri curarent. Illud vero hac in cauſſa animaduertendum eſt, eius cenſuræ non hunc ſolummodo finem fuiſſe, ne quid ſanctitati Religionis aut bonis moribus; ſed etiam ne quid ſermonis puritati vel verſuum integritati contrarium irreperet.

In eadem Facultate præclare Decembri menſe diſputatum eſt ex Matheſi, propoſitaque *Mathemata Aſtronomica de loco, motu, magnitudine & cauſſis Cometæ, qui ſub finem anni* 1618. *& initium anni* 1619. *in cælo fulſit*, Auctore & Præſide *Ioan. Bapt. Cyſato*, reſpondente *Volperto Mozelio*, Arnbergenſi Francone. Edidit *Cyſatus* præter mox dicta *Mathemata Aſtronomica* typis publicis *Tabulam coſmographicam verſatilem*, aliaque nonnulla. Obiit anno 1657. cum variis ſui Ordinis Collegiis Rector præfuiſſet. *Volpertus* autem *Mozelius* poſtea Iur. vtr. Doctor ac Inſtitutionum Pro-

Profeſſor Dilingæ factus, ſummis Principibus ob rerum gerendarum peritiam fuit chariſſimus. A. 1619.

Collegii Georgiani Regens deſignatus eſt *Ioannes Kobold* Parochus Reichartshofenſis: num vero hoc ipſo adhuc anno Collegium regendum ſuſceperit; aut quid de *Gregorio Harſæo* factum fuerit, inuenire non potui; niſi forte cum *Petro Steuartio*, populari ſuo Leodium redierit.

ANNO DOMINI M DC XX.

A. 1620.

Rect. CCLXXXVII. LEO MENZELIVS &c. VII.

Rect. CCLXXXVIII. Idem, VIII.

Inſcripti 261.

Nobiles, *Ioan. Conrad. Herold*, Ellingan.
Georg. Sigismund. Egloff a Pääl, Landsbergenſ.
Ioan. Guilielm. Visler in Liechtenhag & Reutting.
Ioan. Eraſmus, *Chriſtoph. Theophil.* } *de & in Schœnburg*, fratres.
Ioan. Albert. Groſs in Mangersreith & Trockau.
Martin. Franc. Comes ab Oettingen.
Wolfg. Adolph. a Fisporn, Broſelshemienſ.
Ioan. Vdalric., *Georg. Ernric.* } *a Pirebing*, Bau.
Ioan. Caſp. ab Offenheim, nobilis in *Seibersdorf*, Bau.
Balthaſar Recordin a Nein, Tirol.
Vdalricus a Winkelhofen, Tirol.
Chriſtoph. Franc. Wazin, Wangenſ.
Franc. Benno, *Conſtantin.*, *Ioan. Frideric.* } *Fuggeri* a Zinnenberg.
Ioan. Frideric. a Pienzenau.
Ioan. Georg. a Preyſing in Altenpreyſing.
Henric. Euſtach. a Weſternach, Can. Bamberg.

A. 1620.

Chriſtoph. Erhard. } *a Weſternach.*
Ioan. Egolph. }
Georg. Ioan. }
Adam. Guilielm. } *Wratislaw de Mitrowiz*, fratres.
Ioan. Chriſtoph. }
Wencesl. Ignat. }
Stanslaus Orlousky.
Godefrid. Erneſt. Saurzapf ab Vtzwing.
Caſp. Ant. de Vulpexinis ab Arco, Tirol.
Ioan. Melchior Ilſung, Auguſt.
Heinric. Conrad. de Welden, Can. Ellwacenſ.
Ioan. Conrad. a Pappenheim, hæredit. Mareſchall.

Nou. Prof. *Georg. Lyprandus*, Stauffenſ. Sueu. S. I. Prof. Ling. Hebr.
Henricus Lamparter, Lucernas, S. I. Prof. Log.

Nou. Doct. *Martin. Brum*, Lauffenbachenſ. Bau. } *Vtr. Iuris.*
Georg. Vogler, Engenſ. Hegoius.
Ioan. Guilielm. Lueger, Salisburgenſ.
Petrus Deuring, Brigantin.
Ioan. Frideric. Herwart ab Hohenburg, Monacenſ.
Ioan. Zorn, Ingolſtadienſ.
Leonard. Gerardi, Spirenſ.
Ioan. Fländerl, Ingolſtadienſ.
Georg. Reutter, Weſſenbrunnenſ.
Anton. Schönuel, Tirolenſ.
Georg. Einwag, Bodenſteinenſ. Franc.
Wolfgang. Kholm, Oſterhouienſ.
Martin. Bayer, Adelmanſtein. Bau.
Wolfg. Caſp. Söll, Ingolſtadienſ.
Georg. Radawner, Friſingenſ.
Ioachim. Faber, Ingolſtadienſ. *Medic.*

Ad ipſum huius anni exordium Academia datis ad Sereniſſimum Principem noſtrum literis petiit, vt *Ioannes Fornerus*, Weiſmainenſis e Diœceſi Bambergenſi, SS. Theol. & Canonum Doctor pro Theologiæ Profeſſore in locum *Steuartii* reciperetur;

A. 1620.

tur; in cathedra autem Controuerſiarum Fidei ſuccederet *Leoni Menzelio*, qui Scripturam ſacram inde ab Octobri menſe explanare cæperat; ac ſimul vt pro Canonicatu Eichſtettenſi præſentaretur. Eas ad literas tertium denique poſt menſem reſcriptum eſt, & vtrumque conceſſum. Verum literæ præſentationis ad Canonicatum, inſcriptæ erant Reuerendiſſimo Epiſcopo, quas ad Capitulum potius Cathedrale dirigi oportuiſſet. Complanata paulo poſt hac etiam difficultate vocatus eſt *Fornerus*, ſuæ vt lectioni initium daret.

Vitus Schoberus I. V. Doctor, Ducalis Conſiliarius, & Academiæ noſtræ vltra 30. annos Profeſſor atque Camerarius, die 26. Iunii ex hac vita migrauit, *Rudolfo* filio funus curante. In Camerarii academici munere eidem ſucceſſit *Ioachimus Deutchius* I. V. Doct. & Prof.

ANNO DOMINI M DC XXI.

A. 1621.

Rect. CCLXXXIX. HIERON. ARNOLD. RATHIVS &c. VI.

Rect. CCXC. Idem, VII.

Inſcripti 306.

Nobiles, *Adam. Stanisl.* } *Warſickii*, Barones Polon.
Marcus Nodinſzky, Palat. Bodlar. Baro.
Georg. Wilhelm. Henric. Raymund. } *Fuggeri* Barones in Kirchb. & Weiſſenhorn.
Ioan. Bernard. Blarer a Wartenſee.
Hieronym. Conſtantin. } *Kolinsky*, Polon. fratres.
Ioan. Carol. de Welden.
Wolfg. Theodoric. ab Altenau, Salisburg.
Thomas Sapieha, Palat. Nouogrod. Baro.
Philippus Spinola Marchio S. Petri Genuenſ. nepos Illuſtriſſ. *Ambroſii Spinola.*
Cæſar Vicecomes, Mediolanenſ.

A. 1621.

Caſp. Carol. ab Hohenbalken, Tirol.
Ioan. Vdalric. Schadt in Mittelbibrach & Haſelbach.
Ioan. Theodoric. a Muckenthal, Can. Eichſtett.
Franc. a Diemantſtein, Sueu.
Ioan. Anton., *Georg. Conrad.*, *Ioan. Leonard.*, *Franciſcus*, *Rechlinger*, Patrit. Auguſt.
Ioan. Victor a Lerchenfeld.
Ferdinand. Kurtz a Senftenau.

Nou. Prof. *Ioan. Fornerus*, Albimænius, Prof. Controu. Fid.
Anton. Ionas Kilianſteinius, Würceburg. Medic. Doct. & Prof.
Caſpar. Hellius, Ingolſtadienſ. S. I. Prof. Log.

Nou. Doct. *Nicol. Schwebel*, Steinfeldenſ. Mogunt. } *Vtr. Iur.*
Ioan. Waldenberger, Moguntin. } *Vtr. Iur.*
Daniel. Frölich, Weſtphal. } *Vtr. Iur.*
M. Georg. Prunmair, Dingolfing. } *Medic.*
M. Franc. de la Braſſine, Leodius, } *Medic.*
Wolfgang. Velſer, Monacenſ. } *Medic.*

Die 26. Ianuarii *Ioannes Fornerus*, quem Profeſſorem Controuerſiarum Fidei deſignatum ſupra diximus, Academiæ noſtræ aggregatus, ſolenne habuit principium de vtilitate ac neceſſitate ſtudii polemici. *Chriſtophorus* autem *Steborius* theologicæ Facultatis tunc Decanus in Palatinatum ſuperiorem abiit, militibus boicis illi prouinciæ nuper impoſitis, ſpirituali ſubſidio futurus. Theologiam eius loco docere cæpit *Caſpar. Lechnerus* Profeſſor caſuum; huic ſuffectus *Georgius Stengelius* Profeſſor Ethices; qui & ipſe ex Academia noſtra ſucceſſorem nactus eſt *Georgium Lyprandum* Linguæ ſacræ Profeſſorem.

Die 19. menſis Iunii elatum eſt funus *Chriſtophori Gewoldi* Ambergenſis Palatini, Iuris vtriusque Doctoris & Conſiliarii Ducalis, ad quod Profeſſores academici omnes inuitati ſunt. Merebatur certe hunc honorem vir de omni quidem Republica literaria, ſed de theologica inprimis Facultate noſtra optime meritus; quippe qui pro Theologiæ ſtudioſo ſtipendium fundauit

A.
dauit ſatis pingue; qua etiam de cauſſa eius nomen ſacra Facul- 1621.
tas in album ſuorum benefactorum referri, & quotannis in ſolennibus exequiis legi curauit. Sed multo magis ob eruditionis ac doctrinæ famam *Gewoldi* nomen celebratum eſt. Eius ſcripta *de Genealogia Ducum Bauariæ*, ac *de Septemuiratu Imperii*, etſi hodiernæ critices rigorem non ſuſtineant, produnt tamen indefeſſam induſtriam, & ſummum de Bauaria optime merendi ſtudium; quod ipſum magis adhuc elucet ex *Hundiana Metropoli Salisburgenſi*, quam ipſe multis Pontificum, Imperatorum, Principum &c. diplomatis auxit, notis illuſtrauit, ad ſua tempora continuauit, ac denique tribus Tomis anno 1620. typis Monacenſibus edidit. Præter varia *Chronica*, quæ vel ipſe typis euulgauit, vel collegit certe, ab aliis euulganda, ſcripſit *Delineationem Norici veteris* &c. *Vindicias pro Ludouico IV. Imp.* de quibus ſupra anno 1583. *Antitheſin ad Freheri Aſſertionem de Palatino Electoratu*; item *Replicationem ad reſponſoriam Epiſtolam Marq. Freheri de Palatino Electoratu.* Sub aſcititio nomine *Cratonis Syluii Nariſci* (*Chriſtophori Gewald Ambergenſis*) ſcripſit *Reſponſionem breuem & perſpicuam ad Apologiam ſeu Recriminationem Leontii Pamphili Alſatici pro Franciſco de Roſieres, aduerſus Illuſtrem Virum Dn. Marcum Velſerum.* Coniux *Gewoldo* fuit *Anna Peiſſerina*, quam apud huiates Franciſcanos anno 16.2. tumulo intulit, cum inſigni marmoreo monumento.

E Facultatis quoque philoſophicæ Profeſſoribus vnum hoc anno mors proſtrauit, *Bernardum Wylium* Lucernatem, tres & triginta annos natum, Virum, vt acta Collegii Societatis teſtantur, omni doctrinarum apparatu inſtructiſſimum. Eius loco curſum Philoſophiæ ad finem perduxit *Georgius Lyprandus.*

Die 20. Octobris *Antonius Ionas Kilianſtein* Würceburgenſis anatomicarum & chyrurgicarum Lectionum principium fecit; poſtquam ſcilicet *Wolfgangus Hœuerus* iisdem libere renunciauit, retentis ſibi ſolis lectionibus theoreticis.

A. 1622.

ANNO DOMINI M DC XXII.

Rect. CCXCI. LEO MENZELIVS &c. IX.

Rect. CCXCII. IOANNES FORNERVS, Controu. Fid. Prof.

Inſcripti 295.

Nobiles, *Ioan. Frideric. Baro a Schrotenbach.*
Ioan. Carol. Baro Vilinger.
Godefrid. a Tädtenbeckh.
Ioan. Ioachim. Buecher, Bau.
Ioan. Conrad. a Neuhauſen, Can. Auguſt.
Wilhelm. Ferd. a Neuhauſen, Can. Eichſtad. & Auguſt.
Guilielm. Henric. a Wiſau, Niſſenſ. Sileſ.
Henric. Comes ab Helfenſtein, Baro in Gundelfingen.
Ioan. Georg. Baro in Königseck & Aulendorf, Dominus Comitatus Rottenfels & Dominii Stauffen.
Henric. Vöblin a Frickenhauſen in Neuburg.
Ioan. Iacob. } *a Prasberg*, fratres.
Franc. Guilielm. }
Wolfg. Philipp. a Kemnath, Boio-palatin.
Arnold. Comes de Kritzky, Polon.
Anton. a Brandis, Baro in Leonburg & Vorſt, Tirol.
Georg. Albert. Eiſenreich a Schönbüchel.
Iacobus } *Fuggeri*, *Ioannis* ſen. filii.
Ioan. Franc. }
Nicolaus } *Comites Pinelli*, Genuenſ.
Ioan. Franc. }
Ioan. Bapt. Beccaria, Genuenſ.
Ioan. Georg. ab Etz, Troſsburgenſ.
Albert. Conſtantin. Krisky, Baro Polon.
Eduard. Alexand. Blümke, Boruſſus.
Ioan. Schenk a Stauffenberg, Can. Bamberg. & Herbipol.
Menerus Schenk a Stauffenberg.
Ioan. Philipp. Schenk a Stauffenberg, Can. Bamberg. & Herbipol.
Henric. Bernard. } *ab Vlm*, Barones in Erbach, Mittel-
Luitfridus } bibracenſ.

Daniel

A. 1622.

Daniel Peſtalozzius Chlauenſ. Ital.
Leopoldus ab & in Adelzhauſen.
Ioan. Chriſtoph. a Parſperg.
Wolfg. Chriſtoph. a Taufkirchen in Guetenburg, Bau.
Ioan. Thomas ab Elſenbamb.
Carol. Georg. a Neuhauſen.
Philipp. Eduard. } *a Freyberg* in Achſtetten, Domini in
Ioan Georg. } Brunner & Elbenſchweiler.
Paul. Raphael } *Spinola*, Comites de Rouaforte, fra-
Dominicus } tres.
Wolfg. Sigismund. Baro de Leubelfing in Rain.
Ioan. de Oelſnica, Palat. Lublinenſ.
Ioan. Wilhelm. Rott a Rheitten.
Ioan. Greeff a Templon, Treuir.
Hartmannus de Neuhaus, Styrus.
Ioan. Andr. Schmid de Wellenſtein, Brigantin.
Stanislaus Pogowelsky, Baro Polon.
Guilielm. Conrad. Schenk a Stauffenberg, Sueu.
Ioan. Adam. Schenk a Caſtel, Sueu.
Berthold. Herter ab Herte.
Maximil. Albert. Schenk a Stauffenberg.
Andreas Madrutius, Tridentin.
Iulius Ioan. } *Comites a Salmis* & Neuburg ad Oe-
Carol. Ladisl. } num.

Nou. Prof. *Oſwaldus Coſcanus*, Halenſ. Tirol. S. I. Prof. Caſ.
Iacob. Morellus, Lenting. Heluet. S. I. Prof. Phil.
Hieronym. König, S. I. Sacr. Ling. & Matheſ.

Nou. Doct. *Ioan. Chriſtoph. Metzger*, Lauingan.
Ferdinand. Imbslander, Eggenfeld.
Marc. Pantaleon zum Acker, Wallerſtein.
Georg. Wilhelm Sauer, Wallerſteinenſ.
} *Vtr. Iur.*

Annum hunc a condita Vniuerſitate noſtra ſeſquiſecularem, id eſt centeſimum quinquageſimum, præcipua quædam ſolennitas illuſtrauit; Canonizatio ſcilicet SS. *Ignatii Loiolæ* & *Franciſci Xauerii*, quam tanto lubentius Patres academici tanquam ſibi propriam celebrandam ſumſere, quod honorabilis Academiæ

A. 1622. miæ noſtræ pars, Patres nempe Societatis Ieſu, eosdem diuos & Parentes habeant & fundatores. Septima die Maii, ſabbato poſt feſtum Aſcenſionis, ſacræ ſolennitati initium datum eſt, durauitque per continuos octo dies; quibus etiam in Academia feriæ indictæ erant. Contulerunt Profeſſores academici ad externum quoque apparatum; nec contenti ſacros illius temporis actus ſua illuſtraſſe præſentia, arcum etiam triumphalem vltra 50. pedes altum inter duas templi S. Crucis portas liberalibus & animis & expenſis erexerunt; ac ſpeciatim Facultas theologica cereum album dedicauit, 53. florenis æſtimatum. Facultas autem philoſophica Theatro & Comœdiæ, quæ per tres dies fuit exhibita, ſumtus ſuppeditauit. Diem Dominicam, ſeu octauam Maii ſumma Academiæ noſtræ Capita exornarunt; ac Reuerendiſſ. quidem & Celſiſſ. Cancellarius Vniuerſitatis, Princeps & Epiſcopus Eichſtettenſis cum Canonicis quibusdam cathedralibus, quos ſecum Eichſtadio miniſtros adduxerat, ritu pontificali ad aram operatus eſt, ſuperueniente ad eius initium Sereniſſimo Neoburgenſi Duce cum Sereniſſ. Coniuge; Magnificus autem Academiæ Rector & Procancellarius *Leo Menzelius* ad concionem confertiſſimam eodem die publice dixit. Diem Maii vndecimam præcipuo quodam ritu Collegium philoſophicum celebrauit; cum enim mane frequentes in Academia Doctores & diſcipuli conueniſſent, diſputatis oratorie cauſſis decretum eſt *S. Franciſcum Xauerium* Philoſophiæ Patronum perpetuo eſſe præficiendum. Quam ob rem in eius honorem mox Phyſices Profeſſor nouem & quinquaginta Candidatos prima Philoſophiæ laurea inſigniuit. Quæ reliquo eiusdem ſolennitatis tempore geſta ſunt, lubens prætereo, quod ad Vniuerſitatem minus pertinere videantur: vnum tamen omittere non poſſum; fuiſſe ſcilicet ex celeberrimis Profeſſoribus noſtris ſecularibus nonnullos, qui, cum in area conuictus Ignatiani quadringentis fere pauperibus viris epulum pararetur, Patres Societatis illis inſeruientes, pulcherrimo ad omnem poſteritatem exemplo, adiuuarunt. Illud quoque ad augendam communem lætitiam non parum attulit momenti, quod eodem tempore (die 10 Maii) de memorabili Catholicorum aduerſus Marchionem Durlacenſem

A.
1622.

ſem victoria nuncius ad nos peruenerit; qui cum per ſe iucundiſſimus eſſet, feſtiuior omnibus ob temporis illius rationem viſus eſt.

Facultas theologica vnanimi conſenſu eodem anno concluſit, vt dies Diui *Thomæ Aquinatis*, Doctoris Angelici, inter feſta Collegii theologici adnumeraretur; vt, quem ſcholaſtici Doctores præcipuum Auctorem ſequuntur, eius quoque memoriam inprimis colerent.

In eadem ſacra Facultate mutationes quædam accidere: *Ioannes Moquetius* Theologiæ ſcholaſticæ per 9. annos Profeſſor, Dilingam abiit, Academiæ ibidem & Collegii Societatis Rector futurus; ſuccedente hic in eius locum *Georgio Stengelio*; in huius autem *Oſwaldo Coſcano*. Habuit *Moquetius* in auditorio Theologorum inſigne monumentum, his verbis: *Ioannes Moquetius S. I. Muſſipontanus Lotharingus, peracuti vir ingenii, grauis iudicii, memoriæ feliciſſimæ, præter idioma ſibi proprium* (gallicum) *latine, græce & hebraice doctus; italico quoque, hiſpanico & germanico ceu vernaculis vtebatur, Philoſophiam & Theologiam primo Dilingæ, deinde eandem nouem annis Ingolſtadii laudatiſſime profeſſus eſt, Gonteriana præſertim methodo contra calumniantes hæreticos egregie vindicata. Clarus fuit Collegii & Academiæ Dilinganæ Rector, a ſummis Principibus crebro conſultus: tandem Oeniponti, cuius Collegium pluribus annis rexit, exemplo quam verbis imperioſior; ex aſſiduis laboribus deceſſit 29 Ian. an.* 1642. *ætat.* 68. Scripſit *de Sponſalibus & Matrimonio*, Diling. 1611. *Methodum Gonterianam, ſeu Modum cum Hæreticis ex ſolo Dei verbo diſputandi a Ioanne Gonterio conſcriptam a calumniis vindicauit*, Ingolſtad. 1618.

Ab Iurium cathedra deceſſit hoc anno *Simon Labricquius* Leodienſis; de quo id ſolum mihi conſtat, ſcripſiſſe illum *Miſcellanea vtriusque Iuris*, item *Miſcellas Elementares Iuſtinianeas*, an. 1610. *De Feudis*, an. 1611. *De præcipuis & fere omnibus Iuris materiis*, an. 1613. *De Pignoribus & Hypothecis*, an. 1614. *De Seruitutibus*, an. 1615. *De quibusdam Conditionum Speciebus*, an. 1615. *De Fideiuſſoribus*, an. 1622. &c.

Alumni Seminarii Clericorum S. Hieronymi, cum ob rerum omnium penuriam nemo in vrbe reperiretur, qui eis victum addiceret, in Collegium S. Ignatii Mart. hoc anno translati

A. 1622. lati ſunt; illorum autem domus interea locata eſt *Iacobo* & *Franciſco Fuggeris*, *Ioannis* ſen. filiis.

Quæ circa hoc tempus rei numiſmaticæ fuerit ratio, acta produnt Facultatis philoſophicæ; ex quibus ipſa verba deſcribo: *Decima Iunii egit Decanus cum D. Procancellario, & impetrauit, vt hoc anno a Candidatis Magiſterii non amplius quam Thalerum Bauaricum peteret pro Imperiali, qui aliquot iam annis dari conſueuerat, & nunc immodice ad* 10. *florenorum pretium excreuerat.*

Menſe Iulio ab Academia diſceſſit *Ferdinandus Laurentius Comes Wartenbergius*, Sereniſſ. Ducis FERDINANDI filius natu minimus. Huius Præfectus domeſticus *Ioan. Chriſtoph. a Pyrrhing*, cum die 11. eiusdem menſis Licentia theologica inſignitus fuiſſet, lautum dedit epulum in Collegio Ignatiano, cui præter ordinarios hoſpites, Comites etiam *Wartenbergius*, *Viſcontius* & *Spinola* fuere adhibiti. Sublatis circa horam ſecundam menſis, Comes *Ferdinandus* accepto, leuatoque poculo hoſpitibus valedixit, & recta ad Collegium Societatis abiens, currum a Sereniſſimis Neoburgicis Principibus ſubmiſſum conſcendit, Landsbergam ad Tyrocinium Societatis Ieſu profecturus. At vero non eadem, qua Frater *Maximilianus*, conſtantia in eo ordine perſtitit; ſed poſt aliquot annos ad ſuos rediit.

Ioannes Adelzreitter celebrati paſſim nominis vir, & magnus poſtea Monachii Cancellarius, publice hoc anno ex Iurium ſcientia diſputauit, præſentium applauſu tanto, qui futuros honores facile præſagiret.

ANNO DOMINI M DC XXIII.

A. 1623.

Rect. CCXCIII. IOAN. GEORG. A KÖNIGSECK & Aulendorf.

Prorect. *Leo Menzelius* &c.

Rect. CCXCIV. ANTON. IONAS KILIANSTEIN, Med. Doct. & Prof.

Inſcripti 168.

Nobiles, *Ioan. Henric. Nothaft* a Wernberg.

Alexan-

A. 1623.

Alexander,
Ioan. Seruat. } *Barones a Gumpenberg*, fratres.
Maximilian.
Henric. Rhelinger, Patrit. Auguſt.
Georg. Chriſtoph. a Lerchenfeld.
Ioan. Stephan. Comes Centurioni.
Auguſtin. Wencesl. a Kliman Zeslaw, Gloggouienſ. Sileſ.
Gallus,
Carol. Philipp. } *ab Vlm*, Barones in Erbach.
Aegidius a Meill, Pomeran.
Ioan. Theodoric. a Schneburg in Halthaus Tirol.
Ioan. Carol. } *Comites Marini*, Marchiones de Caſtel-
Ioan. Franc. } nuouo ad Scriuiam, Genuenſ. fratres.
Marcus ab Elſenhaim, Auguſt.
Ioan. Bapt. Langenmantel, Patrit. Auguſt.
Wolfgang. Roſenbuſch a Vichaufen in Nozing.
Carol. Diepold. } *a Freyberg*, fratres.
Ioan. Theodoric. }
Ioan. Bapt. Rhelinger ab Haltenberg, Patrit. Auguſt.
Martin. Sattelberger a Schickenburg, Tirol.

Nou. Prof. *Wolfgang. Hallmarius*, Monacenſ. Bau. S. I. Prof. Phil.
Ioan. Valentin. Schmid de Wellenſtein, Brigantin. Prof. Iur. extraord.
Arnold. Rathius, I. V. Doct. & Prof. extraord.

Nou. Doct. *Arnold. Rathius*, deſignatus Prof. extraord. } *Vtr. Iur.*
Ioan. Dornmegginger, Aduocat. Straubing.
Matthias Henric. Treuttwein,
M. Georg. Maius,
Ferdinand. Reindl,
Ioannes Schaz,
Georg. Conler,
Philipp. Baumfelder,
Michael Straſſer,
Ioannes Murr,
Matthæus Herrenberger,
M. Georg. Schürer, Hochuſan. Franco, } *Medic.*
M. Philippus Kornmann,

A. 1623. *M. Tobias Giggenbach*, *M. Paul. Bollandt*, Herbipolenſ. } *Medic.*

Glorioſa fuerunt Bauariæ huius anni initia, cum ſcilicet die 25. Februarii Dux MAXIMILIANVS in Comitiis Ratisbonenſibus a FERDINANDO II. Cæſare S. R. I. Elector inſtitutus eſt. Vniuerſitas noſtra, ne in communi lætitia officium ſuum deſiderari pateretur, edidit eodem anno, ad honorandam tantæ rei memoriam, Rectoris, ceterorumque Patrum academicorum nomine *Gloriam Bellicam Sereniſſimi* MAXIMILIANI *Com. Pal. Rhen. Vtriusque Bau. Ducis S. R. I. Archidapiferi & Electoris*, iuſto volumine deſcriptam. Collegium quoque Societatis memorabilem hanc Hiſtoriæ boicæ epocham *Plauſu ſymbolico* celebrauit.

Propter difficillimam annonam & ingens pretium, quod ob crebram monetæ mutationem a ſtudioſis in ſuis conuictibus exigebatur, Metaphyſici ſolito citius hoc anno, ſcilicet circa feſtum Pentecoſtes curſum ſuum abſoluerunt; & paulo poſt Magiſtri Philoſophiæ ſunt creati, numero quadraginta & octo.

Mortuus eſt menſe Maio eiusdem anni *Ioannes Stuberus*, Iurium Profeſſor, de Academia per multos annos optime meritus. Ad eius viri celebrandam memoriam, cum alia monumenta non ſuppetant, quædam eius ſcripta ſuffecerit indicaſſe. Sunt illa: *Ad Tit. Inſtt. Imp. de Actionibus*, an. 1604. *Theſes miſcellæ ex diuerſis I. V. articulis*, 1609. *De Vſucapionibus & Præſcriptionibus*; item *de iudiciis in genere*, 1610. *De Iurisdictione; de Decimis*, 1615. *De Iure Emphiteutico*, 1617.

Pro *Stubero* ad extraordinariam Pandectarum lectionem *Valentinus Schmidius* & *Arnoldus Rathius* admiſſi ſunt, cum conſueta honoraria penſione 100. florenorum.

A. 1624.

ANNO DOMINI M DC XXIV.

Rect. CCXCV. HIERON. ARNOLD. RATHIVS &c. V.

Rect. CCXCVI. IOANNES FORNERVS &c. vt ſupra, II.

Inſcripti 260.

Prin-

A.

Principes, ALOYSIVS, FERDINANDVS, } S. R. I. Principes Caſtilionis, Marchiones Medullarum & Mantuæ &c. fratr. 1624.

Nobiles, *Chriſtoph. Nicol. Caſimir. Leo* } *Sapieha*, Palat. Vilnenſ.

Ioan Guilielm. Wolfg. Ludouic. } *Barones a Gumpenberg.*

Ioan. Matthias ab Anzolo, Leodius.
Ioan. Sigismund. Ment a Schweing. Bau.
Georg. Reinhard. Comes ab Ortenburg.
Georg. Chriſtoph. a Braitenlandenberg.
Balthaſ. Ferd. ab Hornſtein.
Alexander Schrenk a Nozing.
Stanisl. de Olesko, Palat. Ruſſiæ.
Marquard. Schenk a Caſtell, Can. Eichſtett.
Ioan. Bernard. Pilbis de Nidern Vlrain & Sibenburg.
Franc. Recordin a Neun, Tirol.
Ioan. Bapt. Baro a Gumpenberg.
Ioan. Chriſtoph. ab Eſch.
Gundackher Ridler a Ioanskirchen, Monacenſ.
Ioan. Iacob. Schad a Mittelbibrach in Wardhauſen.
Georg. Chriſtoph. Cloſenberger a Vilſchau, Landishut.
Ioan. Oſwald a Zimmern, Wellheimenſ.
Ioan. Chriſtoph. Nothaft de Wernberg. Bau.

Nou. Prof. *Claudius Alt*, Friburg. Nuith. S. I. Prof. Ethic.

Nou. Doct. *Caſpar. Zeiller*, Epiſc. Auguſt. Conſil. Pænitentiar. & Viſit. General.
Andreas Stöger, O. S. B. Profeſſus Seonenſ.
Chriſtoph. Erneſt. Troilus a Troiburg, Tirol.
Ioannes Schelle, deſignatus Regens Colleg. Georg. } *Theol.*

M. Bernard. Vogel,
M. Chriſtoph. Langödel, Monacenſ.
M. Ioan. Götzendorfer, Franco.
M. Maurit. Hornung, Franco. } *Vtr. Iur.*

M. Ioan. Lebenhauſer,
M. Chriſtoph. Schön.
M. Matthias Ebenhans,
M. Ioan. Henric. Keckh, } *Medic.*

Illu-

A.
1614. Illuſtriſſimus D. ALOYSIVS *Gonzaga* S. R. I. Princeps Caſtilionis, Marchio Mantuæ & Medullarum, Magnas Hiſpaniæ, Liber Baro Bohemiæ, &c. Diui *Aloyſii Ganzagæ* ex fratre nepos menſe Iunio, vna cum fratre FERDINANDO ad academicum noſtrum Gymnaſium acceſſit. Elegerunt ſibi ambo habitationis locum in Conuictu S. Ignatii M., quem virtute non minus quam eruditione mire illuſtrarunt. Præfectus illis datus eſt e Collegio Patrum Societatis *Fridericus Fontanerus*. Biennium integrum hic verſati Pragam Bohemiæ diſceſſere.

E prima etiam Germaniæ nobilitate memorandi hoc anno veniunt illuſtres ſurculi; I. *Georgius Reinhardus Comes ab Ortenburg*, qui pleniſſimum veri ſolatii ſpectaculum nobis exhibuit. Studiorum is cauſſa huc venerat, luthericis dogmatibus cum ipſo lacte innutritus. Religioſiſſima tot comitum atque etiam Principum, quibuscum agebat, exempla & cœleſtia, quibus intus vrgebatur, monita eo vſque valuere apud nobiliſſimum Iuuenis animum, vt eodem adhuc anno, quo ad nos acceſſerat, publice in templo S. Crucis plurium Comitum corona cinctus, ac præmiſſa exhomologeſi ſacro refectus epulo, cum Eccleſia catholica reconciliatus ſit. II. *Marquardus Schenk a Caſtell*, nunc quidem Canonicus, poſtea, an. 1636. Epiſcopus Eichſtettenſis; de quo plura ad an. 1685. quo ad ſuperos abiit.

Scholam quoque noſtram theologicam inſigniter ornarunt *Hector. Schad* a Mittelbibrach, Can. Ratisbon. Theologiæ auditor; *Erneſtus* item *Troilus* a Troiburg, *Philippi Comitis de Spinola* Præfectus domeſticus, qui cum tribus aliis, *Gaſpare* ſcilicet *Zeillero*, Cathedralis Eccleſiæ Auguſtanæ Pænitentiario, Conſiliario Epiſcopali, & viſitatore generali, poſtea eiusdem Eccleſiæ ſuffraganeo, Epiſcopo Adramyteno ac Vicario generali; *Andreæ Stögero* O. S. B. in Seeon Profeſſo, & *Ioanne Schelle*, deſignato Regente Collegii Georgiani, Doctoratus theologici inſignia publice recepit. Interfuerunt huic actui Præpoſitus Rohrenſis, Abbatum Ottoburani, Schyrenſis & Seeonenſis legati, ſeptem Comites, Barones vltra viginti. *Comes Spinola* in conuiuio doctorali Præfecto ſuo ſcyphum argenteum donauit eleganti opere, & pretio 83. florenorum.

Ex Iurium ſtudioſis ſpecialem ſibi memoriam expoſcit *Ioannes Iacobus Balde*, Enſishemienſis Alſata; qui cum abſoluto

apud

A.

apud nos Philoſophiæ curriculo Iurisprudentiam hoc anno diſce- 1624.
re cæpiſſet, inter Societatis Ieſu Tirones adlectus fuit. Vetus traditio eſt apud Ingolſtadienſes, *Iacobum Baldeum*, cum noctu haud procul a Monaſterio Monialium Franciſcanarum, neſcio in cuius gratiam cythara luderet, atque ſubito religioſæ Virgines nocturnos de more pſalmos intonarent, altioti illuſtratum lumine, cytharam muro illiſiſſe, cum dicto: *Cantatum ſatis eſt, frangito barbiton*; atque tum primum ad Ieſuitarum ordinem animum applicuiſſe. Dixi veterem traditionem hanc eſſe; neque enim Acta illius anni, quæ inſpicere quidem licuit, ea de re quidquam produnt. Quantum vero in virum, & præcipue quantum in Poetam *Baldeus* euaſerit, notum eſt apud eruditos omnes, & ſcripti ab eo libri ſatis teſtantur. Vixit ad annum vſque 1668. & obiit in noſtra vicinia, Neoburgi ad Danubium.

Beneficium Sacelli S. Catharinæ, quod alias diximus ad artiſticam Facultatem pertinere, hactenus a Camerario Vniuerſitatis ita adminiſtrabatur, vt cenſus ac redditus alios ipſe colligeret; rationes vero dictæ Facultati exhiberet. Hoc anno, die 10. Martii præſentibus Academiæ Senioribus in ædibus D. Procancellarii conuentum eſt, vt deinceps hoc Beneficium a Camera Vniuerſitatis ſeparatum, ab ipſa Facultate adminiſtraretur.

Ad initium menſis Iunii Academia mortuum extulit *Ioannem Philippum Schenk a Stauffenberg* Canonicum Bambergenſem & Wurceburgenſem, in D. Mauritii templo ſepultum.

A Nouembri menſe h. a. initium ſumſere Repetitiones, quas vocant, ad portam Collegii Societatis. Rei huius laudabiliſſimæ ea fuit occaſio: pauperibus ſtudioſis, qui ad dictam Collegii portam alebantur, plerisque tum Phyſicæ auditoribus, cum priuatam inter ſeſe repetitionem inſtituere in dies ſingulos cogitarent, Rector Collegii, *Hugo Rottius*, ex ſuis quemdam Theologiæ ſtudioſum conceſſit, qui repetitioni illi quaſi præſideret. Acceſſere ſuccedentibus annis alii e ciuitate ſtudioſi, qui ſimile ſibi beneficium fieri optabant. Et vero optinuere quod petebant; immo, vt maior eſſet atque certior vtilitas, datus eſt ſingulis ternionibus, quaternionibusue Theologiæ

A.
1624. giæ ac Philoſophiæ ſtudioſorum vnus ex iunioribus Ieſuitis eiusdem ſtudii alumnus, qui pertractatas publico in Collegio materias priuatim repeteret, & quaſi recoqueret. Sic cæpta laudabiliſſima conſuetudo, quæ ad annum vſque 1773. magno Iuuentutis academicæ commodo continuata eſt.

Leodii, vt ſupra indicatum eſt, hoc anno obiit *Petrus Steuartius*, noſtræ nuper Vniuerſitatis Procancellarius, & Profeſſor theologus, ac Ciuitatis ad D. Maurit. Parochus, de Religione, Academia & ciuitate per triginta quinque annos, quibus apud nos verſatus eſt, optime meritus. Certe Academiæ viceſies ac ſemel Rector, aliquoties Prorector ſumma cum dignitate præfuit; eruditiſſimis autem ſuis lucubrationibus & ſacerrimam Religionem defendit, & optimas literas illuſtrauit. Præcipua eius ſcripta, quæ in publicum euulgauit, hæc fere ſunt: *Breuis Explicatio VIII. priorum Capitum Epiſt. S. Paul. ad Rom.* Ingolſt. an. 1586. *Breuis Explicatio VII. priorum Capitum Epiſt. S. Paul. ad Hebr.* an. 1588. *Apologia pro Societate Ieſu contra Polycarpum Leiſerum, ſeu potius Eliam Haſenmillerum* &c. an. 1593. *Commentat. in priorem S. Pauli Epiſt. ad Corinth.* an. 1600. *Commentar. in vtramque S. Pauli Epiſt. ad Theſſalon.* an. 1609. *Commentar. in Canon. S. Iacobi Epiſt.* an. 1610. *Commentar. in I. S. Pauli ad Timoth.* an. 1611. *Commentar. in II. S. Pauli ad Timoth.* an. 1912. *Vita S. Mauritii* &c. an. 1617.

Sed omnium luculentiſſime ſuum bene merendi ſtudium *Petrus Steuartius* ciuitati Ingolſtadienſi demonſtrauit, cum illius bono Orphanotrophium primus inſtituit, fundauit, dotauitque. Eius munificentiæ publicum monumentum hodiedum exſtat in marmore ædibus Orphanotrophii præfixo, cum inſignibus Steuartianis & ſequenti inſcriptione:

Viator Chriſtiane!

Cum bonorum operum hoſtiis promereatur Deus: hoc Orphanotropheium ne pertranſito, ni prius larga manu eidem benedixeris. Ideo enim hoc idem ad Dei gloriam, & pauperum ſubſidium inchoauit Petrus Steuartius Leodius Belga, Parochus Mauricianus, Acad. Ingolſtadienſ. Procancellarius & Theolog. Profeſſor: vt Beneficentiæ & Communionis te hac iter facientem commoneret, & ſic regnum a mundi conſtitutione Orphanorum patribus præparatum poſſideres. 1617.

Acta

A. 1624.

Acta quoque Collegii S. I. liberalitatem *Steuartii* pluribus locis prædicant; ac primo quidem ad annum 1614. cum sexcentos quinquaginta florenos pro fundanda Bibliotheca; deinde ad annum 1619. cum mille florenos ad liberam dispositionem eidem donauit.

A. 1625.

ANNO DOMINI M DC XXV.

Rect. CCXCVII. HENRICVS FERDINADVS BARO VÖHLIN a Frickenhausen, Illertissen & Neuburg, Metaphysicæ Studiosus.

Prorect. *Ioannes Fornerus*, Prof. Controu. Fid.

Rect. CCXCVIII. ANTONIVS IONAS KILIANSTEIN &c. II.

Inscripti 162.

Nobiles, *Franc. Rechlinger* ab Horgau, August.
Benno a Buechberg, Marchlshofens.
Remigian. Zuckowsky, Can. Posnan.
Ioan. Casp. Draco, Pragens.
Anton. Iacob.
Marc. Octauian. } *Fuggeri*, LL. BB. in Kirchberg & Weis-
Franciscus } senhorn, fratres.
Paul. Matthias ab Vlm, L. B. in Erbach.
Georg. Albert. L. B. in Maxelrain.
Casp. Ioach. Egloff a Päll, Landsbergens.
Barnabas Centurionus Marchio Marschalchi, filius *Dodisit Centurionis*, Genuensis.
Christoph. Adam. Baro ab vtroque Fraunhofen.
Ioan. Guilielm. a Parsperg in Hirsching.
Martin. Lanckoronski.
Ioan. Bapt. Rosckick a Rosenberg, Pragens.

Nou. Prof. *Iacob. Schwaiger*, Augustan. S. I. Prof. Log.

Nou. Doct. *Iacob. Vagel*, Episc. Ratisb. Consil. & Cancellar. ad S. Emeram. } *Vtr. Iur.*
Laurent. Schirmer, Aduocat. Straubing. }

A. 1625.

Ioan. Bernard. Weinmeiſter, Capitul. Cathedr. Ratisb. Syndicus.
M. Georg. Widmann, Vberlingan.
Gabriel Liebhardt, Aduocat. Burghuſian.
Henric. Kurzius, Prætectus Dominorum de Pirring.
Richard. Kobolt.
Chriſtoph. Sigesreitter.
} *Vtr. Iur.*

Menſe mox Ianuario huius anni in ipſa Academia bellum exarſit domeſticum ſatis graue. Occaſionem, innocuam quidem, præbuit *Arnoldus Rathius* Profeſſor Iuris extraordinarius; qui cum augendum ſibi ſtipendium annuum petiiſſet, Sereniſſ. Elector per literas a Rectore Vniuerſitatis & Senatu Academico informari voluit, quæ & quanta eius viri eſſent merita, horumque ratio ad ſtipendii augmentum. Cum Rector per literas encyclicas omnium Patrum academicorum ſuffragia exquireret, proteſtati ſunt Seniores, quidquam intereſſe Patrum academicorum, quanta ſumma nominanda eſſet; ſed id ad ſolos, vti ipſi nouo titulo ſe vocitabant, *Camerales* pertinere. Sed his cum priuatim, tum publice in pleno concilio ab omnibus contradicebatur. Inde altius exardeſcere diſſidiorum flamma cæpit, & cauſſa hic primum in coactis ſæpius conciliis, tum Monachii etiam agitata, in ſequentem annum protracta eſt.

Eiusdem Ianuarii die 29. communi non Vniuerſitatis tantum, ſed totius Reipublicæ literariæ, immo ipſius Religionis luctu tumulo illatus eſt *Iacobus Gretſcherus* SS. Theologiæ Doctor & Profeſſor emeritus. De ſummo hoc viro, ſi perſequi omnia velim, quæ ipſius merita depoſcere videntur, volumen integrum conſcribere oportebit; atque hoc quidem ante me alii præſtitere, qui collectioni omnium eius operum *Hiſtoriam Vitæ* præmiſerunt. Solum igitur illa notabo, quæ ab Vniuerſitatis noſtræ Annalibus abeſſe minime poſſunt.

Natus eſt *Iacobus Gretſcherus* anno 1562. ipſo die Paraſceues, qui tunc erat 27. Martii, Markdorfii Diœceſis Conſtantienſis ad lacum Acronianum oppido. Anno 1579. ætatis 17. Societatem Ieſu ingreſſus eſt, atque Philoſophiam & Theologiam

A.
giam in Academia noſtra didicit primum, mox etiam docuit. 1625.
Et Cathedram quidem philoſophicam conſcendit anno 1588. Expleto triennio literas græcas ſtatis horis in Gymnaſio aliquamdiu docuit, ſcripſitque Grammaticam græcam, quæ repetita multoties editione vniuerſis germaniæ catholicæ prouinciis inſigniter ſeſe commendauit. Anno 1592. in cathedra theologica ſucceſſor datus eſt *Gregorio de Valentia*, cuius antea diſcipulus fuerat. Quatuordecim continuos annos Theologiam, quam vocant ſpeculatiuam explicauit; cum, vt ſpatium tanto amplius ad vtiliſſimas commentationes nanciſceretur, *Iacobo Kellero* eam ſpartam ceſſit, ipſe quæſtiones de Conſcientia & Moribus reſoluendas ſibi ſumſit per annos decem, dum tandem anno 1616. omni prorſus publice docendi munere leuatus eſt. Annos vitæ nouem ſuperſtites in huiate Collegio Societatis cum ſcribendis libris, tum ſacris domi laboribus conſumſit, dum anno demum ætatis 63., poſt Chriſtum natum 1625., die & hora non obſcure prædicta, animam placidiſſime exſpirauit die 29. Ian. Capite ab Anatomicis poſt mortem diſſecto repertum eſt cerebrum penitus exaruiſſe.

Funus, poſtquam Patres Societatis religioſa moleſtia curarunt, ab Academia paulo maiori celebritate eſt cohoneſtatum, panegyrin funebrem dicente *Ferdinando Waizeneggero* Iurium Profeſſore. Facultas theologica ſequenti elogio *Gretſcheri* memoriam in ſua ſchola condecorauit: *R. P. Iacobus Gretſcherus Markdorfianus Acronianus Soc. Ieſu, cui ſui ſcriptor celeberrimus, annos XXVI. in hac alma Vniuerſitate docendo confecit; vno linguam græcam, tribus Philoſophiam, reliquis Theologiam profeſſus. Nihil huius ingenio clarius, memoria fidelius, iudicio grauius, labore conſtantius, lucubrationibus eruditius & fœcundius. Seſqui centum fere libris editis Academiam ornauit, Bibliothecas auxit, Eccleſiam propugnauit. Concionibus interea, exhortationibus, prælectionibus priuatis, excurſionibus, confeſſionibus audiendis, conſiliis dandis aſſidue occupatus, nihil ſui ordinis omiſit. Amarunt eum maximi Principes, docti ex omnibus Prouinciis coluerunt, vehementer extimuerunt hæretici; quos magna orbis catholici gratulatione, mira felicitate ac facilitate repreſſit. Obiit Ingolſtadii, ſtudiorum contentione exhauſtus, virtutum meritis plenus, XXIX. Ianuarii, Anno Iubilæo MDCXXV. ætatis LXIII.*

A. 1625. Markdorfenſes, quam primum mors *Gretſcheri* illis innotuit, exequiis publico ſumtu factis eidem parentarunt, ſplendore, quantum id loci fieri potuit, maximo. Poſtea, quoniam ſpirantis effigiem pictam a viuente impetrare non poterant, licet inſtanter petiiſſent, animi imaginem libros omnes, quotquot ea tempeſtate ediderat, ſerico compactos inuoluero, cum quadam eius icone & inſcriptione in curia repoſuere, vt ciuis ſui toto orbe celeberrimi memoria perennis apud ſe exſtaret.

Neque mirum, hos mortuo *Gretſchero* honores fuiſſe habitos, qui viuus a ſummis etiam viris laudatus fuit & æſtimatus. Ipſe Pontifex Max. CLEMENS VIII. ita illum cordi habuit, vt pro ſenis iam & laboribus fracti valetudine ſolicitus Superioribus Societatis ſignificari iuſſerit, cupere ſe vehementer, vt tam pretioſo vtilique viro nihil deeſſe paterentur. FERDINANDVS II. Imp. Francofurto redux ab electione, tranſiensque Monachio, mox ad ſe *Gretſcherum* euocauit Ingolſtadio, tanquam virum ſibi ſingulariter carum. MAXIMILANO Duci Bauariæ ex omnibus ſuæ ditionis Theologis idem viſus eſt digniſſimus, qui cum *Alberto* noſtro *Hungero* ad Colloquium Ratisbonenſe mitteretur. Cardinalis *Vrſinus* bis ex itinere huc delatus, ad ipſius muſeum ſemper inuiſit, extracto in plures horas familiari colloquio. Epiſcopi Eichſtettenſes IOANNES CONRADVS & IOANNES CHRISTOPHORVS; Auguſtanus quoque, Bambergenſis & Würceburgenſis Præſules eius conſiliis non raro ſunt vſi. Doctiſſimus *Bellarminus* ſæpe, *Marcus* autem *Welſerus*, notus ex eruditiſſimis ſuis lucubrationibus Duumuir Auguſtanus, in ſingulas hebdomadas, ſuis *Gretſcherum* epiſtolis honorabant, eiusque ſententiam in varia literatura doctrinaque exquirebant. Quid viri alii grauiſſimi, *Henricus Spondanus*, *Petrus Lambecius*, *Erycius Puteanus* &c. & ex ipſis heterodoxis *Hermannus Conringius*, *Melchior Goldaſtus*, *Gretſcheri* aliquando diſcipulus, & *Paulus Freherus* de ipſo ſenſerint, in vitæ illius hiſtoria, Tomo I. operum præfixa legere eſt.

Ad eandem vitæ hiſtoriam illos remitto, qui de religioſis *Gretſcheri* virtutibus, de animi demiſſione, de patientia in continuis fere morbis, de ſtudio orationis &c. ſcire plura deſiderant. Eius tamen conſtantiam atque aſſiduitatem in ſcribendo & lucubrando non poſſum non commemorare; decem quotidie

A.
tidie & plures etiam horas ſtudiis dabat: de conſueto recrea- 1625.
tionum tempore, quin & de ſomno plurimum ſibi detrahebat; certe quamdiu vegeta vtcunque erat valetudo, prius cubitum concedere non ſolebat, quam in vicino parthenone ſacro circa mediam noctem æris campani ſonitus matutinas preces indiceret. Erat potus pariter ac cibi parciſſimus, ne mentis ſerenitatem nimiis humoribus obfuſcaret. Sed hoc etiam cum vitæ tenore, prodigio non videtur abſimile, vnum hominem potuiſſe ſufficere rebus tam multis tamque diuerſis, ea, quam in eius ſcriptis miramur, accuratione, ſoliditate & eruditione pertractatis. Theologica, polemica, hiſtorica, philologica, & neſcio quæ, latino, græco, vernaculo ſermone ſcripſit, vertit, edidit: ad ingentes illos XVII. Tomos appello, qui hoc primum ſeculo pulcherrime excuſi omnia *Gretſcheri* opera nobis exhibent; atque ad hæc ipſa quidem volumina, paſſim in Bibliothecis exſtantia, omnes remitto, qui pleniorem de ſcriptis ab illo libris notitiam deſiderant.

Eodem Ianuario menſe ex hac vita deceſſit *Hieronymus Arnoldus Rathius*, Bomelianus Geldrius, Iurium in hac Vniuerſitato per 30. annos Profeſſor. Fuit Sereniſſimorum FERDINANDI, MAXIMILIANI, nec non GVILIELMI & ALBERTI Bauariæ Ducum Conſiliarius. Obiit cælebs: reliquit vero complures ingenii partus; ex quibus mihi quidem innotuere Diſſertationes quædam Iuridicæ, vt, *De Sententia Iudiciali*, an. 1615. *De Fideiuſſoribus*, an. 1616. *Aſſertiones ex ſubtiliſſima Iuris accreſcendi materia;* item *De contrahenda emtione & pactis inter emtorem & venditorem compoſitis*, an. 1617. *Queſtiones controuerſæ in materia Pignorum*, an. 1622.

Tertium hoc anno funus itidem Collegium Societatis extulit; quod ipſum tamen ad Academiam quoque pertinet. Extinctus eſt menſe Martio *Reinerus Fabricius* Leodienſis, centenarius fere ſenencio; ſeptem enim & nonaginta annos erat natus, ex quibus ſeptuaginta quinque in Societate Ieſu, quadraginta autem & vltra in hac Vniuerſitate noſtra conſumſit, Eloquentiæ primum, dein Ethices Profeſſor. Auditores habuit Principes Germaniæ ſummos, FERDINANDVM Archiducem, Duces Bauariæ &c. quos ſuperioribus annis recenſuimus. Vi-

A. 1625. xit vero *Fabricius* difficillimis Academiæ temporibus, flagrante ſcilicet bello Artiſtico, quod multis annis Patres academicos colliſit. Contigit eidem, vt plerosque ſuos quondam aduerſarios funebri oratione dilaudaret. Vltimum vitæ decennium Biburgi egit: inde extremis hebdomadis Ingolſtadium deportatus Dominica *Lætare* animam pacatiſſime efflauit, vir egregia ſemper morum facilitate, & priſci candore ſeculi. Referunt monumenta Collegii Patrum Societatis, *Stanislaum Koſtka*, cum Vienna Dilingam profugiſſet, ab hoc ipſo *Reinero Fabricio* ſuperiorum iuſſu Romam ad S. Andreæ tyrocinium perductum fuiſſe.

Quantum ſtudia philoſophica hoc tempore floruerint, inde colligimus, quod ſepties omnino publice ex illis diſputatum, prima vero Artium & Philoſophiæ laurea ſexaginta ſex, ſuprema quinquaginta quinque candidati inſigniti fuerint.

Guilielmus Baro Gumpenbergius Monacenſis, magni poſtea nominis vir, Romæ in Vaticana Baſilica Pœnitentiarius, & *Atlantis Mariani* atque aliorum opuſculorum auctor hoc anno, abſoluta apud nos Rhetorica, religioſo Ieſuitarum cœtui ſe adiunxit.

A. 1626.

ANNO DOMINI M DC XXVI.

Rect. CCLXCIX. LEO MENZELIVS &c. XI.

Rect. CCC. ANTON IONAS KILIANSTEIN &c. III.

Inſcripti 149.

Princeps, GVILIELMVS FRIDERICVS Landgrauius in Leuchtenberg, Comes in Hals & Ruſſy.

Nobiles, *Guilelm. Balthaſ. a Kirmreit*, Palat. Sereniſſ. Landgr. Leuchtenberg. Ephebus.

Matthias Rudolph. a Sumerau, Monacenſ.

Ioan. Rudolph. a Parſperg, Arnſpergenſ.

Ioan. Sebaſt. Pelkhouer, Bau.

Ioan. Franc. Fugger, Comes paulo ante factus.

Ioan. Philipp. a Warſperg, Lotharing.

An-

A.

Andreas } *Comites de Leſzno Leſzinski*, ſuprem. Polon. 1626.
Vladislaus } regni Cancell. filii, cum 4. nobil. famul.
Ioan. Ludouic. Baro a Grauenegg.
Wolfg. Gundacker a Taufkirchen in Guettenburg & Ibin, Burghuſ.
Maximil. Zigklin ab Hohenwald, Auguſtan.
Ioan. Iaroslaus Ignat. Walkaun, Baro de Adlaz, Bohem.
Felix Pallauicinus, Comes Genuenſ.
Ioan. Georg. Rechlinger ab Horgau, Patrit. Auguſt.

Nou. Prof. *Wolfg. Grauenegg*, Elluacenſ. S. I. Prof. Theol.
Petrus Hildebrandus, Lauffenburgenſ. S. I. Prof. Matheſ.
Georgius Bernardus, Monacenſ. S. I. Prof. Log.

Nou. Doct. *Laurent. Federl* a Pürk } *Medic.*
M. Andreas Biſchof, }
Georgius Ganſer, }

Menſe Ianuario e Grammatica Monacenſi ad academicum Gymnaſium noſtrum acceſſit Sereniſſ. Princeps GVILIELMVS FRIDERICVS Langrauius Leuchtenbergicus, Comes in Hals & Ruſſy, GEORGII LVDOVICI filius, anno dein 1631. Halberſtadii mortuus. Eius ſtudia, quamdiu quidem nobiscum viuebat, moderabatur *Wilhelmus Riegerus* Theologus, Canonicus Monachienſis. Cum eodem adhuc tempore duo Principes *Gonzagæ* in Academia morarentur, dubium exortum eſt, vter alterum in actibus publicis præcedere deberet. Prætendebat Landgrauius dignitatem; *Gonzagæ* diuturniorem in Academia commorationem. Conſultus ea de re Sereniſſ. Elector, reſpondit; æquum quidem eſſe, vt antiquiores S. R. I. Principes omnibus externis præhabeantur; ob arctum tamen ſanguinis vinculum, quo *Gonzagæ* Principes Auguſtiſſimæ Rom. Imperatrici coniuncti eſſent, concedi hoc quidem caſu poſſe, absque vllo tamen præiudicio, aut valituro ad poſteritatem exemplo, vt *Leuchtenbergius Gonzagis* cedat.

Sed omnis hæc controuerſia paulo poſt euanuit, cum Principes *Genzagæ* menſe Iunio, tribus annis in Grammatica hic expletis, Pragam diſceſſere. Conuictui Ignatiano, in quo vna cum Landgrauio Leuchtenbergenſi pluribusque Comitibus & Baronibus hactenus habitarunt, quique ab eo tempore Collegium

A. 1626. gium Nobilium paſſim dici cæpit, in perpetuam ſui memoriam reliquere duas prægrandes tabulas, vnam cum S. Aloyſii, alteram cum S. Stanislai effigie. Illud ſingulare, quod Princeps ALOYSIVS, ante ſuum abitum, Nobilem virum *Ioannem Vdalricum a Liechtenaw*, vnacum filio natu maximo, in templo S. Crucis, Equitem creauerit, dignitate illa ad omnem maſculam ſecuturam prolem propaganda.

Die 19. & 20. menſis Februarii celebrauit Vniuerſitas ſacra Funebria pro Sereniſſ. Duce Bauariæ WILHELMO IV. Principe vere PIO, qui die 7. eiusdem menſis Monachii obierat, anno ætatis ſeptuageſimo octauo, poſiti vero regiminis vigeſimo octauo. De piiſſimi Ducis laudibus orationem funebrem publice dixit *Leo Menzelius*, in conuentu Decanorum ad id muneris conſtitutus.

Pax domeſtica inter Senatum academicum & *Camerales*, etſi ex parte fuerit hoc anno reſtituta, Monachienſes tamen nihildum deciderunt. Potius magnum aduerſus Camerales præiudicium attulerunt literæ Sereniſſ. Electoris, quibus circa feſta Lucalia petebat a Senatu Patrum academicorum (omiſſa *Cameralium* mentione) vt informationem ac iudicium etiam ſuum Monachium transmitterent circa ſtipendia annua, quæ ſibi tres Profeſſores augeri ſupplicarant.

In theologica Facultate nouo hactenus exemplo ipſe Reuerendiſſimus Vniuerſitatis Procancellarius certas ob cauſſas, quas ſpecialibus literis Procancellario noſtro explicauit, licentiam capeſſendi gradum theologicum conferri prohibuit *Ioanni Mezgero*, Parocho antehac & Decano Landsbergenſi. Nouus Profeſſor Theologiæ pro *Caſparo Lechnero* Dilinga huc acceſſit *Wolfgangus Graueneggius*, ante ingreſſum in Societatem Ieſu, Canonicus Elluacenſis.

Arnoldus Rathius Iurium hactenus Profeſſor extraordinarius, ſpeciali Sereniſſ. Electoris decreto ad ordinariam eius Facultatis cathedram eſt promotus. Solenne principium habuit die 9. Februarii.

Hieronymus König Mathematicæ per quadriennium Profeſſor, poſt ferias paſchales ad Carolinam Pragenſem migrauit, eas-

easdem ibi disciplinas professurus. Succeſſit *Petrus Hildebrandus* e Dilingana Academia submissus. A. 1626.

Insolito ac sane lamentabili mortis genere mense Iulio h. a. extincti sunt iuniores duo Scholastici, vt vocant, ex Ordine S. I. Hi absoluto triennalis Philosophiæ curriculo cum Professore suo ac reliquis condiscipulis Biburgum descenderant ad consuetas recreationes. Cumque inde domum repeterent, a fulminea tempestate occupati, sub ipso prædii monasterienſis limine e cælo tacti sunt. Prior, *Ioannes Seidl*, Arbacensis Bauarus circa quintam vespertinam exspirauit; alter vero, *Georgius Henneman* Bruntrutanus Rauracus, tam grauiter est ictus, vt fulmen medium eius caput diffinderet, eo ipso momento, quo sepem transilire parabat; itaque medius ex ea pependit exanimis. Præter hos tertium quoque, ordine itineris viciniſſimum, *Edmundum Sickingen* Brisgoium, fulmen idem afflauit, & in vicinum riuulum proiecit; sed hunc ægre quidem trahentem animam sui condiscipuli laborioſa aliquot dierum cura sibi restituerunt.

Erat hic quidam hiſpanus, *Angelus de Summaram*, linguarum Magister; qui cum tertium iam quartumue edidisset grammaticum quoddam de linguis opus, atque titulum sibi Professoris ordinarii arrogasset, iussus est a Concilio Decanico primam saltem libri frontem mutare, & ineptam titulorum appendicem, quam sine approbatione addiderat, resecare. Typographi etiam hoc in negotio vocati, increpitique sunt, quod huiusmodi quidpiam absque facultate theologici aut philosophici Decani in typos admisissent.

ANNO DOMINI M DC XXVII. A. 1627.

Rect. CCCI. IOANNES PHILIPPVS SPINOLA, Marchio Genuens.

Prorect. *Anton. Ionas Kilianstein* &c.

Rect. CCCII. ARNOLDVS RATHIVS, I. V. Doct. & Prof.

Inscripti 202.

A. 1627. Nobiles, *Ioan. Georg.* } *Barones a Cloſen* in Arnsdorf, Gern, &
Ioan. Albert. } Mariakirchen.
Maurit. Maurus Hagenbuecher a Thurnſtein.
Paulus Warſyec Warſycki, Baro polon.
Paulus Zaluski, Polon.
Ioan. Maximil. } *Barones a Lamberg* in Orteneck &
Ioan. Guilielm. } Ottenſtein.
Wolfg. Carol. ab Höhenkirchen.
Ioan. Conrad. a Sirgenſtein.
Chriſtian. Godefrid. a Roſt, Tirol.
Wolfg. Ernric. } *Vberacker* a Sighartſtein & Pfangau,
Wolfg. Caſp. } Salisburg.
Wolfg. Guilielm.
Ioan. Sigismund. } *ab Ezenberg*, Bau.
Georg Chriſtoph.
Alexand. Schrenk a Notzing.
Ioan. Ludouic. ab Affry, Friburg. Heluet.
Adam. Franc. Vöhlin de Frickenhauſen, Baro in Illertiſſen & Neuburg.
Ioan. Iacob. de Weichs, Baro de Heilch & Wiſent.
Balthaſ. Ferdinand. ab Hornſtein in Hohenſtofeln & Greimingen.
Ioan. Bapt. de Taxis, Auguſtan. ſupremi Veredariorum Præfecti ibidem filius.
Alexander, } *a Greiffenclaw*, fratres.
Georg. Hannibal }
Nou. Prof. *Nicol. Burgundius*, Gandauenſ. Belg. Prof. Cod.
Chriſtian. Baumann, Friburg. Heluet. S. I. Prof. Ethic.
Ludouic. Vogl, Straubing. S. I. Prof. Log.
Nou. Doct. *Caſpar. Pirchinger*, Monacenſ.
M. Iacob. Eder, Seubersholzenſ. } *Medic.*
M. Ioannes Röll, Ingolſtadienſ.

Die 24. Aprilis Perilluſtris *D. Ioannes Philippus Spinola* in Rectorem Vniuerſitatis electus eſt, abſens licet; Ratisbonam enim paulo ante diſceſſerat. Peracta electione exortum eſt dubium, an abſens etiam publice ſit proclamandus: quod qui-

A.

quidem maior pars Senatorum affirmabat. Calendis dein Maii 1617.
idem Perilluſtris ac Magnificus D. Rector ab ipſo Reuerendiſſ. Epiſcopo Eichſtettenſi in æde ſacra Diu. Walburgæ ſolenni ritu prima tonſura initiatus eſt; die autem Maii 25. quæ erat feria tertia Pentecoſtes, conuiuium rectorale in Conuictu Ignatiano dedit, 270. florenorum rhenenſium impendio, præſentibus omnibus, qui tum in Academia commorabantur, Comitibus, Baronibus & Profeſſoribus.

Calendis Iunii, cum *Barnabas Centurionus* ſub Auſpiciis Sereniſſ. Electoris noſtri theſes defenderet philoſophicas, Rector etiam *Spinola* mane ac veſpere illas impugnauit, non ſine eruditionis ac ingenii commendatione ſingulari.

Demum die 18. eiusdem menſis Iunii, cum pridie conuocatis Patribus academicis amice ac liberaliter valedixiſſet, atque omnia ad iter neceſſaria comparaſſet, comitantibus pleriſque Baronibus, Comitibus & ipſo Principe *Leuchtenbergio* ac Profeſſoribus, quin & Studioſis ac tota fere Academia (vacabant enim ſcholæ omnes, licet dies Veneris eſſet) ad nauem diſceſſit cum *Barnaba Centurione* ac *Michaele Henrico de Lundlingshauſen* Viennam, ac inde Genuam, Romam, Lauretum &c. petiturus. *Kilianſteinius* quoque Prorector, *Stengelius* & *Bernardus* Profeſſores ad aliquod viæ ſpatium ſocios ſeſe iunxere. Pulchrum erat videntibus ſpectaculum, hos omnes, tubas inter ac tympana nauem conſcendere, ac ſpectante e littoribus innumera hominum multitudine, inter millenas acclamationes e portu ſoluere.

Nicolaus Burgundius Belga, notum apud ICtos & Hiſtoricos nomen, die 24. Iunii a Sereniſſ. MAXIMILIANO Electore Codicis Profeſſor eſt declaratus, ea ſimul conceſſa prærogatiua, vt quoad omnia in defuncti ſenioris *Rathii* locum ſuccederet.

Circa hoc tempus conſilium agitari cæptum eſt de inſtituendo Alumnatu Iuridico; ſcilicet mens erat Sereniſſimo, ſenos aut plures etiam alere Iurium ſtudioſos, qui aliquando eſſent Conſiliarii, Iudices, Legati, Cancellarii &c. Ad eum finem iuuenes petebat ingenio, aliisque dotibus excellentes, maxime bauaros, quibus ſcilicet ſecreta tutius credi poſſent, ſiue nobiles ac diuites illi eſſent, ſiue pauperes, modo apprime catholici. His annuum victum ac honeſtum veſtitum Princeps

A. 1627. deſtinauit; ita, vt apud quemdam Iuris Profeſſorem habitarent, haberentque cum in prandio tum in cæna lectionem quamdam hiſtoricam, de rebus maxime ad Imperium germanicum pertinentibus. Singulis hi annis teſtimonia ac theſes ad Sereniſſimum transmitterent, quibus ſuum in qualibet diſciplina progreſſum declararent. Abſoluto Iurium curriculo aſſumerentur ad munera ciuilia, pro ſuo dein labore ac induſtria ſemper aſcenſuri ad altiores dignitatum gradus. Viciſſim obligarentur ad addicenda per omnem vitam domui Bauaricæ ſua ſeruitia; aut ad refundendos ſumtus, qui in ipſos fuiſſent impenſi. Hæc fere idea fuit, quam Sereniſſ. MAXIMILIANVS Elector inſtituendo a ſeſe Alumnatui Iuridico deſignarat: ſed neſcio, qua cauſſa, totum conſilium intercidit, nec effectui vnquam datum. Fortaſſe illorum prævaluit ſententia, qui ſuadendum putabant Sereniſſimo, vt pecuniam, quam in iuuenes ſtudioſos impenſurus eſſet, ad augenda Conſiliariorum ſtipendia conferret; fore enim, vt viri doctiſſimi & exercitati in puluere & ſole, attrahantur.

ANNO DOMINI M DC XXVIII.

A. 1628. Rect. CCCIII. LEO MENZELIVS &c. XII.

Rect. CCCIV. VALENTIN. SCHMID *de Wellenſtein*, Prof. Iur.

Inſcripti 188.

Nobiles, *Wolfg. Chriſtoph. Wiguleus* } *a Weichs* in Peſingen.
Ioan. Iacob. a Weichs in Griesbach.
Georg. Chriſtoph. }
Georg. Frideric. } *ab Hegnenberg.*
Georg. Adam. }
Wolfg. Bernard. }
Conrad. Sigismund. } *a Muckenthal.*
Carol. Ferdinand. }
Franc. Rudolph. ab Haunſperg, Salisburgenſ.
Franc. Adam Magensreitter a Deiſing.

Chri-

A.
1628.

Chriſtoph. Iacob. Koller a Bochingen, Rottenburgenſ.
Ioan. Ferdinand. a Weichs in Griesbach.
Iſaac, } *a Neuhauſen*, Oberſulmentingenſ.
Georg. Ludouic. } fratres.
Georg. Conrad. Rechlinger, Can. Herbipol.
Ioan. Bapt. Speth a Zwifalten, Can. Auguſt.
Leopold. Iul. ab Ach, Pragenſ.
Sixtus Werner. Brimſy ab Herblingen.
Vincentius Mennius, Vulturienſ.
Anton. }
Thomas } *Scarron de Vaure.*
Claudius }
Chriſtophor. Haunold.
Ioan. Georg. Oexel, Göpping. Würtenberg.
Ioan. Caſp. a Lerchenfeld.
Ioan. Conrad. ab Hörwart.
Albert. Henric. Baro de Cloſen in Haidenburg, Wackerſtein & Ettling.
Georg. Frideric. a Lampfrizham de Fricka.
Leopold. Fugger, Comes de Kirchb. & Weiſſenh. Dominus in Wellenburg & Rottenbach.

Nou. Prof. *Nicolaus Wyſingus*, Lucernas, S. I. Prof. Phil.

Nou. Doct. *M. Balthaſ. Richter*, Eichſtad. }
M. Ioan. Preler, Fuldenſ. } *Medic.*
M. Caſp. Vietor, Tremonian. Weſtphal. }

Ex inſcriptis ad hunc annum præ aliis memorandi ſunt I. *Chriſtophorus Haunoldus* ex nobili apud Bauaros ſtirpe Altenthannii natus, Sereniſſ. Electoris Bau. Ephebus aulicus, demum Ieſuita & magni apud nos nominis Theologus, de quo alias. II. *Ioannes Georgius Oexel*, Göppingenſis *Würtenbergicus*, in pacis poſtea Weſtphalicæ negotio Oſnabrugæ Legatus. III. *Michael Pexenfelder* Arnsdorfenſis Bauarus, ingreſſus poſtea Societatem Ieſu, in qua Rhetoricam atque humaniores literas annis 22. cum inſigni eruditionis laude profeſſus eſt; quod opera ab ipſo edita teſtantur, *Apparatus Eruditionis*, *Florus Biblicus*, *Ethica Symbolica*, *Encomiaſtes Marianus* &c.

A. 1628.

Protracta per plures iam annos cauſſa, quæ *Camerales* inter & reliquos Patres academicos exorta fuerat, acceſſerunt hinc inde alia quædam non leuia mala; ita, vt Sereniſſimo Electori neceſſarium viſum fuerit, Commiſſarios mittere, qui viſitationem Vniuerſitatis inſtituerent. Delecti ſunt ad hoc negotium Illuſtris ac Generoſ. Dominus *a Preyſing*, Nobil. D. ab *Elſenbaim* & Clariſſ. D. *Mandl*; qui cum Martio menſe Ingolſtadium delati eſſent, die 31. eiusdem vniuerſos Profeſſores academicos ad ſtubam, vt vocamus, ſenatoriam conuocarunt, poteſtate ibidem ſingulis facta, vt, ſiquas haberent querelas, vel noua pro bono Vniuerſitatis conſilia, libere, vbi priuatim vocandi eſſent, explicarent. Res ſtrenue acta eſt a DD. Commiſſariis; & ex ſequentis demum anni hiſtoria patebit, quem fuerit exitum ſortita.

Die 6. Maii hac tranſiit Sereniſſ. FERDINANDVS Magnus Dux Hetruriæ, vna cum Fratre ſuo; quos, cum ad Collegium S. Ignatii M. inuiſerent, Princeps *Leuchtenbergius*, in ipſa eiusdem area, latina oratione ſalutauit, non ſine Sereniſſimorum hoſpitum & comitatus, qui frequentiſſimus erat, admiratione & applauſu.

Pro *Ioanne Koboldo*, Collegii Georgiani Regens hoc anno conſtitutus eſt *Ioannes Schelle* SS. Theol. Doctor; qui per 24. continuos annos illud munus deinceps ſuſtinuit.

Cum contagioſa quædam lues hoc anno nobis minitari videretur, ad preces conuerſi Academici, piam peregrinationem inſtituerunt ad Diuos tres Exules, quorum ſacræ Exuuiæ in vicino nobis Oettingenſi pago aſſeruantur, quæque Sereniſſimo primum Landgrauio, tum ceteris Nobilibus & Profeſſoribus a Vicario Eichſtettenſi oſtenſæ fuerunt. Tanta ſcribitur in ea ſupplicatione hominum fuiſſe multitudo, vt ſeſe mutuo fere comprimerent.

AN-

ANNO DOMINI M DC XXIX.

A. 1629.

Rect. CCCV. LEO MENZELIVS &c. XIII.

Rect. CCCVI. Idem XIV.

Inſcripti 205.

Nobiles, *Franc. Ferd. Comes Friſiæ Orientalis & Rittbergæ.*
Ioan. Ludouic. Reichlin a Meldegg, Berlingan.
Adam. Speth a Schilzburg.
Georg. Chriſtoph. ab Hornſtein.
Ioan. Ludouic. a Bernhauſen.
Ioan. Godefrid. Herolt, Ellingan.
Rochus a Memmingen, Meranenſ.
Godefrid. Herter ab Hertler, Conſtantienſ.
Paul. Albert. Rieterus a Kornburg, Norimberg.
Ioan. Caſp. Viereck, Gerzenſ.
Ioan. Werner. a Parſperg, Arnsberg. Franc.
Georg. Sigism. L. B. de Tannberg in Aurolzmünſter, Ahaimb & Offenberg.
Alexand. Mich. } *Comites in Wiſernich Lubomierscki*, Palat.
Georg. Sebaſt. } Ruſſiæ, fratres cum 5. nobil. polon.
Ioan. Franc. } *LL. BB. a Preiſing* in Altenpreiſing,
Ioan. Bernard. } fratres.
Carol. Sigism. a Stozingen in Dotternhauſen & Roswangen.

Nou. Prof. *Conrad. Henzelius*, Conſtant. Acron. S. I. Prof. Log.
Ioan. Benno Bittelmayr, Landishutan. Prof. Iur. extraord.

Nou. Doct. *Georg. Reismiller*, Concion. aulic. Eichſtett. & ad S. Willibald. Can.
Ioan. Keller, Paroch. Hohenridenſ.
Balthaſ. Pittinger, Monacenſ.
Ioan. Adam. Brunner, Paroch. Sieſsbacenſ.
Iacob. Verſchl, Paroch. Deckendorfenſ.
Rathold. Morſtein, Ratholdscellenſ.
Matthias Alt, Paroch. Pfaffenhofenſ.
} *Theol.*
Ioannes Oehen, Lucernas, } *Medic.*
M. Danid Biſchof, Franco, }

Per-

A. 1629. Peracta Academiæ visitatione, de qua superiori anno dictum est, cum DD. Commissarii ad Sereniss. Electorem omnia retulissent, die 12. Iulii huius anni expeditum est clementissimum decretum, quo Sereniſſimus ad singula puncta voluntatem suam manifeste declarat. Ac 1.) quidem, vt omnium dissidiorum, quæ ab aliquot annis ipsos Academiæ Patres colliserant, fontem obstrueret, circa Iurisdictionis academicæ exercitium, ac bonorum temporalium administrationem ordinauit, vt solis *Cameralibus* ea negotia neutiquam relinquerentur, sed in cauſſis grauioribus communicarentur cum toto Senatu academico; in minoribus vero cum Rectore Vniuersitatis & alio quodam e gremio eiusdem Senatus; informationes item ad Sereniſſimum circa stipendiorum auctaria a pleno Academicorum concilio fierent; *Camerales* vero præuie statum cameræ, vt vocamus, seu ærarii academici fideliter explicarent; id quod & alias singulis annis coram eodem pleno senatu præstare tenerentur, expositis etiam accepti expensique rationibus. 2.) Circa officium Procancellarii Vniuersitatis declarauit, illi neutiquam connexam esse Inspectionem Academiæ; sed eius dignitatem ac prærogatiuam præcise terminari in conferenda *Licentia* ad gradus scholasticos. 3.) Mandauit, vt Institutiones Iuris intra biennium absoluantur; materiæ vero Iuris publici (quod specialem Professorem tunc non habebat) pro re nata prælectionibus ac disputationibus immiſceantur. 4.) Vt vsus linguæ latinæ non tantum in lectionibus & disputationibus, sed in ipsa etiam conuersatione Professorum cum studiosis vrgeatur. 5.) Vt circa disciplinam academicam, ac præcipue circa annuam Confessionem & Communionem, circa contracta debita, nocturnas grassationes &c. plus rigoris exerceatur. Continebat decretum alia quædam ad personas particulares pertinentia, quæ recensere hic nihil iuuat.

Facultas theologica habuit præcipuam quamdam hoc anno celebritatem, cum die 24. Octobris septenos vno actu Doctores publice crearet. Erant in his quatuor curiones, vnus Concionator aulicus, reliqui duo Theologiæ studiosi; ex quibus maxime commendandus *Ratholdus Morstenius*, qui eodem adhuc anno, vixdum absoluto Theologiæ cursu, ad Vicariatum Con-

stan-

A. 1629.

ſtantienſem, atque ad Canonici & Proepiſcopi dignitatem promotus eſt. Interfuere illi actui Epiſcoporum Eichſtettenſis & Ratisbonenſis Legati, Abbates Mettenſis & Schyrenſis, Barones ac Comites complures.

Ad Facultatem Iuridicam acceſſit Profeſſor extraordinarius *Ioannes Benno Bittelmarius*, conſtituto eidem pro more 150. florenorum ſtipendio.

Inuenio hoc anno cæptum eſſe apud nos vſum ſubiungendi ſigno ſalutationis Angelicæ alium campanæ pulſum ad excitandam fidelium defunctorum memoriam.

ANNO DOMINI M DC XXX.

A. 1630.

Rect. CCCVII. ANTON. IONAS KILIANSTEIN &c. IV.

Rect. CCCVIII. LEO MENZELIVS &c. XV.

Inſcripti 203.

Nobiles, *Georg. Conrad. a Lerchenfeld.*
Adolph. Georg. Voit a Salzburg, Franco.
Wolfg. Adrian. a Spiringk in Riſweck & Fronberg.
Franc. Erneſt. Lucan a Schrettersthal, Styrius.
Raphael Comes a Tenſno Leſzinski, cum 15. nobil. polon.
Franciſcus / *Georg. Caſp.* } *a Lerchenfeld.*
Claud. Franc. de Hamin, Bruxellenſ.
Ortulph. / *Ioan.* } *a Sandizell*, Edelzhuſani.
Iul. Henric. a Gemmingen, Can. Auguſt. }
Ioan. Chriſtoph. / *Ioan. Otho* } *a Gemmingen*, } fratres.
Ioan. Frideric. Eckher a Käpfing, Paſſauienſ.
Theodor. Carol. Comes in Tornaw, Polon.

Nou. Prof. *Georg. Lyprandus*, Stauffenſ. Sueu. S. I. Prof. Theol.
Ioan. Vallat, Bruntrut. Raurac. S. I. Prof. Log.

A. 1630. Nou. Doct. *M. Melchior Mair*, Ehingan.
M. Franc.. Stebelin, Wangenſ.
M. Ioan. Knauer, Monacenſ.
M. Sebaſtian. Mock, Dilingan. } *Medic.*

Multos ac inſignes hoſpites hoc anno Ingolſtadii excepimus, ad conuentum ſcilicet Electorum proficiſcentes; atque in his Sereniſſimos Colonienſem & Treuirenſem Electores, Epiſcopos Osnabrugenſem FRANC. GVILIELMVM *Wartenbergium*, Eichſtettenſem, Auguſtanum; Comitem *Naſſouium* &c. Solus Treuirenſis ab Academia ſalutatus, ad oſculum manus Profeſſores omnes admiſit, ac perquam familiariter eisdem aliquanti ſper collocutus eſt.

Georgius Lyprandus, cum ſuperioribus annis ſacram linguam publice fuiſſet profeſſus, ad Cathedram theologicam demum aſcendit, pro *Georgio* ſcilicet *Stengelio*, qui piis lucubrationibus perpetuo intentus, ſtudiis inſuper domeſticis in Collegio Patrum Societatis præfectus eſt.

Eodem anno, die 25. Auguſti celebrata eſt dedicatio Sacelli S. Bernardi, quod vna cum adiacente domo ſeu Collegio ad Imperialem Abbatiam Cæſareenſem pertinet. Adfuere ſacræ ſolennitati Patres academici, ad conuiuium poſtea omnes inuitati.

A. 1631.

ANNO DOMINI M DC XXXI.

Rect. CCCIX. IOAN. BENNO BITTELMAYR in Inkhofen, Prof. Iur.

Rect. CCCX. LEO MENZELIVS &c. XVI.

Inſcripti 203.

Nobiles, *Maximil. Hermes Comes a Portia.*
Ioan. Caſimir.
Alexander, } *Naruszewi*, Comites Lithuani, fratres.
Sigism. Frideric.
Ferdinand. Iacob. } *Barones in Salburg*, fratres.
Wolfg.

A. 1631.

Wolfg. Bernard.
Carol. Ferdinand. } *LL. BB. a Muckenthal* in Wahl.
Conrad. Sigismund.
Franc. Piccolomineus Comes Perronæ & Sticciani, Ital.
Christoph. Ratschin a Ratschin, Eques Bohem.
Ioan. Comes Frisiæ Orientalis & Ritbergæ.
Georg. Maximil. Effich, Eques.
Nicol. Gosiensky, Comes de Gosie, Palatin. Smolenscensis.
Ioan. Steph. L. B. a Closen, in Wackerstein & Etling.
Georg. Franc. L. B. de Gumpenberg.
Wolfg. Philipp. a Leonrodt.
Godefrid. Henric. Egloff a Zell.
Georg. Henric. } *a Neuhausen*, Paderborn. Westphal.
Theodoricus
Stephan. } *Plank* a Loiblstorf, Passauiens.
Ioan. Ambros.
Maria Petrus Pallauicinus, Comes Genuens.

Nou. Prof. *Gaspar Wenkius*, Mosburg. Bau. S. I. Prof. Theol.
Nicol. Stratius (van der Strat) Audomarens. S. I. Prof. Log.

Nou. Doct. *Ioan. Samson*, Rierbergens. Westphal. *Medic.*

Cum turbo suecicus iam vicinam Franconiam, aliasque ad Mænum & Rhenum prouincias perflare hoc anno cæpisset, omnis ordinis atque conditionis homines refugium apud nos quæsiuere; passimque quidquid haberent pretiosi, Neoburgo, Eichstadio, Dilinga &c. nostram in vrbem comportarunt. Ipse Celsiss. Præsul Eichstettensis habitationem sibi in Collegio S. Ignatii M. delegit. Sed studiis nostris academicis inde nihil decessit: feruebant enim more consueto disputationes & promotiones fere paulo plus, quam alias; maxime apud Philosophos, qui tres & triginta Artium & Philosophiæ Doctores crearunt.

Ex Theologorum Collegio discessit *Wolfgangus Grauenecckius*, Dilingæ Rector Academiæ & Collegii S. I. futurus; cui *Gaspar Wenkius* Monachio successit. *Grauenecckius* etsi integrum septennium in cursu theologico hic non compleuerit, ob singularia tamen merita honorem Elogii publici in Auditorio Theo-

A. 1631. logorum obtinuit, hoc tenore: *Wolfgangus Grauenegg S. I. Vir non minus a doctrina & ſanctitate, quam præcipuorum Sueuiæ Baronum natalibus clariſſimus, Romæ tyrocinio religioſo poſito, ſtudiisque abſolutis Philoſophiam Friburgi Brisgoiæ, Theologiam vero in Dilingana, tum in hac Academia ſumma cum laude docuit. Exinde belli tempore Collegii & Academiæ Dilinganæ Rector, cum in hoſtium manus deueniens diuturnos carceres paſſus eſſet, Collegium etiam Monacenſe, mox totam Prouinciam per ſex, Oenipontanum poſtea Collegium per plures annos rexit, vbi Sereniſſimis Archiducibus gratiſſima viri opera fuit. His tandem docendi & regendi laboribus, ſimul & vita, quam inter acutiſſimos grauiſſimorum morborum dolores inuicta, ſemperque læta conſtantia ad ſtuporem tolerauit, defunctus eſt Oeniponti 20. Aug. anno 1650.*

ANNO DOMINI M DC XXXII.

A. 1632.

Rect. CCCXI. LEO MENZELIVS &c. XVII.
Rect. CCCXII. ANTON. IONAS KILIANSTEINIVS &c. V.
Inſcripti 31.
Nobiles, *Adam. Erneſt. ab Hagsdorf*, Monacenſ.
Ioan. Franc. } *a Baumgarten*, LL. BB. in Fraunſtein,
Ioan. Wigul. } Malching, Ering &c. fratres.
Nou. Prof. *Chriſtoph. Mendlerus*, Auguſtan. S. I. Prof. Log.

Hoc anno in Bauariam quoque vis belli ſuecici incubuit; inde factum, vt ad ſcholas noſtras pauci accederent noui, & multi easdem omnino relinquerent. Die 3. April. prima noſtros inter conſternatio orta eſt, cum paſſim fugitiui a ſuecico milite Ingolſtadium aduolarent. Auctus eſt timor, cum die 15. eiusdem menſis heros ille incomparabilis *Tillius*, Sueco Lycum tranſituro fortiſſime obſiſtens, tormenti globo dextero in pede vulneratus, atque altero poſt die Ingolſtadium aduectus eſt; quem mox ipſe miles, relicta, quam ad Lycum tenuerat, ſtatione inſequitur, partim in vrbe ipſa, partim in caſtris extra portam Feldkirchenſem diſpoſitus. Die 29. Aprilis admodum mane

A. 1632.

mane aliquot Equitum ſuecicorum turmæ ad ipſam vſque portam Danubianam procurrere viſæ; inde tormentis petitæ, & equeſtria aliquot pugnæ præludia facta ſunt, dum circa decimam noctis horam hoſtis vi ſumma in munitionem ponti Danubiano præſtructam incurrit, ad duas fere horas impreſſione producta. Sed virtute *Beckii*, qui Sulzianam legionem ducebat, ita repulſus eſt, vt non tantum cum ignominia, ſed cum clade etiam trecentorum aut quadringentorum militum recedere ſit coactus.

At nos intra vrbem altera mox die (30. April.) longe maiorem cladem paſſi ſumus in morte glorioſi herois *Ioannis Tſerclai Comitis de Tilly*, qui ſub medium ſeptimæ veſpertinæ in domo Rathiana (vbi hodie Seminarium Xauerianum eſt) ex accepto vulnere obiit. Venerabiles eius exuuiæ ſtanneo cippo incluſæ, poſt triduum quo in funebri thoro iacuerant, expoſitæ, noctu inter lucentes cereos ad Patrum S. I. conditorium ſunt adductæ, vbi depoſitæ ſeruabantur ad annum vſque 1652. quo Oetingam veterem deportatæ ſunt, digniore ibi Mauſolæo condecorandæ.

In idem Collegii S. I. hypogæum illatus eſt *Henricus Marchio de Harencourt*, qui vulneratus in conflictu Norimbergenſi, atque inde Ingolſtadium translatus, die 29. Septembris e viuis exceſſerat, deportandus ſuo tempore in Galliam; quod tunc quidem eius cognati ſtatuerant; qui eo etiam ſine illius cadauer, vt contra æui iniurias duraret, balſamo, ac neſcio quibus aliis vnguentis condiri iuſſerant. Sed cum nullum hactenus factæ translationis veſtigium reperire licuerit, illud ipſum ſine dubio cadauer, quod hodiedum fere integrum in dicto Patrum S. I. conditorio viſitur, Marchionis *Harencourtii* eſt. *Iacobum* quoque *Comitem Fuggerum* eodem in conflictu Norimbergenſi occumbentem Academica Sodalitas in Aede Diuæ Virginis ſplendide ſepeliuit die 11. Septembris.

Reliquam obſidionis Ingolſtadienſis hiſtoriam lubens prætereo, quod ad Academiam ita pertinere non videatur, vt nequidem conſuetas lectiones aut promotiones impedierit. Longe maiorem ipſo bello calamitatem nobis attulere peſtilentes febres, quæ in vrbe graſſabantur, incognitum malum, luem hungaricam nonnulli dixere. Ex ſolo Patrum Societatis

A.
1632. Collegio quatuotdecim infecti confectique hoc anno fuere, atque hos inter *Adamus Tannerus*, clarus antehac apud nos Theologiæ Profeſſor. Hic cum menſe Aprili Ingolſtadio diſceſſiſſet, Suecum ſcilicet ae peſtem effugiturus; & ſecundo Danubio iam Paſſauuium, atque inde flexo itinere Salisburgum tenuiſſet, ſpe valetudinis per patriam auram recuperandæ Tirolim petiturus, in Salisburgenſi quodam pago, *Vnken* dicto, mortem opetiit, hydrope, lethargo, & vt nonnullis videbatur, hungarica febri oppreſſus. Quis *Tannerus* fuerit, ex inſcriptione diſcimus, qua eundem Theologorum noſtrorum Collegium honorauit: *Adamus Tannerus S. I. Oeniponti in Tyroli natus, principum linguarum, eloquentiæ, omniumque ſcientiarum ac hiſtoriæ ſupellectili inſtructus, inter primos ſui temporis Theologos numeratus. Poſt deuictos in Ratisbonenſi Colloquio Prædicantes Lutheranos Cathedram theologicam quindecim annis excoluit. Interim ſcriptis quam plurimis libris Fidei propugnator ſolidiſſimus & prudentiſſimus exiſtit. Matthiæ nutu Viennam euocatus ad illuſtrandam Theologiam, ac Pragam deinde miſſus ad Carolo-Ferdinandeæ Vniuerſitatis ſtudia regenda, vtroque munere egregie defunctus eſt. Inde vero Ingolſtadium iterum reuerſus, Vnkæ prope Salisburgum naturæ conceſſit, anno vitæ* 61. *Chriſti* 1632. *die* 25. *Maii.* Monumenta Patrum Societatis domeſtica commendant *Tannerum* tanquam virum acrem ingenio, profundum & indefeſſum venerandæ antiquitatis perueſtigatorem latine, græce & hebraice doctum; cetera ſerium, nullisque iocis vnquam vel leuiter etiam arridentem; & quod rarum eſt, in ſumma doctrinæ copia modeſtiſſimum. Multa tum latine tum germanice ſcripſit, quæ Bibliotheca Scriptorum S. I. recenſet hoc ordine: *De verbo Dei ſcripto & non ſcripto*, & *de Iudice controuerſiarum fidei*, Monachii 1599. *De bonorum operum neceſſitate, vtilitate & meritis. Relatio compendiaria de initio, proceſſu & fine colloquii Ratisbon. habiti* 1601. *Eadem germanice*, Monach. 1602. *Examen narrationis, quam de colloquio Ratisbon. edidit Aegidius Hunnius Prædicans*, Monach. 1602. *Apologeticus pro compendiaria relatione* &c. Monach. 1603. *De Iuſtificatione contra Hailbrunnerum. Defenſio Eccleſiaſticæ libertatis duobus libris comprehenſa*, Ingolſt. 1607. *Labyrinthus Critico Hunnianus*, Monach. 1612. *Lutherus ſeu Anatomia Confeſſionis Auguſtanæ*, Ingolſt. 1613. *Antichriſtus decem præſcriptionibus proſcriptus*, Ingolſt. 1613. *Antichriſtus*

A. 1632.

chriſtus cum ſono Euangelii in Aethiopia & Sinarum Regno propagatus. Apologia contra Monita priuata Societatis. Apologia pro Societate Ieſu ex Bohemia & Morauia proſcripta anno 1618. *&* 1619. *Amuletum Caſtrenſe — aduerſus bellorum motus ex Bohemico tumultu enatos*, Ingolſt. 1620. *Oratio funebris in laudem D. Alberti Hungeri*, Ingolſt. 1604. *Inauguratio Doctoralis Theologica S. Bennoni ſacra. Aſtrologia ſacra &c.* Ingolſt. 1615. *Diſputationes Theologicæ in omnes Summæ S. Thomæ partes*, Ingolſt. 1618. *Supplementum Diſputationum Theologicarum*, Ibid. 1620. *Diſſertatio Peripathetico Theologica de cælis &c.* Ingolſt. 1621. *Theologia Scholaſtica, ſpeculatiua, practica*, tomis 4. Ingolſt. 1626. & 1627. *Apologeticæ orationes pro Ioanne Trithemio Abbate Spanheimenſi*, Ingolſt. 1630. Atque hæc quidem latine; ſcripſit autem germanice ſequentia: *Hæreticum Lutheraniſmum contra Hailbrunnerum*, Ingolſt. 1600. *Dioptram Fidei de Miſſa & Communione ſub vtraque ſpecie*, Ingolſt. 1617. *Anti-Mylium &c.* Ingolſt. *Inſtructionem de Indulgentiis & Iubilæo. Manuductionem, ſeu decem demonſtrationes pro veritate Eccleſiæ Catholicæ Romanæ.* Ingolſtadii.

Eodem anno, die 7. Iulii diem ſuum apud nos obiit *Adamus Gerickius* Controuerſiarum Fidei primus in noſtra Vniuerſitate Profeſſor. Fuit hic *ex Pruſſia oriundus* (monumentum deſcribo honorandæ *Gerickii* memoriæ in ſchola theologica affixum) *SS. Theologiæ Doctor, & Collegiatæ Eccleſiæ Ratiborienſis in Sileſia Decanus. Ob celebrem doctrinæ & virtutis opinionem a Sereniſſ. Bauariæ Duce euocatus, cathedram controuerſiarum ſeptennio tenuit, iudicio & conſilio magnus, iuſtus, pius. Vicarius poſtea Eichſtettenſis annis tredecim fuit; quod munus cum grauiter, ſanctèque geſſiſſet, rediens Ingolſtadium velut emeritus, nunquam tamen otioſus, ſed doctis lucubrationibus & pietati deditus. Denique in pias cauſas partitus bona, fundata etiam in Patres academicos ſuo anniuerſario præſentes liberali diſtributione, vitam finiit 7. Iulii, anno* 1632. Deliberarunt Patres ſacræ Facultatis, an *Gerickius* in album auditorii theologici inter ceteros defunctos Profeſſores ſit referendus cum inſcriptione parieti inſerta; eoquod octennium docendo non expleuerit, quod tamen ordinarie requiritur, vt in illud album quis referatur. Initis ſuffragiis in eius fauorem lata eſt ſententia, ob eas maxime rationes; quod de Academia bene eſſet meritus; & reſignato Vicariatu Eichſtettenſi ad eandem ſeſe receperit;

atque

A.
1632. atque ſub magiſtratu academico diu deinceps ſuperuixerit. Ipſo hoc anno, cum die 24. Sept. Anniuerſarius Gerickianus in Templo academico primum haberetur, integer Philippæus, immo paulo plus, ſingulis Profeſſoribus pro præſentia obtigit; quin etiam, cum abeſſent quidam, horum portio præſentibus accreuit. Eiusdem *Gerickii* memoriæ erectum proſtat aliud monumentum marmoreum in ædibus ad Parochiam S. Spiritus, ſeu huiatis hoſpitalis pertinentibus, cum ſequenti inſcriptione: *Adamus Gerick Philoſophiæ & SS. Theologiæ Doctor, Reuerendiſſimi ac Illuſtriſſimi Principis Ioan. Chriſtophori Epiſcopi Eyſtett. Conſil. Decanus Ratibor. &c. in Reſtaurationem harum ædium vltra 700. fl. bonæ monetæ expoſuit. Succeſſor ora pro eo, & habitatione recte vtere. Die 23. Aprilis anno* 1626.

Tertium funus Academia extulit e ſaluberrima Medicorum Facultate, *Albertum* ſcilicet *Menzelium* AA. LL. & Medicinæ Doctorem ac per 28. annos Profeſſorem, qui die 9. Iulii e viuis exceſſit, afflatus haud dubie illa peſte, quam curare in aliis ſolertiſſime allaborabat. Fuit *Albertus Philippi Menzelii* filius, *Leonis* frater, Sereniſſ. WOLFGANGI WILHELMI C. P. R. Bau. Iul. Cliu. & Mont. Ducis &c. Medicus cubicularius, vir a prima adoleſcentia ad omnem humanitatem ac virtutem factus. Quam diligens idem fuerit optimarum artium & Medicinæ cultor, libri teſtantur ab ipſo conſcripti, & a *Grienwaldio* in Albo Bau. Iatr. notati: *Concluſiones Medicæ de Phlebotomia*, Reſp. *Thoma Thiermair* Eichſtadiano, Ingolſt. 1608. *Theſes Medicæ de Phtiſi, ſeu Tabe*, 1611. *Diſputatio Medica de Dolore*, 1611. *De Conſuetudine*, 1611. *De Febribus in genere*, 1615. *De Syncope*, 1617. *Diſputatio Miſcellanea ex omnibus fere Medicinæ partibus*, 1618. *De Catarrho*, 1618. *De Viribus Medicamentorum in genere*, 1620. *De Pleuritide*, 1623. *De Dyſenteria*, 1623. *De dolore Colico*, 1623. *De Arthritide*, 1625. *De Aſthmate ſeu Suſpirio*, 1626. *De præcipuo Ventriculi Officio ac Vitio, ſeu Coctione & cruditate*, 1626. *De Hydrope ſeu Aqua Intercute*, 1629. *De Malignis & Peſtilentibus Morbis*, 1629. *Epiſtola Medica de Partu Octimeſtri, an vitali?* exſtat apud Franc. Ign. Thiermair *Schol. & Conſil* L. 2. c. 5. *Epiſtola Medica*, exſtat apud Raimundum Mindererum Aloëdar. Marocoſt. p. 214.

Edi-

A. 1632.

Edidit idem *Carminum Philippi Menzelii Patris Libros IV.* vna cum Epiſtola ſua dedicatoria, Ingolſt. 1596.

Inuenio ad hunc annum a Congregatione academica tricenos, a ciuica vero, quæ ſub titulo Mariæ de Victoria floret, centenos & quinquaginta ſodales intra vrbis noſtræ ambitum ad ſepulturam fuiſſe deductos.

ANNO DOMINI M DC XXXIII.

A. 1633.

Rect. CCCXIII. IOANNES FORNERVS &c. III.

Rect. CCCXIV. Idem IV.

Inſcripti 89.

Nobiles, *Marquard. Pfettner*, Landishutan.
Ioan. Georg. L. B. a Preiſing.

Nou. Prof. *Daniel Feldnerus*, Friburg. Heluet. S. I. Prof. Theol.
Leodegar. Hertenſteinius, Lucernas S. I. Prof. Log.

Nou. Doct. *Ioan. Wilhelm. Mader*, Vberlingan. } *Medic.*
M. Chriſtoph. Perſtl, Friſingenſ. }

Inter bella & mortes, quæ hunc quoque annum funeſtarunt, academicæ nobis ſolennitates non defuere. Ipſe Princeps ac Epiſcopus Eichſtettenſis IOANNES CHRISTOPHORVS, qui Suecis Eichſtadium occupantibus apud nos exulabat, non tantum præſentia ſua actus promotionum ſemel ac iterum illuſtrauit cum toto aulicorum comitatu, ſed & ipſe *Licentiam*, quam vocamus, capeſſendi Doctoratus conferre dignatus eſt; & quidem, cum quatuordecim Artium & Philoſophiæ Magiſtri die 11. Iulii crearentur, geminis cum rhedis in Academiam deſcendit: in priore Princeps ipſe ſedebat cum *Landenbergio* Canonico & Decano philoſophicæ Facultatis, quem Celſiſſimus iuſſerat eundem ſecum currum conſcendere; in altera erant Aulici & Notarius academicus, qui Principem ad actum inuitaturus vna cum Decano ad Conuictum Ignatianum venerat. Sed & alios actus ſacros in templo academico, ipſam etiam Rectoris Magnifici

A. 1633. deductionem ſua præſentia cohoneſtauit; & cum in feſto OO. SS. eius Suffraganeus ritu Pontificali ad aram faceret, oblationem conſuetam cum reliquis Profeſſoribus peregit, aureum deponens nummum.

Funera huius anni eo deſcribam ordine, quo contigerunt. Die 27. Martii, ipſo die Paſchatis obiit *Ioachimus Denichius* Bruxellenſis I. V. Doctor & Profeſſor primarius, die 30. eiusdem honorifice ſepultus. Faſti Sodalitatis academicæ eius pietatem ad aliorum exemplum inſigniter commendant. Reliqua vitæ illius decora Epitaphium complectitur, quod apud D. Virginem Specioſam in Sacello Denichiano, ab eius nomine dicto, legere licet, his verbis expreſſum:

D. O. M. & Poſteritati S.

Ioachimi Denichii, quod mori potuit, heic iacet; famam enim retinet Germania, virtutem cœlum, æternitas memoriam. Iurisconſultus celeberrimus, Maximil. Elect. Bau. & Palat. Neoburg. Ducibus a conſiliis, leges Cæſareas & Pontificias annos XLIII. publice docuit. Mariæ Lagæ piiſſimæ fœminæ maritus, Liberorum XIII. felix Pater. Sacellum hoc ſuis ſumtibus ornatum & Beneficio eccleſiaſtico dotatum, in ſepulturam ſibi ac Poſteris ſuis elegit. Abei tam viator: quod fuit, dixi: quod eſt, eris. Vixit annos LXXIII. mortuus MDCXXXIII. Parenti dulciſſ. Liberi mœſtiſſ. H. M. PP.. Ex eius liberis præcipuam quamdam merentur memoriam *Caſparus*, in hac Vniuerſitate Iurium Profeſſor, & *Sebaſtianus*, Suffraganeus poſtea Ratisbonenſis, de quibus ſuo tempore honorabilis mentio his in Annalibus occurret.

Scripſit *Ioachimus* de omnigeno Iure: vt, *Aſſertiones de Appellationibus; de in integrum Reſtitutionibus, & iis, qui teſtamenta facere poſſunt*, an. 1602. *Centuriam de Pignoribus & Hypothecis*, 1603. *De Noui Operis Nuntiatione, ſeu de Edicto Prætoris*; item *Miſcellanea vtr. Iuris*, 1604. *Concluſiones ex VII. L. Cod. de Sententiis*; item *de Collationibus*, 1612. *De Iure deliberandi*, & *Inuentarii Beneficio*, 1614. *De Appellationum Iure*, 1615.

Elapſo poſt *Denichii* mortem integro menſe, magno Vrbis & Academiæ luctu extinctus eſt *Leo Menzelius* SS. Theol. Doct. S. Script. Prof. Vniuerſitatis Procancellarius & ad D. Mauritium Parochus. Fuit hic *Philippi* noſtri *Menzelii* filius: audita apud nos Philoſophia, receptoque Magiſterii gradu, Theologiam

logiam in Romano Germanorum Collegio didicit, Doctor ex eadem Bononiæ creatus. Anno 1612. *Gerickio* in explicandis fidei controuerſis; anno autem 1619. *Petro Steuartio* ſucceſſit in S. Scripturæ cathedra, in officio Procancellarii & Parochia Mauritiana; quibus ille ampliſſimis muneribus ita præfuit, vt non plus ab iisdem accepiſſe honoris, quam ipſe iisdem dediſſe ſit viſus, vir incomparabili doctrina, prudentia eximia, magnifica grauitate, & quod omnia compendio inuoluit, virtute ſingulari ornatus. Laudum illius & geſtorum ſummam Facultas theologica in auditorio ſuo his verbis deſcripſit: *Leo Menzelius Ingolſtadienſis, SS. Theologiæ Doctor & Profeſſor Biblicus, Procancellarius, Parochus Mauritianus Academiam hanc docendo, diſputandoque ea doctrina, quam laudatus a Cardinale Baronio Roma ex Collegio Germanico attulit, annis viginti illuſtrauit, Rector Academiæ quindecies. Summam auctoritatem cum ſumma ſuauitate coniunxit; exemplo virtutum profuit omnibus; pauperum Pater, Beatiſſimæ Virginis Cultor eximius, Academiæ lumen, Patriæ ornamentum, Speculum Clericorum, cum Mauritianam Eccleſiam e ſqualore magnifice reſtauraſſet, atque ex aſſe hæredem magnarum opum ſcriptam diuitem feciſſet, e viuis exceſſit, maximo ſui deſiderio apud omnes relicto, anno* 1633. Sepultus eſt die 29. Aprilis ad D. Mauritii cum hoc epitaphio æri inſcripto: *Mortale corpus ſub hoc tumulo depoſuit, in ſpe reſurrectionis quieſcens Adm. Reu. Nob. & Magn. D. Leo Menzelius, Theol. Doct. Controu. ac Script. ſacrarum Prof. Procanc. Ser. El. Bau. & Reu. Eyſtett. Princ. Epiſ. conſil. huius Eccleſiæ XV. annis Parochus & Benefactor inter liberaliſſimos munificentiſſimus, nouo non ſolum Eccleſiaſtico Beneficio fundato, ſed & opimæ hæreditatis D. Mauritio ex aſſe hærede ſcripto, cuius anima ſit in benedictione. Obiit XXVIII. Apr. An. MDCXXXIII.* Die 7. Maii celebratus eſt Septimus, vt vocant, exequiarum, ſub quo orationem funebrem habuit *Guilielmus Vblæus* Rhetorices Profeſſor. Offenſi ſunt Patres academici, quod eodem die *Matthias Heinlinus* Cooperator Mauritianus ſermone vernaculo ad concionem diceret. Sexta dein Iunii, cum Triceſimus exequiarum ageretur, perorauit *Oſwaldus Coſcanus* Theologiæ caſuiſticæ Profeſſor, qui laudes defuncti cum præſentium omnium approbatione mirifice deprædicauit. Ex ſcriptis, quæ *Menzelius* in publicum edidit, ſequentes præcipue noui diſputationes: *De Verbo Dei non ſcripto,*

A. 1633.

A.
1633. *siue de Traditionibus:* item *de Indulgentiis*, 1615. *De Baptismo*, 1616. *De SS. Incarnationis Mysterio*, 1617.

Ad occupandum demortui *Menzelii* locum quatuor sese candidati stitere, *Iacobus Verschelius; Matthias Faber* Parochus Nouoforensis in Palatinatu, *Georgius Reismillerus* Concionator aulicus Eichstettensis & *Balthasar Pittingerus.* Senatus academicus Sereniss. Electori *Matthiam* maxime *Fabrum* commendabat; & reliqui etiam competitores huic facile & quasi sponte sua videbantur cedere velle, quod ob editos in lucem publicam tres Concionum Tomos magni esset nominis. Et vero ipse etiam Sereniſſimus *Fabrum* paulo post ad Mauritianam Parochiam nominauit, & in S. Scripturæ cathedram instituit; quare præsentatus ab Abbate Althahensi, cuius hoc ius est, Episcopo Eichstadiano, atque ab huius Vicario in Parochiam introductus eandem administrare mox cæpit. Antequam vero Decretum Electorale de cathedra S. Scripturæ eidem publicaretur, congruum iudicauit Facultas theologica, vt prius gradum Doctoratus publice capesseret. Hic tergiuersari *Faber*, ac demum aperte cæpit petere, vt priuatim Doctor renunciaretur; aut certe vt Licentiato sibi Professoris munere perfungi liceret. Responsum est, posse Licentiatum exemplo quorumdam antecessorum antiquo omnia agere in Academia, velut Doctorem; promotorem vero alterius Doctoris, aut Procancellarium esse non posse. Cum hoc etiam responsum ei satis non placeret, institit priuatum sibi Doctoratum expetere; sed repulsam iterato tulit. Inducias ergo petiit ab autumno huius anni, vsque ad pascha sequentis; tum, quod quidem prætendebat, vt sese ad docendum præpararet, tum vt actus publicus lætior esset tempore lætiori. Graviter tulere Theologi nouam hanc moram, ea maxime de caussa, quod diu nimis vacatura esset S. Scripturæ lectio, & inde merito timenda videretur Sereniſſimi reprehensio. Sed omni eos cura paulo post liberauit ipse *Faber* consilio prorsus inexpectato; die enim 23. Febr. an. 1634. subito aduolat ad Decanum theologicum, & solenniter renunciat cathedræ non minus theologicæ, quam Parochiæ; cupitque hanc suam renunciationem in acta referri.

Respon-

A.

Reſpondet Decanus, non eſſe ſe eum, cui geminum hoc offi- 1633.
cium reſignandum eſſet, ſed illi potius, a quo accepiſſet, Sere-
niſſ. ſcilicet Electori. Sed certus propoſiti *Faber*, deſerta pa-
rochiali domo, ſequenti die tanquam priuatus in conuictu Ig-
natiano habitare cæpit, neglecta ipſius Prælatis Eichſtadiani,
qui in eodem S. Ignatii M. Collegio ſedem fixerat, adhortatio-
ne, ne ſcilicet inconſtantiæ notam aſpergere ſibi vellet. Tan-
dem relicto Ingolſtadio negotiorum ſuorum cauſſa in Auſtriam
abiit, vbi anno 1637. Religionem Societatis Ieſu Viennæ am-
plexus eſt; cumque abſoluto tyrocinio quatuordecim annis de
ſacro ſuggeſtu dixiſſet, die 26. April. an. 1653. Tyrnauiæ obiit.
Scripſit ante ingreſſum in Societatem *Concionum Opus tripartitum,
ſeu in tres Tomos diſtributum*, Ingolſt. 1631. Item *Controuerſias con-
tra Altdorfienſes Profeſſores*. Poſt ingreſſum in Societatem edidit
Auctarium Operis tripartiti Concionum de Tempore & Sanctis, Græcii
in fol. Recuſum eſt Opus tripartitum cum Auctario Antwer-
piæ & Coloniæ.

Vacante per diſceſſum *Fabri* Parochia Reuerendiſſimus
Ordinarius, dum de nouo proſpiceretur Paſtore, Prouiſorem
conſtituit; Facultas vero theologica multa ſolicitudine in con-
quirendo apto Profeſſore diu laborauit. Equidem ſi ordinem
& conſuetudinem antiquam ſpectemus, iam ante *Fabrum* promo-
uendus in hunc locum, velut altiorem in Theologorum nume-
ro, fuiſſet *Ioannes Fornerus* Controu. Fid. Prof. & h. t. Vniuerſita-
tis Rector: ſed certas ob cauſſas, quorumdam conſilio, maluit
tum quidem inter competitores non cenſeri. Scriptum tamen
de illo fuit ad Sereniſſimum, quod ea temporum difficultate ex
præbendis ſuis atque beneficiis, vt vocant, quæ loco ſtipendii
erant, nihil reddituum perciperet, impetratumque, vt a Came-
rario academico trecenti eidem floreni pro hoc tantum caſu
numerarentur.

Die 1. Octobris tumulo illatus eſt *Ioannes a Sandizell*, qui
aliquot diebus ante, cum ad caſtra proficiſceretur, in via a
noſtris, ita acta referunt, ſpoliatus, multisque vulneribus mi-
ſerrime confoſſus huc a ruſticis adductus eſt, vnde nuperrime
diſceſſerat.

A. 1633. Hoc anno, vt multas habuit fortuna belli viciſſitudines, ita ſpes apud nos timorque variabant. Die 25. Octobris Eichſtadium recuperatum eſt; quam nos diem læti, vacantesque a ſcholis transegimus. Die 3. Nouembris in ædibus Magnifici D. Rectoris conſcripti ſunt omnes Academici, qui ad arma ferenda idonei pro vrbis præſidio iudicabantur; id quod pro triſti omine a plerisque accipiebatur.

ANNO DOMINI M DC XXXIV.

A. 1634. Rect. CCCXV. ANTON. IONAS KILIANSTEINIVS &c. VI.

Inſcripti 17.

Nobiles, *Georg. Chriſtoph. Leoprechting* in Elmbach.
Godefrid. ab Adelshofen, Bambergenſ.
Vdalricus Comes ab Oettingen, obiit miles in obſidione Guelfobuterana.
Frideric. Wilhelm. Comes ab Oettingen.
Ioan. Caſp. Freytag a Schönleitten.
Rudolf. Pfettner, Mosburgenſ.

Nou. Prof. *Petrus Braierus*, Rottodimont. Helu. S. I. Prof. Log.

Quam hactenus belli furor imperare non potuit a ſtudiis ceſſationem, hoc anno vis peſtilentiæ indixit. Die 26 Septembris ex totius Senatus academici ſententia otium a lectionibus datum eſt, ſine programmate tamen, ne ſequior inde nota ciuitati adhæreret. Electio quoque Rectoris ob eandem cauſſam diſſimulata; & *Kilianſteinius* anno integro id muneris geſſit. Quando reſumta fuerint ſtudia, ad annum ſequentem indicabitur.

Inteſtino contagionis malo acceſſit geminus in viciniam irrumpens hoſtilis exercitus, *Weimarii* vnus, alter *Hornii*; qui agros noſtros depopulati ſpem ſegetum proximam præciderunt; quodque reliquum hoſtis fecerat, noſtrorum inſequentium aut petulantia, vt ſit in bellis, aut neceſſitas abſtulit. Hoc in æſtu quaſi commeantium vltro citroque exercituum die 12. Auguſti honor nobis obtigit ſalutandi Sereniſſ. Hungariæ Regem FERDI-

NAN-

A.

NANDVM, occupata per deditionem Ratisbona in Rhætos cum numeroso ac lectissimo milite mouentem. Exceptus est in arce ab Academia & solenni formula salutatus per *Burgundium* nostrum, qui & scriptum eidem libellum obtulit. Die altero, qui erat Dominicus, equo albo aduectus ad Templum S. Crucis, sacris ritu pontificio per Praepiscopum Magdeburgensem decantatis cum tota aula interfuit, ac concionatorem suum *Ioannem Ganfium*, diserte perorantem, audiuit. Alium hospitem, quem paulo ante remotum etiam timuimus, intra mœnia nunc præsentem securi spectauimus *Gustauum Hornium* Ducem Suecorum exercitatissimum, post Nördlingensem vero victoriam Sereniſſimi Electoris nostri captiuum. 1634.

Vacante in alterum iam annum S. Scripturæ cathedra, nunc Controuersiarum quoque Fidei lectio cessare cæpit. *Ioannes Fornerus*, cum nescio quas in vexationes incidisset, & ipsius causſa ad ipsum Sereniſſimum esset delata, ab Academia discessit, Facultate sua insalutata. An *Fornerus* vrserit dimissionem, an a Principe volente fuerit dimissus, affirmare non possum. Certe, cum aliquoties ab eadem sua Facultate testimonium publicum expeteret, id illi semper negatum fuisse inuenio.

Die 18. Augusti mortuus est *Ferdinandus Waizeneggerus* Brigantinus, I. V. Doct. & Professor primarius, Sereniſſ. Elect. Bau. Consil. & Præfectus Gerolfingensis. Is, cum inde ab anno 1612. in nostra Vniuersitate esset versatus, dubium moriens reliquit, an maiorem sibi a doctrina, an a virtute famam comparauerit. Singulare prorsus est, quod Acta Sodalitatis academicæ de hoc viro commemorant: *Ferdinandi Waizeneggeri fatum toti huic ciuitati, atque vtinam soli, acciderat admodum luctuosum. Academia quidem orbatam se oculo lamentabatur, Vrbs & ciues iustitiæ patrono, quam is non exactius alios edocuit, quam ipsemet coluit.* Parthenius vero cœtus noster insignem B. V. clientem, pauperes benigniſſimum parentem sibi ereptum condolebant. Certe quoties is per afflictum hocce biennium prandit cœnauitque, toties suæ mensæ hospites adhibuit vel Religiosos, vel Clericos, vel alios ab hoste pulsos victuque destitutos: ceterorum vero pauperum turbam non exiguam in singulos dies aluit, excogitato ad id pio quodam stratagemate, quo domesticos de hoc suo

erga

A.
1634. erga pauperes iuuandos ſtudio celaret. Addunt deinde alia quædam magis particularia, quæ vnumquemque facile conuincant, fuiſſe *Waizeneggerum* noſtrum virum pietatis teneræ ac Religionis antiquæ cultorem ſummum. His conſentit, quod in Templo Mauritiano exſtat, eius epitaphium: *Hic aræ ſubſcriptus D. Ferdin. Waizenegger in ſuperos ſemper pius, in pauperes ſemper liberalis, in arte Iuris ſemper exactus, in cauſſis Iuſtitiæ ſemper integer, in omnibus vere Germanus quieſcit. Tu vt ſimiliter requieſcas, eius veſtigia ſequere, & memorare nouiſſima.* Easdem *Waizeneggeri* virtutes oratione funebri commendauit *Guilielmus Vhlæus* Meittinganus Rhetorices Profeſſor.

De eius doctrina ac multiplici eruditione luculentum nobis præbent teſtimonium ſcripta typis publicis edita; ac primo quidem Diſſertationes iuridicæ *de Seruitutibus, de Venatione, de Aucupio, de Piſcatione, de Maleficio & proceſſu aduerſus veneficos inſtituendo*, quas omnes *Caſparus Denichius* multum dilaudat; deinde Commentationes *de Origine Iuris & Formis Reipublicæ, ac variis Monarchiis, de Imperio & Imperatore; Quæſtiones* item *Monetariæ*, quas *Caſparus Manzius* anno 1665. edidit, adiecta præfatione.

In defuncti *Waizeneggeri* locum tanquam Profeſſor Iuris extraordinarius ſubſtitui petiit *Fridericus Ininger;* verum Sereniſſ. Elector petita a Senatoribus Vniuerſitatis informatione, præproperam eſſe hanc illius promotionem reſcripſit.

Peſtifera lue eodem anno, die 10. Nouembris ſublatus eſt *Marquardus Menzelius, Alberti* F. *Philippi* N. Medicinæ ſtudioſus, quem non ideo tantum præterire ſilentio non potui, quod omnium *Menzeliorum* Ingolſtadienſibus iucunda ſit memoria; ſed multo magis, quod ipſe fuerit Iuuenis ſummæ ſpei, & ob morum grauitatem ac modeſtiam omnibus carus. Demiſſionis chriſtianæ pulchrum ſpecimen ſub vitæ finem exhibuit; ſcilicet iam morti vicinior factus petiit e lecto in terram demitti, cauſſam ſubdens, Chriſtum Seruatorem nonniſi ſuper duro ligno animam exhalaſſe; nec proinde ſibi fas eſſe plumis incumbentem mori.

AN-

ANNO DOMINI MDCXXXV. A. 1635.

Rect. CCCXVI. NICOLAVS BVRGVNDIVS, Prof. Iur.

Rect. CCCXVII. ANTON. IONAS KILIANSTEINIVS &c. VII.

Inſcripti 104.

Nobiles, *Philipp. Henric. a Pappenheim* &c.
Ioan. Eitelius a Knöringen.
Georg. Ludouic. a Razenried.
Theodat. Thanner a Thann, Monacenſ.
Wunibald. a Leuchſelring, Cellenſ.
Ferdinand. Adam. Helmperger de & in Mosdorf.
Guilielm. Rupert. Fyll.
Ludouic. Franc. Rechlinger a Golnſtein, Salisburg.
Octauian. Langenmantl, Auguſtan.
Ioan. Chriſtoph. a Freyberg & Eiſenberg, Can. Auguſt.
Albert. Erneſt. a Freyberg, prioris frater.
Franc. Maurit. L. B. de Sprinzenſtein, Auſtriac.

Nou. Prof. *Ioan. Biſſelius*, Babenhuſan. Sueu. S. I. Prof. Ethic.
Maximil. Lerchenfeld, Monacenſ. Bau. S. I. Prof. Log.
Iacob. Balde, Enſishemienſ. Alſat. S. I. Prof. Rhet.

Nou. Doct. *Iacob. Pirchinger*, Monacenſ. } *Medic.*
Wolfg. Hœuerus, Friſing. Prof. fil. }

Quæ inde a menſe Septembri intermiſſa fuerant ſtudia literarum, ad initium Februarii h. a. inſtaurata ſunt, remittente ſcilicet peſtilentia. Cantatum eo die Officium de S. Spiritu in Templo academico, vt fieri alias in renouatione ſtudiorum conſueuit.

Facultas theologica, dum gnauiter circumſpicit de nouo Collega in locum *Ioannis Forneri* ſubſtituendo, virum idoneum nanciſci diu non potuit, qui Profeſſoris munus acceptaret, eoquod nihil fere eſſet recepturus ex redditibus Canonicatus Eichſtettenſis, quippe agris hoc belli tempore aut deuaſtatis, aut omnino deſertis. Contigit vero eo ipſo tempore vacare parochialem Eccleſiam Virginis Specioſæ: captum igitur conſilium a Senatu academico (conſentiente etiam Reuerendiſſ. Ordina-

A.
1635. rio, prius admodum inuito) vt qui Parochus, idem & Profeſſor eſſet, commodioris ſcilicet ſuſtentationis cauſſa. Et vero obtulit ſe mox *Ioannes Kellerus* Parochus Hohenriedenſis, qui & ab Academia commendatus Sereniſſ. Electori, pro Parocho præſentatus, ac pro Theologiæ Profeſſore receptus eſt. Nec deerat iam aliud, niſi vt conſtans perſeueraret in propoſito: ſed ille mutato conſilio, ſcriptis ad Decanum theologicum literis renunciauit acceptatæ paulo ante conditioni, cauſſatus ſe miſſionem e ſua Diœceſi (Auguſtana) a Vicario Generali obtinere non poſſe.

Pro Mauritiana Parochia, quæ & ipſa adhucdum vacabat, per patronos quosdam Facultati theologicæ ſeſe inſinuauit *Oſwaldus a Zimmern* Wellhaimenſis, ad S. Mauritium Auguſtæ Vindelicorum Canonicus, atque in eadem Auguſtana Diœceſi iam per aliquot annos Pœnitentiarius & Viſitator. Hunc virum tanto impenſius Facultas ſacra Senatui academico, atque is Sereniſſ. Electori commendauit, quod in noſtra Vniuerſitate ſtipendio theol. Gewoldiano nutritus, ſpes de ſe maximas ſemper præbuerit. Et vero tantum valuit ea commendatio, vt diploma Nominationis, vt vocant, ad dictam Parochiam mox obtineret. Plura annus ſequens dabit.

Ioannes Benno Bittelmarius primum extraordinarius, ab anno 1632. ordinarius Iuris Profeſſor die 2. Ianuarii h. a. Straubingam abiit, Conſiliarius Electoralis ibidem Regiminis futurus.

Die 26. Nouembris Medicinæ Doctor publice creatus eſt a ſuo parente *Wolfgangus Hœuerus*; qua in promotione illud notatu dignum accidit, quod cum *Hœuerus* parens ipſe vellet alterum filii ſui examinatorem agere (mortuo enim *Alberto Menzelio* nonniſi duos habebamus Medicinæ Profeſſores, *Kilianſteinium* & *Hœuerum*) & plura aliarum Academiarum exempla afferret, in quibus parentes ad filiorum examen fuiſſent admiſſi, reſponſum ſit a toto fere Senatu, rem carere hic quidem exemplo; ac proinde vtriusque famæ, tam patris ſcilicet quam filii magis conſultum iri, ſi aliunde vocaretur, qui candidatum probaret; & pater examini ne per modum quidem auditoris vel arbitri intereſſet; cui reſponſo ille adquieuit.

Ex

A. 1635.

Ex Profeſſoribus academicis vnum hoc anno amiſimus *Chriſtianum Baumannium* Ethices Profeſſorem, die 6. Maii ex apoplexia mortuum, anno ætatis ſeptimo & quadrageſimo. Erat hic patria Wolmentingenſis Acronianus (non Friburgenſis, vt ſupra per errorem notatum eſt) vir ſummi ingenii & in omni genere literaturæ verſatiſſimus. Philoſophiam moralem apud nos octennio integro explicauit; intra quod tempus Commentarios in vniuerſam Ariſtotelis Philoſophiam elaborauit, in lucem mox edendos, ſi vita ſuperſuiſſet. Succeſſorem habuit *Ioannem Biſſelium* Babenhuſanum Sueuum, editis compluribus libris clarum; quorum nonnullos ligata oratione ſcripſit, vt *Vernalia ſeu de laudibus veris*, Monach. 1640. *Delicias æſtatis*, ibid. 1644. *Clientem Marianum*, ibid. 1644. *Antiquitatum Angelicarum Tubam Iambicam*, *Geſtorum Veteris & Noui Teſtamenti*, Amberg. 1669. alios ſoluta, ſcilicet *Icariam* &c. Ingolſt. 1636. *Phœnicem ſeu Concionem funebrem in obitu Sereniſſ. Duc. Bau. Franciſci Caroli*, Monach. 1640. *Argonauticon* &c. ex Hiſpanico, Monach. 1647. *Exempla tragica* &c. Diling. 1652. *Illuſtrium Ruinarum Decades IV.* Amberg. & Diling. 1656. — 1664. *Palæſtinæ Topotheſiam* &c. Amberg. 1659. *Reip. Rom. veteris ortum & interitum*, Diling. 1664. *Digitum Dei humana corda tangentem per doctrinas & exempla*, Diling. 1666. *Syluicaſtrium ſeu Aureum Equitem & Palmam Boicam*, edidit tacito ſuo nomine.

ANNO DOMINI M DC XXXVI.

A. 1636.

Rect. CCCXVIII. ANTON. IONAS KILIANSTEIN &c. VIII.

Rect. CCCXIX. IOAN. OSWALDVS A ZIMMERN, SS. Theol. Doct. & I. V. Licentiatus, S. Script. Prof. & Paroch. Maurit.

Inſcripti 123.

Nobiles, *Ioan. Albert. a Cloſen*, Baro in Arnſtorf & Gern, Can. Ratisbon. & Eichſtett.

Georg. Maximil. a Lindelo, Baro in Wiſſent & Fraunberg.

A. 1636.

Ioan. Ignat. ab Aham, Wildenauenſ.
Georg. Ferd. a Riedheim.
Adam. Franzin a Mareid, Tirolenſ.
Ioan. Rudolf. Geeböck ab Arnbach, Can. Friſing. Epiſcopi Friſingenſis ex fratre nepos.
Guilielm. Geböck, prioris frater.
Franc. a Freyberg de Eiſenberg in Wellendingen.
Hieron. Franc.
Nicolaus
Henric. Ludouic.
Ioan. Franc. } *LL. BB de Welden* in Laubheim & Hochholdingen.
Ioan. Guilielm. de Eſt, Wallerſteinenſ.
Ioan Iacob. Kellner a Zinnendorf, Günzburgenſ.
Bernard. S. R. I. Comes de Martiniz, Bohem.
Adam. Ludouic. Kail de Sternburg, Bohem.
Chriſtoph. Korzensky de Tereſchau, Eques Bohem.
Carolus Centurionus, Comes Genuenſ.
Albert. Guilielm.
Frideric. Erneſt. } *Löſch* ab & in Hilgertshauſen.
Ioan. Franc. Hörwart ab Hohenburg.
Ioan. Frideric. Ochſenbach, Tubingenſ.
Bartholom. Franzin, Tirolenſ.
Ioan Ludouic.
Chriſtoph. Alwigus } *Comites de Sulz*, Landgrauii in Kletgau.
Georg. Sigism. a Waldkirch.
Ioannes
Ioan. Euſeb. } *Fuggeri* Comites de Kirchberg.
Franc. Nicol. a Königsfeld in vtroque Aubach.
Ioan. Chriſtoph. Baro de Preyſing in Hohenaſchau.
Ioan. Bapt.
Carol. Leopold. } *LL. BB. Caſtri Barci*, Greſte, Cimorni & Garnigæ &c.
Ioan. Franc.
Carolus } *Fieger* ab Hirſperg, Tirol. fratres.

Nou. Prof. *Ioannes Oſwaldus a Zimmern*, Wellhaimenſ. Prof. S. Script. &c.
Simon. Felix, Monacenſ. Bau. S. I. Prof. Theol.

Guilielm.

A.

Guilielm. Ludouic. Benz, Alſata, SS. Theol. Doct. Prof. 1636.
Contr. Fid. & Parochus ad Virg. Specioſ.
Chriſtoph. Beſoldus, Tubingenſ. I. V. D. Prof. Cod. & Iur. Publ.
Caſpar. Manzius, Gundelfingan. I. V. D. Prof. Inſtit. Imp.
Ernricus Pirrhingus, Sighardingenſ. S. I. Prof. Log.

Nou. Doct. *Wilhelm. Ludouic. Benz*, vt ſupra. } *Theol.*
Iacobus Miſſel, } *Theol.*
Ioannes Geisler, } *Theol.*

Tandem poſt trium fere annorum interuallum Mauritianæ Parochiæ & Cathedræ S. Scripturæ prouiſum eſt. Menſe Februario h. a. *Oſwaldus a Zimmern* præſentatus eſt ad dictam Parochiam ab Abbate inferioris Altahæ, poſtquam literis quibusdam *reuerſalibus*, vt vocant, ſubſcripſerat; quæ, quales fuerint, eruere ex actis non potui. Die 2. Martii in ipſam Parochiæ poſſeſſionem introductus eſt per *Ioannem Schelle* Colleg. Georg. Regentem, a Vicario Eichſtettenſi ad id muneris delegatum. Die 25. Aprilis Decreto Electorali S. Scripturæ Profeſſor; Calendis autem Auguſti Vniuerſitatis Procancellarius deſignatus, & die 4. Septembris, lectis in pleno Concilio Celſiſſ. Principis & Epiſcopi Eichſtettenſ. literis publicatus & acceptatus eſt. Fuit hoc munus inde ab obitu *Leonis Menzelii* fere ambulatorium, & pro quolibet actu, quo Licentia conferenda erat, modo huic modo illi deferebatur. Ipſe etiam *Kilianſteinius* anno ſuperiori, cum Facultas philoſophica Magiſtros crearet; & hoc primum anno Iurium Profeſſor *Burgundius*, cum duo Candidati ex Iure Licentiam peterent, Procancellarii officio functi ſunt. Nouum hoc quidem & inſolitum quibusdam videbatur; ſed cum Academiæ clericalium communitatum iuribus gauderent, & ſinguli etiam Scholares, ac multo magis Profeſſores non coniugati paſſim Clericorum nomine venirent, quid dubitemus *Kilianſteinium* agere Procancellarium potuiſſe, cum toties Rectoratum geſſerit, qui & ipſe Clericis tantum deferebatur. Vixerat autem *Kilianſteinius* ſemper cœlebs; & *Burgundius*, quando Procancellarii partes ſupplebat, mortua paulo ante vxore, viduus erat.

A. 1636

Pro Cathedra Theologiæ polemicæ & Parochia academica gemini eodem die (17. April.) candidati comparuere, mane *Georgius Reismillerus* Concionator aulicus Eichſtadii, & Canonicus ad S. Willibaldi, iam SS. Theologiæ Doctor; a prandio per literas *Guilielmus Ludouicus Benzius* Alſata, nullo adhuc gradu inſignis. Hunc & Romani, apud quos Theologiam didicerat, & Conſtantienſes quidam Facultati theologicæ ſummopere commendabant. Diſtulit itaque Magnificus D. Rector petitionem *Reismilleri* ad Senatum referre, dum competitor *Benzius* adeſſet; qui cum fauere ſibi Collegii theologici Patres intelligeret, Ingolſtadium celeriter aduolauit, philoſophicos, theologicosque gradus ſuſcepturus; quibus etiam omnibus, rite prius examinatus, ex ordine intra aliquot menſes inſignitus fuit. Cum apud Facultatem theologicam quæſtio incideret, an circa Magiſterium philoſophicum in his temporum difficultatibus & anguſtiis diſpenſandam non eſſet, concluſum eſt, nullo id modo faciendum, ne mali exempli occaſio poſteris præberetur. *Benzius* itaque Philoſophiæ & Theologiæ iam Doctor, cum Patribus academicis in quadrimeſtri ſua commoratione ita ſe probaſſet, vt communi totius Senatus nomine eum per literas Sereniſſimo Electori commendarent, menſe Septembri ad Parochiam academicam & lectionem Controuerſiarum Fidei ſuſceptus, die 4. Nouembris ſolenne, quod vocamus, principium habuit, argumento hoc pulcherrimo ſuæ orationi præfixo: *An plus vtilitatis literarium bellum diſcordesque animi, an pax & quies literaria Reipublicæ chriſtianæ parturiat?*

Venit eodem anno ad theologicam Facultatem *Simon Felix*, patria Monacenſis, Theologiam explicaturus pro *Daniele Feldnero*, qui Conſtantiam abiit, Principi ibidem Epiſcopo a ſacris confeſſionibus futurus.

Conſtituta hunc in modum Theologia in redintegrando quoque Iuriſconſultorum Collegio laboratum eſt. Duæ vacabant Iuris cathedræ inde ab obitu *Ioachimi Denichii* & *Ferdinandi Waizeneggeri*, Codicis ſcilicet & Inſtitutionum: vtrique feliciter hoc anno prouiſum eſt. *Chriſtophorus Beſoldus* Tubingenſis, I. V. Doctor, & in Tubingenſi Academia Profeſſor, ſcriptis iam tum pluribus libris clarus, cum meditatum diu ante mutandæ

dæ religionis consilium tandem executioni dedisset, inuitatus licet ad Cæsaris curiam, atque ad pontificiam, quæ Bononiæ in Italia floret, Vniuersitatem, maluit ad boicam hanc nostram Academiam accedere, & quæ Tubingæ reliquerat, studia Iuris resumere, Professor Codicis & Iuris publici a MAXIMILIANO Electore constitutus, stipendio septingentorum florenorum eidem assignato. Ad alteram, Institutionum scilicet Imperialium cathedram eodem hoc anno vocatus est *Casparus Manzius* Gundelfinganus, iam ante in Academia Dilingana earundem Institutionum Professor, vir præclaræ eruditionis, quod edita ex omni iure volumina abunde testantur, quodque magis ex sequentium deinceps quadraginta annorum historia patebit. *Arnoldo Rathio* Digestoram lectio demandata est; postquam scilicet *Valentinus Schmidius* ad Cancellarii munus Burghusium abiit. Scripsit *Schmidius de Locationis, Conductionis & Emphiteuseos Contractibus*, an. 1626. *De Donationibus; Ex Materia Subhastationum*; item *De Continentia Caussarum*, an. 1628. &c. A. 1636.

Philosophia quoque nouum Professorem accepit, virum singularem, qui nuper admodum, an. 1628. absolutis apud nos Philosophia ac Iuribus Religioni S. I. se adiunxerat; *Ernricum a Pirrhing* intelligo, nobilem Bauarum, qui pluribus postea lucubrationibus Ius Canonicum illustrauit. Inter studiosos vero Philosophiæ eminuere, inprimis *Ioannes Wigulæus a Baumgarten*, qui mense Iunio ex vniuersa Philosophia suas theses cum ingenti applausu propugnauit; deinde *Bartholomæus Holzhauserus* Wertinganus, Instituti postea Clericorum secularium in commune viuentium fundator; qui cum candidatos inter Magisterii censeri vellet, nec præstare tamen sumtus necessarios posset, loco pecuniarum suam operam in Sacello S. Catharinæ (sacerdos scilicet olim futurus) Facultati philosophicæ deuouit.

Comes *Kheuenhillerus*, historiam FERDINANDI II. Cæsaris scripturus, petiit eodem anno subsidia ex monumentis nostræ Vniuersitatis, in qua ille magnam iuuentutis suæ partem, integrum scilicet quinquennium egerat. Commisit Senatus academicus id negotii *Oswaldo Coscano;* qui ex antiquis commentariis & relationibus hominum fide dignorum, ac memorato

Prin-

A. 1636. Principi coæuorum de ſtudiis ac virtutibus FERDINANDI memorabilia multa collegit; quæ lecta prius a Patribus academicis & approbata ad *Kheuenhillerum* transmiſſa ſunt.

ANNO DOMINI M DC XXXVII.

A. 1637.

Rect. CCCXX. CASPARVS MANZIVS, I. V. Doct. & Prof. Inſtit.

Rect. CCCXXI. GVIL. LVDOVIC. BENZIVS, SS Theol. Doct. Can. Eichſtett. & Controu. Fid. Prof.

Inſcripti 189.

Nobiles, *Ferdinand. Prigel* ab Aichenau, Viennenſ.
Sigism. Ioſeph. Soldan, Styrius.
Ioan. Georg. Illſung, Auguſtan.
Franc. Ignat. Ioan. } *Comites a Rosdroschoff* in Blattna &
Ferdinand. Wencesl. } Pomsdorf, Bohemi.
Ioan. Frideric. Comes a Trautmansdorf.
Georg. a Plettenberg.
Adauct. Franc. Ignat. Genſcheck de Vgezo, Eques Bohem.
Ferdinand. Geiſt a Wildeck.
Ioan. Sigism. a Kiebach, Tirol.
Erneſt. Frideric. } *a Pflaumern.*
Peregrinus }
Ioan. Dominic. Comes de Wolkenſtein & Trosburg.
Ioan. Sebaſt. Schazl Baro ab & in Hærmansberg.
Ioan. Albert. Baro ab vtroque Fraunhofen.
Franc. Aloyſ. ab Aham.
Georg. Sigism. Baro de Tannberg in Aurolzmünſter, *recognou.*
Stanislaus } *Comites a Dönhof*, Palatinidæ Siradinenſ. fra-
Sigismund. } tres, ille Capitaneus, hic Aulicus intimus.
Ioan. Caſp. Peuerel, Lincenſ.
Georg. Conſtantin. Grundeman a Falkenberg, Lincenſ.
Ioan. Guilielm. ab Haimhauſen.
Philipp. de Roy, Vltraiectenſ. Holland.
Nicol. de Arimont, Luneburg.

Wolfg.

A.

Wolfg. Wilhelm. } *Barones a Spirink* & Zenuar, Domi- 1637.
Wolfg. Franc. } ni in Fronberg.
Ioan. Albert. a Muckenthal.
Marc. Chriſtoph. } *a Schönbrun.*
Vit. Rudolph. }
Ioan. Georg. Gobelius, Monacenſ.
Ioan. Chriſtoph. Mändl, Monacenſ.
Ioan. Franc. a Sirgenſtein.
Hieron. Franc. } *a Spilberg.*
Ioan. Erneſt. }
Ioan. Anton. } *de Gall.*
Ioan. Michael }
Ioan. Chriſtoph. Eckſtein ab Ehrenegg & Hartmanſtraff.
Euſtach. Adam. } *Sluska*, Palat. Nouogrod. Aulic. Cubi-
Boguslaus Georg. } cul. Reg. Polon. cum 5. nobil. Pol.
Ioan. Eitelius } *Genger*, Halenſ.
Chriſtoph. Ignat. }
Ioan. Adam. Eder a Kainpach, Græcenſ.

Nou. Prof. *Petrus Bruierus*, Rotundimont. Heluet. S. I. Prof. Theol.
Iacob. Irſingus, Markdorfenſ. Sueu. S. I. Prof. Ethic.
Eſaias Molitor, Conſtantienſ. Acron. S. I. Prof. Log.

Nou. Doct. *Andreas Haigell*, Sarchingenſ. Bau. *Medic.*

Menſe Februario huius anni non Academiam tantum noſtram, ſed omnem late Germaniam grauiſſimo luctu impleuit mors FERDINANDI II. Cæſaris, quæ die 15. dicti menſis Viennæ contigit. Summi huius Imperatoris virtutes *Wilhelmus Lamormainius* deſcripſit. Nos de iuuentute apud nos acta ad an. 1595. ea fere retulimus, quæ pertinere ad hanc Vniuerſitatem ex eius vitæ hiſtoria maxime videbantur. Piis demortui manibus die 29. Martii in Templo academico parentauimus, perorante de Auguſtiſſimi laudibus *Oſwaldo a Zimmern*, tunc temporis Rectore.

Nouum Academiæ funus, illudque haud paulo luctuoſius Eichſtettenſes menſe Iulio indixere: IOANNES CHRISTOPHORVS (*a Weſterſtetten*) per annos 25. Eccleſiæ Eichſtadianæ Epiſcopus, & Vniuerſitatis noſtræ Cancellarius die 28. eiusdem men-

A. 1637. ſis obiit, cum Epiſcopatu ſeſe ſuperiori anno abdicaſſet. Huius Principis ac Epiſcopi virtutes, quas Annales Eichſtadiani prolixe celebrant, nos illo maxime triennio, quo ob ſuecicam irruptionem a ſua ſede profugus Ingolſtadii commoratus eſt, admirati ſumus, præcipue ſingularem eius erga omnes comitatem, literarum ac literatorum amorem & religioſam pietatem. Cum alias ſæpius ad ludos noſtros theatrales excurriſſet, liberalitate magnifica prorſus & Principe digna Actores noſtros donauit. Fundauit is ipſe dotauitque Gymnaſium academicum Eichſtettenſe; cum enim demortuo *Roberto Turnero* ſtudia Seminarii Willibaldini intercidiſſent, IOANNES CHRISTOPHORVS vocatis in ſubſidium Patribus Societatis omnem ſcholarum curam commiſit. Huic igitur Cancellario noſtro meritiſſimo ac Principi æterna memoria digno exequias parauimus in Templo academico, die 11. Auguſti, orationem funebrem iterum adornante Vniuerſitatis noſtræ Procancellario.

Addamus his tertium funus domeſticum, *Oſwaldi* ſcilicet *Coſcani* S. I. SS. Theologiæ Doctoris & Caſuum Conſcientiæ Profeſſoris. Is Geiſenfeldam, pro more ſuo, in ſpirituale ciuium illorum ſolatium excurrens, dum ad eos pro concione dicere occipiebat, intercepta ſubito voce, hemiplexia tactus, cum luctu in vrbem reductus eſt; vbi intra quatuordecim dierum ſpatium ex inedia maxime, cum vſu deglutiendi deſtitutus eſſet, vitam poſuit die 18. Ianuarii, anno ætatis ſexto ſupra quinquageſimum. Eius viri in Academiam merita ac vitæ literariæ hiſtoriam Facultas theologica hac inſcriptione in ſuo auditorio complexa eſt: *Oſwaldus Coſcanus S. I. Hala Tyrolis oriundus, politioris literaturæ apprime peritus, Philoſophiam primo Dilingæ, deinde Ingolſtadii profeſſus, reliquam ætatem annorum prope ſedecim in morali Theologia inſigni cum laude & fructu Auditorum conſumſit; nodos conſcientiæ vndique ad ſe delatos magna dexteritate diſſoluit, pauperum ſtudioſorum Pater, omnibus ob ſingularem humanitatem ac morum ſuauitatem percharus, dum ptis laboribus alienæ ſalutis cauſſa ſuſceptis inſudat, hemiplexia tactus poſt duas hebdomadas placide ac pie deceſſit* 18. *Ian. anno* 1637. Scripſit opſculum *de Conſcientia tractanda.* Ad cathedram Theologiæ Caſuiſticæ poſt *Coſcanum* translatus eſt *Si-*

mon

mon Felix, hactenus Theologiæ ſcholaſticæ Profeſſor; huic abſoluto curſu philoſophico ſucceſſit *Petrus Braierus*. A. 1637.

Ex noſtris Philoſophiæ ſtudioſis memorabilis eſt *Tobias Lohner*, Neoöttinganus Bauarus, Ieſuitarum ordini hoc anno adſcriptus, vtiliſſimorum poſtea ad Theologiam liturgicam atque paſtoralem librorum auctor.

ANNO DOMINI M DC XXVIII. A. 1638.

Rect. CCCXXII. IOAN. OSWALD. A ZIMMERN &c. II.

Rect. CCCXXIII. CASPARVS MANZIVS &c. II.

Inſcripti 125.

Nobiles, *Franc. Otislaus de Kopöniza*, Sileſius.
Ioan. Victor L. B. ab & in veteri Fraunberg, S. R. I. Eques hæreditar.
Ioan. Paul. } *a Kaiſerſtein*, Viennenſ.
Ioan. Franc. }
Ioan. Dauid Vetſcher, Styrus.
Ferdinand. Seida, Günzburg.
Wolfg. Chriſtoph. Pruns, Viennenſ.
Georg. Ludouic. Lindenſpür, Stutgardian.
Mich. Raphael Schmuzen a Poyſtorf, Viennenſ.
Auguſtin. de la Pedroſa, Madritenſ.
Ioan. Carol. } *Khemeter*, Carinthiæ Prouinciales.
Ioan. Bernard. }
Leopoldus } *LL. BB. a Thirhaim.*
Franc. Leopold. }
Wolfg. Chriſtoph. Walch a Pfafſtetten.
Philipp. de Hertgoſche a Frannois, Bruxellenſ.
Ioan. Ludouic. Pilbis de Sigenburg &c.
Franciſcus } *Dobraczynsky*, Equites polon. cum 3. aliis
Stanislaus } nobil. Polon.
Ioan. Franc. a Kriechpaum in Kirchberg, Styrus.

A. 1638.

Chriſtoph. Benno } *Eiſenreich.*
Georgius }
Ioan. Coſmas de Coſmis, Trident.
Stanisl. Martin. } *Comites de Dembrowica Firley* Reg.
Georg. Wilhelm. } Polon. Cubicularii.
Ludouic. Branicki, cum 4. aliis nobil. Pol.

Nou. Prof. *Franc. Rechlinger*, Auguſtan. S. I. Prof. Log.
Iacob. Ftua, Friburg. Heluet. S. I. Prof. Mathef.
Ioan. Horſtius, Huſſenſ. Belga, S. I. Prof. Metaphyſ.

Nou. Doct. *M. Chriſtoph. Abentheurer*, Friſing.
M. Mich. Raph. Schmuzen a Poyſtorf, Viennenſ. poſtea Phyſicus & Aulæ Medicus Neoburgi ad Iſtrum. } *Medic.*

Die 9. Ianuarii h. a. quatuor e noſtris Profeſſoribus publica auctoritate Eichſtadium miſſi ſunt, qui intereſſent conſecrationi Reuerendiſſ. & Celſiſſ. Principis MARQVARDI (e familia *Schenkiorum a Caſtell*) Epiſcopi & Vniuerſitatis noſtræ Cancellarii perpetui, eidemque communi nomine gratularentur. Ipſe Princeps inuitarat & fere nominatim deſignarat, quos eo in negotio ad ſe miſſos vellet; Procancellarium ſcilicet Vniuerſitatis, Camerarium, *Arnoldum Rathium*, & vnum Theologum e Patribus Societatis, qui fuit *Simon Felix*. Rectorem Magnificum nolebat venire, ne qua lis de præcedentia enaſceretur. Illi igitur quatuor, quos dixi, pridie conſecrationis Eichſtadium profecti, Principis voluntate in ipſa arce diuerterunt: locum in itu & acubitu tenuerunt poſt Canonicos Cathedrales; Profeſſoribus tamen Iuris intermixtus eſt Cancellarius Eichſtettenſis, vt olim conuentum, cedens Decano Theologiæ. Poſtridie conſecrationis in cubiculum Principis admiſſi oratiuncula latina gratulati ſunt; reſpondit ipſe Princeps latine, ſatis prolixe & humaniter, omnem fauorem & gratiam Academiæ pollicitus. Tertio ſubin die confirmato prius in ſuo munere Procancellario, omnes amice ſalutatos a ſe dimiſit.

His vixdum Eichſtadii peractis, die 13. Ian. res apud nos contigit inſolita, & terroris, vt credulæ quidem plebi videbatur, plena. Habebant Auguſtiniani huiates domeſtico in famulitio adoleſcen-

A.
1638.

leſcentem quemdam neocorum, qui, cum prope ædiculam ſacram, quam Schutteranam dicunt, de nocte quieſceret, e ſomno ſe euocatum prædicabat ad ſtatuam Diuæ Virginis ibi aſſeruatam, vidiſſeque ex illius oculis ſanguineas prorumpere lacrymas, & ex ore percepiſſe verba, quibus ingentia denunciarentur mala patriæ imminentia, ni certis precibus (Letanias nominatim deſignabat, in quartam vſque hebdomadem decantandas) auerterentur. Re enulgata magni in vrbe motus, variique ſermones percrebuerunt. Reuerendiſſimus Ordinarius, pro ſpirituali ſuo grege peruigil, miſſo Vicario ſuo generali, rem totam diligenti examini iubet ſubiici. Ille adhibitis in conſilium quatuor Theologiæ & duobus Iurium Profeſſoribus in ædibus Parochi Mauritiani iconem ad ſe allatam diligenter inſpiciendam, & adoleſcentem diſtricte examinandum curauit. Triduano examine peracto, & conſideratis tum facti circumſtantiis, tum adoleſcentis qualitatibus ac præcipue ſermonis inconſtantia, plerisque viſum, hoc in negotio id maxime curandum eſſe, vt motus rumor breui conquieſcat. Adoleſcens tamen Eichſtadium perductus eſt, ſeuerius ibidem examinandus; ſtatua vero interim incluſa, & Letaniæ iuſſu Epiſcopi ſunt inhibitæ.

Numero Profeſſorum annis proxime præcedentibus, vt dictum eſt, vix redintegrato, mors hoc iterum anno duos nobis viros pretioſiſſimos eripuit, vnum ex Medicorum, alterum ex Iurisconſultorum Collegio. Primus menſe Iunio, die 10. occubuit *Antonius Ionas Kilianſteinius* Würceburgenſis, Medic. Doct. & Prof. ordinarius. Hic per 19. quidem annos, quibus Medicinam apud nos & docuit, & exercuit, viri abſolutiſſimi & incomparabilis partes omnes impleuit; & ipſa ciuitas Ingolſtadienſis eo maxime tempore, quo peſtilentes morbi dire paſſim graſſabantur, eundem tanquam ſoterem a cælo ſibi datum venerata eſt. In extremo morbo maximos dolores ſumma patientia tolerauit: hydrope a plerisque ſuffocatus credebatur; ſed alii verecundia extinctum aſſerebant, quæ latentis ſcilicet morbi originem texiſſet. Obiit die 10. Iunii, cum vitam egiſſet ſemper cœlibem. Elatus eſt magna Academicorum ciuiumque frequentia, & ad Spec. Virginem ſepultus cum hac inſcriptione; *Hic iacet*

A. 1638. *ſepultus Nob. & Clariſſ. D. Ant. Ionas Kilianſtein Medicus celeberrimus & Acad. huius Prof. Ord. qui obiit X. Iun. A. MDCXXXVIII.* Typis impreſſum nihil ab eo relictum conſtat. Vnicum Manuſcriptum *De Dolore capitis ſeu de Hemicrania*, *Thiermarius* poſtea edidit.

Alterum die 15. Septembris extinctum boni omnes & omnes docti luxerunt *Chriſtophorum Beſoldum* Tubingenſem, I. V. Doct. & Codicis ac Iuris publici Profeſſorem, virum miræ eruditionis, tota germania ſcriptis conſiliisque notiſſimum; cuius hiſtoriam vitæ tanto lubentius refero, quo luculentius ipſe doctrina ſua hanc Academiam, & ſua pietate noſtram religionem illuſtrauit. Natus Tubingæ apud Würtenbergios, atque educatus populares inter Lutheranos, illorum dogmata tam alte imbiberat, vt eadem ſcripto etiam nonnunquam tutaretur. Ea autem viuebat modeſtia, manſuetudine, temperantia & erga egentes liberalitate, vt magno ſuæ, quam tum profitebatur, religioni eſſet ornamento. Sapientia vero, eruditio atque prudentia illi tanta inerat, quantam Principes quoque venerarentur, ac doctiſſimi quique vel ex fama ſuſpicerent. Nationum Europæ linguas omnium, hebræam præterea, græcamque callebat. His ex fontibus fluebant tot ſcripta omni eruditione referta, quibus immortale ſibi nomen apud literatos comparauit.

Tantus iam inter ſuos cum eſſet *Beſoldus*, reſpicere tamen ad nos cæpit, & inde duxit mutationis initia, vnde ſperari minime poterant. Erat tubingæ *Iacobus Reihingus*, Societatis Ieſu & Eccleſiæ catholicæ perfidus deſertor: hunc cum aliquando *Beſoldus* de *Tranſubſtantiatione*, vt Catholici vocamus, diſſerentem, & ex noſtro ſenſu poſitiones Tubingenſium Theologorum exercitationis cauſſa impugnantem audiiſſet, ſuperno lumine repente illuſtratus, catholicam ſententiam veriorem agnouit. Aliis exinde atque aliis dubitationibus ac internis ſtimulis agitatus, viam, qua verum aſſequeretur, diligenter inueſtigauit. Vltimum deſerendi Lutheri impetum tum cepit, cum in Truchſeſſiorum Comitum Schärenſi caſtro videret inſignes, magnosque viros diuis Cælitibus, eorumque Reliquiis more catholico ſingularem quamdam religionem ac cultum exhibere. Commotus ea re, pii cultus periculum vt faceret, ipſe quoque ad vota precesque deſcendit: ſi prolem ſibi Cælites,

ita precabatur, a Deo impetrassent, quam viginti annorum ste- A. 1638.
rile matrimonium adhuc negasset, se quoque venerabundum ad eorum cineres adfuturum. Nec irritæ fuerunt preces: egregia indole suscepit postea puellam; quæ cum nescio quo malo afflicta vitæ subiisset periculum, nouo beneficio per eorundem Diuorum interuentum a Deo seruata est. Iam non dubius *Besoldus*, cum catholicum sumsisset animum, eandem Religionem anno 1630. Hailbrunnæ ipsis Augusti Calendis coram *Wolfgango Hœgnero* Ord. Fr. min. strict. Obseru. Prouinciæ Allemannicæ Ministro Prouinciali ad præscriptum Concilii Trident. professus est. Post Nördlingensem autem victoriam, cum Regis FERDINANDI armis Würtenbergia omnis subacta esset, non tantum Catholicum se publice gessit, sed fere Apostolum; plures enim e Tubingensi Academia Iuuenes in eandem secum sententiam pertraxit.

Anno demum 1636. relicta Tubingensi Academia, quam a multo tempore doctrina sua scriptisque libris Professor Iuris ornauerat, ad boicam hanc Vniuersitatem, inuitatus a MAXIMILIANO Electore, accessit. Scriptores etiam acatholici, dum de *Besoldo* nostro agunt, inter mutatæ religionis causas referunt vitam minime euangelicam quorumdam Lutheranorum, quorum exemplo vir piissimus offensus fuisset. Sed veriora ipse *Besoldus* nos docet in libello, quem mox post factam mutationem de motiuis sui ad Catholicos transitus conscripsit & in publicum edidit. Biennio apud nos, nec vltra, superfuit; intra quod tempus ea exhibuit pietatis exempla, quæ a veterano Catholico vix expectes. Moribundus vxori suæ etiamnum Lutheranæ, vt secum saperet, precibus ac lacrymis institit; atque id etiam euicit, vt a *Ioanne Bisselio* diligenter instructa, mense tertio ab obitu mariti ipso festo die S. Catharinæ V. & M. catholicam se publice in Templo S. Crucis profiteretur, comitante octenni filiola, ac cereum tenente. Obiit autem *Besoldus* die 15. Sep. h. a. ad D. Virg. sepultus. Post iusta triceſimi, vt vocant, luculenta eum oratione dilaudauit *Arnoldus Rathius*. Epitaphium, quod in pauimento Chori legere est, his verbis absoluitur: *Hic situs est Christophorus Besoldus I. C. S. C. M. & Ser. Electori Bau. a Consiliis, quem Vniuersitas prius Tubingensis annos XXV.*

Ingol-

A.
1638. *Ingolſtadiana tantummodo II. annis habuit, ſummus vero Pont. Vrbanus VIII. Bononiam expetiuit, ſed mors intercepit anno æt. LXI. a Chriſto nato MDCXXXVIII. die Sept. XV. De viro, qui plura rogas, libros illius ac famam Viator interroga. Vale & ſequere.*

Specialia quædam de vita, morbo, obitu ac ſepultura *Beſoldi* inuenire eſt in memorata *Arnoldi Rathii* oratione funebri, ac in Ephemeride ægritudinis ac mortis Beſoldianæ a *Franciſco Mauritio L. B. de Sprinzenſtein & Neuhaus* &c. *Beſoldi* diſcipulo & conuictore conſcripta; quod vtrumque opuſculum *Beſoldianæ Synopſi rerum ab orbe condito geſtarum*, edit. Ingolſt. 1639. adiunctum eſt. Continet ille ipſe libellus etiam Elenchum librorum a *Chriſtophoro Beſoldo* editorum, hoc ordine: *Synopſis doctrinæ politicæ. Politicæ doctrinæ Inſtitutiones Iuris. Diſſertationum Nomico-Politic. libri III. De Conſilio politico Axiomata. Signa temporum, ſeu ſuccincta rerum poſt Religionis reformationem in Europa geſtarum diiudicatio. De natura Populorum, & de Linguarum ortu atque imitatione. De veræ Philoſophiæ fundamento. Axiomata Philoſophiæ Chriſtianæ. Heraclitus in lingua vernacula. Hiſtoria Imperii Conſtantinopolitani & Turcici;* item *Vrbis & Regni Hieroſolymitani, Siculi ac Neopolitani. Theſaurus practicus, continens explicationem terminorum & clauſularum in dicaſteriis Imperii Rom. Germ. vſitatarum. Commentarius ad Conſtitutiones Würtenbergicas. Conſilia Iuridica. Opuſculorum Iuridicorum Farrago. Diſputationes Iuridico-Politicæ. Conſultationes ſuper Iuris publici inſigniores Quæſtiones. Opus politicum in XII. libellis* &c.

Prætermiſſum eſt hoc in Catalogo præcipuum *Beſoldi* noſtri Opus: *Documenta Rediuiua Monaſteriorum præcipuorum in Ducatu Würtenbergico ſitorum* &c. Item *Monumenta Sacrarum Virginum* in eodem Ducatu &c. vna cum *Prodromo Vindiciarum Eccleſiaſt. Würtemberg.* cuius quidem prætermiſſionis rationem aliam non inuenio, niſi quod *Ioannes Iacobus Speidelius*, ipſe Würtembergicus natione, qui *Synopſis Beſoldianæ* editionem curauit, & memoratum ſcriptorum catalogum adnexuit, cum ſciret illud *Documentorum* ac *Monumentorum* opus in Principum Würtenbergicorum præiudicium quoddam fuiſſe editum, ſciens prudensque omiſerit. Quidquid vero de hoc ſit, illud certum habemus, *Beſoldi Documenta* atque *Monumenta* inter rariores hodie libros numerari. Quorumdam lectorum in gratiam breuiter annotabo, quæ ſcribendi

A. 1638.

bendi operis illius cauſſa fuerit & occaſio. Notum eſt ex Hiſtoria, VLRICVM Ducem Würtembergicum, anno 1535. terris ſuis reſtitutum, introducta in easdem Religione proteſtantica, mox Catholicorum occupaſſe Monaſteria, & bono illorum fiſco adieciſſe. Peracto integro pene ſeculo, cum anno 1634. Cæſareani poſt Nordlingenſem victoriam eiecto EBERHARDO III. Duce omnem ſibi Würtembergiam ſubieciſſent, ac Catholicos in antiquam libertatem vindicaſſent, homines quoque Eccleſiaſtici ſua iura reuixiſſe rati, recuperandis Monaſteriorum & Eccleſiarum bonis inuigilarunt. Vt autem ſtabilis eſſet poſſeſſio, excuſſis tabulariis paſſim omnibus atque erutis inde diplomatibus, *Chriſtophori* præcipue *Beſoldi* opera euincere laborabant, Monaſteria illa atque Collegia (vicena erant numero, de quibus agebatur, duodecim Virorum, & octo ſacrarum Virginum) ante tempora ſic dictæ Reformationis immediate libera atque Imperialia fuiſſe; vt adeo alienari ab Imperio nec potuerint, nec porro poſſint. Nonaginta duo ſupra trecenta ſunt diplomata, quæ *Beſoldus* hac occaſione edidit, ac eruditiſſimis notationibus ita illuſtrauit, vt etſi propoſitum finem non ſit aſſecutus, præclare tamen de Iure publico, atque de Hiſtoria medii inprimis æui meritus fuiſſe dicendus ſit.

Fuit de cetero *Beſoldus* totius literati orbis conſenſu vir ſumme induſtrius, multæ lectionis & ingenui candoris, quem in allegandis maxime auctoribus teſtatum fecit. *Hermannus* quidem *Conringius* defectum Philoſophiæ in politicis, ac tumultuarium quoddam ſcriptionis genus eidem obiicit; verum non eundem ſenſum literatis omnibus fuiſſe oportet, qui pleraque eius opera tertium quartumue edenda curarunt. Sereniſſ. Bau. Elector MAXIMILIANVS intellecta *Beſoldi* morte tria præcipue capita Academiæ demandauit: 1.) Vt relictorum a *Beſoldo* Manuſcriptorum deſignatio Monachium mittatur. 2.) Vt ex demortui Bibliotheca liber nullus ſine præſcitu Sereniſſimi vendatur. 3.) Vt Patres academici, de futuro *Beſoldi* ſucceſſore, Sereniſſimo mentem ſuam perſcribant.

In medica Facultate, cum vnus iam Profeſſor ſupereſſet *Wolfgangus Hœuerus*, die 4. Decembris *Raphael Schmuzenius*, nuper admodum Medicinæ Doctor creatus, libellum ſupplicem

A. 1638. Senatui academico obtulit, vt vacante poſt mortem *Kilianſteinii* Medicinæ cathedra in Profeſſorem ſaltem extraordinarium reciperetur; ſeu potius, vt opinor, Sereniſſimo Electori pro eo munere commendaretur. Sed communibus votis id ipſi negatum eſt.

Cum Metaphyſices Profeſſor *Maximilianus Lerchenfeldius* difficilem in morbum incidiſſet, Dilinga aduocatus eſt *Ioannes Horſtius*, qui eius diſcipulos in triennalis Philoſophiæ curſu ad metam perduceret.

A. 1639.

ANNO DOMINI M DC XXXIX.

Rect. CCCXXIV. GVILIEM. LVDOVIC. BENZIVS &c. II.

Rect. CCCXXV. IOAN. OSWALD. A ZIMMERN &c. III.

Inſcripti 158.

Nobiles, *Georg. Sebaſt. Kuglman*, Baro Græcenſ.
Carol. Conſtantin. Vlrici a Genghofen, Viennenſ.
Ioan. Carol. Conſtans a Feſtenburg, Viennenſ.
Ioan. L. B. de Welden in Hohenholdingen & Laubhaim.
Stanisl. Franc. Comes a Koniecpolsky, Polon.
Albert. Chriſtoph., *Ioan. Carol.*, *Maximil. Benno* } *a Starzhauſen.*
Guilelm. Ferdinand. Wrabsky de Wrabi Baro.
Frideric. a Fürſtenberg, Rhenan.
Bohusl. Gregor. Zniowsky de Korkni, Eques Bohem.
Ioan. Rudolf. a Donſperg, Monacenſ.
Albert. Vlric., *Ioan. Erhard.* } *a Muggenthal.*
Hippolyt. Marchio Lanti, Roman.
Ioan. Ludouic., *Ioan. Henric.* } *Herwart* ab Hohenburg, Monacenſ.
Wolfg. Seuerin. Scharfseder in Kollersaich.

Ioan.

A. 1639.

Ioan. Achatius } *a Seeau*, Prouincial. Auſtriac.
Ioan. Maximil. }
Caſimir. Ielo Malinsky, Comes polon.
Ioan. Lugowsky, Comes polon.
Iodoc. Theodoric. Reding, Liechtenſteigenſ. Heluet.
Franc. Brechenberg, Halenſ. ad Oenum.
Ioan. Conrad. }
Philipp. Richard. } *a Schwabach*, Bau.
Ioan. Frideric. }
Ioan. Rudolph. ab Halden, Blumeneckenſ.
Ioan. Leonard. a Dornſperg, Prouincial. Styr.
Ioan. Maurit. Grienol ab Ach, Paſſauienſ.
Franc. Adam. ab Anſam.
Philipp. Henric. } *a Seybolſtorf.*
Philipp. Goſwin. }

Nou. Prof. *Eraſmus Paſcha*, Soltquellenſ. Brandenburg. I. V. D. & Cod. Prof. ord.
Iacob. Loſſius in Sandersdorf & Mendorf, I. V. Doct. & Prof. ord.
Ioan. Duellerus, Lucern. Heluet. Medic. Doct. & Prof. ord.
Guilielm. Gumpenberg, Monacenſ. Bau. S. I. Prof. Ethic.
Conrad. Calmelet, Wiſenſteigenſ. Sueu. S. I. Prof. Log.

Cum menſe Aprili noui Rectoris electio pro more inſtitueretur, votis paribus Perilluſtris Comes *Firleyus* & *Guil. Ludouic. Benzius* deſignati ſunt. Re deliberata cenſuerunt Patres academici Domino Comiti eum honorem deferendum eſſe. Sed vocatus ille ex aula Albertina, vbi cum aliis proclamationem noui Rectoris expectabat, ab ſtubam academicam, cum oblatum munus acceptare recuſaſſet, in *Benzium* omnium vota conſpirarunt.

Noſtrum ICtorum Collegium hoc iterum anno grauiſſimam iacturam fecit ex diſceſſione *Nicolai Burgundii* Cod. Profeſſoris; qui cum inde ab anno 1627. Academiam hanc admirabili ſua eruditione, ac ſcriptis elegantiſſime libris ornaſſet, Bruxellas hoc anno abiit, Cardinali Infanti, Belgii Gubernatorii ab obſequiis ibidem futurus. Ante ſuum ad nos acceſſum

A.
1639. *Burgundius* ſummum in Flandriæ ſuprema curia cauſſarum Patronum egerat, iam tum in qualicunque a rebus forenſibus otio eruditis lucubrationibus itentus. Belgicam certe Hiſtoriam, quam ex ſchedis maxime *Viglii Zwichemi* Anteceſſoris quondam Ingolſtadiani collectam hic Ederianis typis anno 1619. euulgauit, ex Belgio ſecum manuſcriptam attulerat.

Ex reliquis eiusdem ſcriptis, quæ in commoratione ſua Ingolſtadienſi confecit, memorabilis inprimis eſt *Hiſtoria de Ludouico IV. Imp.* Dicitur *Burgundius* MAXIMILIANI Electoris auſpiciis LVDOVICVM Imp. defendendum ſuſcepiſſe, tantamque illi de hoc opere feciſſe ſpem, vt nondum perducta ad calcem ſcriptione catena aurea honoratus fuerit. Sed libro abſoluto, iamque typis impreſſo, offenſus MAXIMILIANVS acerbiore, ni fallor, in Rom. Pontifices calamo, omnia illius exemplaria Monachium transferri & remota ab hominum oculis aſſeruari præcepit. Suppreſſa hoc modo Ingolſtadienſi editione, non ita tamen omnia exempla ſubtrahi literato orbi potuere, vt non vnum ſaltem ad Batauos euaderet, iuxta quod memoratus liber recuderetur. Fatendum vero, vt reliqua omnia Burgundii, ſic eam quoque LVDOVICI IV. Hiſtoriam elegantiſſime ſcriptam eſſe, ad græcorum etiam, romanorumque inuidiam.

Scripſit præterea *Apologiam pro Electoratu Bauarico*; *Librum practicum & theoricum de Euictionibus; De duobus reis; De periculis & culpa in Contractibus; Commentarios ad Conſuetudines Flandriæ*; item *Poemata; Orationem de gradibus ad Eloquentiam*; *Orationem funebrem pro Ioachimo Denichio.* Quos quidem libros qui inſpexerit, fatebitur opinor, *Burgundium* noſtrum & Iurisconſultum, & Hiſtoricum & Oratorem & Poetam fuiſſe præſtantiſſimum; atque inde digniſſimum, cuius celebrandis laudibus *Iacobus Baldeus* ſæpius ſuam lyram commodaret.

In *Beſoldi* igitur & *Burgundii* locum eodem adhuc anno ſucceſſere *Eraſmus Paſcha* & *Iacobus Loſſius.* Erat *Paſcha* vir ſeptuagenarius, & iam antea publicus Iurium Profeſſor apud Friburgenſes in Briſgoia. Conſtitutum illi eſt ſtipendium 700. florenorum, quod ſcilicet *Beſoldus* habuerat. *Loſſius* etſi abſens in Italia, quam hoc anno peragrabat, cum titulo Profeſſoris ordinarii ad extraordinarias Iuris lectiones deſignatus eſt, cum

ſtipen-

A. 1639.

ſtipendio tamen 200. florenorum, & participatione emolumentorum Facultatis.

Die 25. Octobris Lectionum medicarum principium ſolenne fecit vir clariſſimus *Ioannes Dueller* Medic. Doctor & Profeſſor ordinarius.

Singularis exempli rem edidere hoc anno illuſtres quidam Poloni, *Franc. Dobrazynscby*, *Caſimir. Ielo a Malinsky* & *Michael. Ioan. Waszyczinsky*, qui omnes abſoluta Academicos inter Phyſica ad Gymnaſium redierunt, & diſcendæ Rhetoricæ ſub *Adamo Herlero* non ſine magna diligentiæ laude vacarunt.

ANNO DOMINI M DC XL.

A. 1640.

Rect. CCCXXVI. CASPARVS MANZIVS &c. III.

Rect. CCCXXVII. GVILIELM. LVDOVIC. BENZIVS &c. III.

Inſcripti 145.

Nobiles, *Franc. Philibert. Schranz* a Schranzeneck & Forchtenſtein, Baro Styrius.

Adam. Franc. Hundt a Schambach.

Ioannes Caſtellus, Friburg. Heluet.

Alexand. Comes Cardellus, Roman.

Bartholom., *Gotthard.*, *Wilhelm.* } *Barones a Starenberg*, Auſtr. fratres.

Ioan. Wolfg. L. B. a Weichs.

Ferd. Perſius a Lonsdorf, Auſtriac.

Georg. Chriſtoph. a Leoprechting in Elnbach, Can. Ratisb.

Georg. Ferd. Pernauer ab Aich, Prouincial. Auſtr.

Adam. Ant. Grundeman a Falkenberg, Prou. Auſtr.

Ioan. Caſp. Widmann, Monacenſ.

Ioan. Iacob. a Preyſing, O. S. B. Profeſſus in Tegernſee.

Georg. Rudolf. Neuburger a Päſing.

Georg. Sebaſt. Schobinger a Stepperg, Monacenſ.

Ioan. Franc. Voglmayr a Tierberg, Monacenſ.

A. 1640.

Ioan. Ludouic. Mändl in Deutenhofen, Monacenſ.
Sigism. Frideric. *Ioan. Georg.* *Ioan. Albert.* } *Comites a Göz*, Sileſii Brandenburg.
Franciſc. *Hieronym.* } *Barones de Thurn* in Au & Neuenpeurn.
Franc. Carol. Kbuen a Belaſi, Comes in Liechtenberg, Englar &c. L. B. in Neuenlempach, Dominus in Teuthenhofen & Flos, Can. Salisburg.
Nou. Prof. *Georg. Hammann*, Friburg. Brisg. S. I. Prof. Log.
Nou. Doct. *Iacobus Loſſius* &c. *Vtr. Iur.*

Iacobus Loſſius, quem ſuperiori anno literariam peregrinationem in Italiam inſtituiſſe dixi, mox ad initium huius anni iuſſu Sereniſſimi ad Academiam reuocatus eſt. Cumque die 3. Iul. Iurium Doctor ab *Arnoldo Rathio* fuiſſet creatus, ad initium Auguſti menſis ſolenne ſuum principium habuit de vitæ aulicæ incommoditatibus. Hic licet ordinarius eſſet Iuris Profeſſor, incidit tamen & ipſe in friuolam illam de *præcedentia* controuerſiam cum medica & philoſophica Facultate; eo ſcilicet ex capite, quod extraordinarie tantum legeret. Cauſſa ad plenum Senatus academici concilium delata, ſtatuere Patres, ſcribendum eſſe ad Sereniſſ. Electorem, vt in caſu prorſus nouo ſententiam diceret. Ex literis ad Doctorem *Loſſium* a Sereniſſimo datis iudicatum eſt, ei ſpecialem hac in re gratiam factam eſſe; quapropter & prior eidem locus datus ad anni vſque 1642. Martium menſem; cum nouum ſuperuenit Monachio decretum, vt & *Loſſius* & alii deinceps quicunque extraordinarii Profeſſores ordinarios ſequantur. Sed *Loſſius* ad tollendam controuerſiam id iam egit, vt ad ordinariam Inſtitutionum cathedram admitteretur; id quod etiam die 4. Aprilis anni 1642. ſpeciali decreto obtinuit.

In Collegio S. I. ſtudium philoſophicum hoc anno penitus exſpirauit; cum enim res illius œconomica ſuperiorum temporum iniuriis miſerrime eſſet afflicta, iuniores Philoſophiæ, immo ex parte etiam Theologiæ ſtudioſi Ingolſtadio dimiſſi ſunt, quod neceſſarii ſumtus pro illorum ſuſtentatione præſtari non poſſent.

AN-

A. 1641.

ANNO DOMINI M DC XLI.

Rect. CCCXXVIII. OSWALDVS A ZIMMERN &c. IV.

Rect. CCCXXIX. CASPARVS MANZIVS &c. IV.

Inſcripti 152.

Nobiles, *Wolfg. Honor. L. B. de Schertenberg*, Græcenſ.
Carol. Guaſco de Ladrone, Ciuitat. Alexandriæ.
Ioan. Theobald. Baro a Reinach, Hirzbacenſ. Suntgoi.
Ioan. Felix Häckel a Iezendorf.
Iuſtus Wolfg. a Siburkh, Magdeburg.
Marcus Adam. Fabricius, Spirenſ.
Martin. Kraſchlezky Comes in Kratſchizin, Pol.
Carol. Comes a Liechtenſtein, Baro in Caſtelhorn, Dominus in Schena &c. Can. Salisburg. & Olomuc.
Ioan. Bapt. Würiak de Winieg, Labacenſ.
Mich. Erneſt. Scherel de Schernburg, Labacenſ.
Gisbert. von Graue, Louanienſ.
Ioan. Georg. a Laittenſtein, Viennenſ.
Chriſtoph. Leopold. } *Schaffgotſche*, dicti S. R. I. ſemper
Ioan. Vdalric. } Frey, Sileſii, fratres.
Ioan. Ioſeph. a Berndorf de Päll & Steinbach, Monacenſ.
Franc. Ignat. Notbaft L. B. a Wernberg.
Ioan. Iacob. Edlwek a Schönau.
Georg. Chriſtoph. Hund a Lauterbach & Eiſelzried.
Ioan. Otto Knäbel a Murhaim.
Carol. Auguſt. Baro a Leibelfing.
Adolph. Comes a Wagenſperg, Græcenſ. Styr.
Godefrid. Engl a Wagrain, Auſtriac.
Adam. Georg. Biritta a Brandenfels, Morau.
Marc. Ant. Anaſtaſ. Odeſcalcus, Comenſ.
Wolfg. Ernricus a Zeilhofen.
Paulus } *Schawinsky*, Comites a Schauino.
Iacob. }
Thomas Schleſrynsky Comes in Sleſino.
Ioan. Frideric. Paradeiſer, Baro in Neuhaus & Gradiſch, Carniol.

Daniel

A. 1641.

Daniel ab Egkh, Baro Carniol.
Ioan. Frideric. Triller de Trillegg, Carniol.
Georg. Chriſtoph. Imbslander ab Hofſtetten.
Ferdinand. Comes de Werdenberg, Auſtriac.
Ioan. Wichard. Kazianer, Baro de Kazenſtein.
Gottlieb. Baro ab Oedt, Dominus in Helfenberg.
Ioan. Bernard. Baro a Lœbl, Auſtriac.
Philipp. Mancatius, Locarnienſ. Heluet.
Georg. Chriſtoph. ab Aſch.

Nou. Prof. *Leonard. Bildſtein*, Vberling. Acron. S. I. *Theol.*
Bernard. Frey, Oberſtorf. Allgoi. S. I. Prof. *Log.*

Nou. Doct. *Ioan. Sebaſt. Sattler*, Monacenſ.
Martin. Flanderl, Monacenſ.
Georg. Weiſs, Bruggenſ. Bau.
Matthias Kaut, Langeneiffenſ. Sueu.
Ioan. Schueber, Arnſperg. Weſtphal.
Marinus Marianus, Auguſtan. *Medic.*
} *Vtr. Iur.*

Triſtiſſima belli facies cum ipſo anni huius exordio oculis noſtris e propinquo obiecta eſt, cum Sueci *Panierio* Duce, poſt Palatinatum fere omnem occupatum, ante ipſius Ratisbonæ mœnia, in Cæſaris illic Comitia celebrantis quaſi ludibrium, comparuere. Rigidiſſimæ deinde hyemis beneficio, concreti Danubii glacie pro ponte vſæ aliquot turmæ in vlteriorem Bauariam ſeſe effudere, tanto indigenarum terrore, vt ad multa circum millaria non ex pagis tantum, ſed ex vrbibus quoque ſumm a celeritate Ingolſtadium confugerent, famemque ſecum inferrent. Eichſtadianus etiam Præſul MARQVARDVS cum quibusdam ſuorum Canonicorum die 29. Ianuarii ad nos diuertit, exceptus a toto Senatu, a Comitibus & Baronibus &c. Saluti fuit, quod ea hoſtium irruptio vltra biduum non durauerit; ob repentinum enim calidioris auſtri afflatum ſoluta glacies hoſtibus iam maiore numero incurſuris tranſitum prohibuit.

Intra hoc exilii tempus morbum apud nos contraxit, ac denique extinctus omnino eſt *Ioannes Henricus Hüpſchmann a Biberbach* Canonicus Cathedralis Eichſtettenſis, cuius exequiis Profeſſores omnes interfuere.

Illu-

A.

Illuſtriſſimus *Marchio Lante de Ruere* Romanus, qui anno 1639. ad Academiam venerat, Theologiam auditurus, menſe Iulio h. a. redire in patriam eſt iuſſus, vt demortuo, nuper fratri ſuccederet. 1641.

Profeſſor etiam Theologiæ Caſuiſticæ *Simon Felix* intra decurſum anni ſcholaſtici Monachium euocatus eſt, ſuccedente in eius locum *Georgio Lyprando*; pro quo ad explicandam Theologiam ſcholaſticam *Leonardus Bildſteinius* Monachio ſubmiſſus eſt. Erat *Simon Felix* patria Monacenſis, vir magno ingenio & doctrina. Quas apud nos ſcientias iuuenis didicit, easdem poſtea Profeſſor alios docuit, Philoſophiam ſcilicet & Theologiam; atque hanc quidem apud nos annos quatuor cum dimidio, vniuerſim autem totos vndetriginta annos. Erat præterea in omni literaturæ genere ita verſatus, vt quamcunque tractaret doctrinam, afferret neruo & rationum momentis plenam. In habendis præcipue ſermonibus ſacris inſignis erat eius facundia; vnde cum Præſidem ageret Sodalitatis noſtræ academicæ, libenter audiebatur, & frequentiſſimos habebat auditores. Ex eius ſcriptis mihi quidem ea ſolum innotuere, quæ aduerſus *Iacobum Reibingum* edidit, *Metamorphoſim Iacobi Reibingi Catholico-Lutherani*, Diling. 1622. *Vulpeculam Tubingenſem demolientem Vineam Eccleſiæ Chriſti captam*, Diling. 1622. *Muſcas morientes inanium Cauillorum Iacobi Reibingi Apoſtatæ Tubingenſis exſufflatas.* Friburg. Briſg. 1624. Obiit Monachii in patria ſua, anno 1656. die 26. Febr.

In eadem Bauariæ metropoli vitam hoc anno poſuit *Matthias Mayerhoferus* Landishutanus, emeritus in hac noſtra Vniuerſitate Profeſſor, quippe qui non tantum Philoſophiam iam anno 1576. ſed & Theologiam ab anno 1582. vſque ad an. 1590. magna cum laude explicauit. Eius vitæ ac virtutum hiſtoriam perbreuem Facultas theologica in ſuo auditorio his verbis deſcripſit: *Matthias Mayerhoferus S. I. Bauarus, Landishutanus, Romæ tyrocinium Religionis poſuit, didicitque Philoſophicas & Theologicas diſciplinas, quas Ingolſtadii feliciter docuit, & Theologiam quidem octo annis, acer Collega R. P. Gregorii de Valentia, qui dicere ſolebat ſe neminem in diſputando neruoſiorem expertum Mayerhofero, ſi incaluiſſet. A ſcholis abreptus ad Monacenſe, Dilinganum ac rurſum Monacenſe Collegium regendum, nec non Prouincialis Socius, poſteaque Præfecti*

A.
1641. *Spiritus munere plurimis annis perfunctus, ſeueriſſimus ſui corporis domitor, omne tempus orationi, lectioni, ſcriptioniue impendit, variaque opera de moribns, de Fide catholica contra hæreticos in lucem edidit, tandem anno ætatis ſuæ 93. ſenio Monachii extinctus eſt 7. Febr. anno 1641.* Scripſit *Diſputationes theolog. de tribus peccatorum generibus* &c. Ingolſt. 1587. *De rerum dominio & iuſtis poſſeſſionibus*, 1588. *De Voto & Iuramento; De Reſtitutione*, 1589. *De Sacramento Euchariſtiæ & Incarnationis myſterio*, 1590. *Quatuor flumina Paradiſi ſiue præcipuos fontes ſcientiæ de Deo; Piſcinam natatoriam; Speculum Prædicantium & huius Apologiam*, germanice an. 1600. & 1601. Reddidit germanice ex Italico *Lucæ Pinelli Vitam B. V. M.* Ex gallico *Petri Cottoni deuotionem Caluiniſtarum*, 1610.

Huias etiam Collegium S. I. e nnmero Profeſſorum academicorum quemdam tumulo intulit menſe Iulio, virum vt ætatis adhuc viridis, ſic ingentis ſpei, *Georgium Hammannum* Friburbo-Brisgoium, Philoſophiæ Profeſſorem. Is cum Tyrnauiæ primum in Hungariæ recens erecta Academia vnum annum, tres alios in diuerſis Germaniæ ſuperioris Gymnaſiis Rhetoricam ſingulari cum laude & eloquentiæ fama profeſſus fuiſſet, Philoſophiam tradere hic cæpit cum tanta diſcipulorum alacritate, eaque in Magiſtrum ſuum veneratione ac amore, qui raro in hoc hominum genere animaduerſus fuit. Vnde ex eius morte tantum concepere dolorem, qui in parentis funere, vti ipſi fatebantur, maior eſſe non poterat. Vixit vniuerſe annos 34. Obiit die 9. Iulii.

Studioſis noſtris ab ipſo Vrbis Gubernatore *Comite Wallio* contentionum rixarumque occaſio oblata eſt; cum enim Academici quidam cum canibus & capto lepore ex agris redirent, ille per milites intercipi eorum canes, & ad ſe in arcem deduci iuſſit. Indigne hoc ferentes Studioſi magno mox numero ad ædes Magnifici Rectoris conuolant, petuntque ſua iura defendi & canes repeti. Conuocatus ſequenti die Senatus Patrum vnanimiter iudicauit; actum omnino eſſe contra iura Academiæ, repoſcendos eſſe canes, petendumque a D. Gubernatore, vt militibus ſub graui pœna mandaret, ne qua in re deinceps ſtudioſis moleſti eſſent; vicißim prouiſum iri a Senatu academico,

ne

A. 1641.

ne militum quisquam a ſtudioſis laceſſeretur. Conſentiente in omnia *Wallio Comite* pax quidem inter ipſos Magiſtratus compoſita; concitatis autem aduerſum ſeſe ſtudioſorum atque militum animis caueri ſatis non potuit, quo minus ad certamina atque ad vulnera etiam ſequentibus diebus aliquoties deueniretur.

Ex Philoſophia ſepties omnino publice hoc anno diſputatum eſt, literariis pugilibus fere ex boica tantum nobilitate ſelectis. Fuere hi nominatim *Ioan. Ludouicus Bilbis a Sigenburg*, *Georg. Guil. Eiſenreich a Peürbach*, duo fratres *Herwart ab Hohenburg Ioan. Ludouicus & Ioan. Henricus*; ac denique *Caſparus Häckel a Iezendorf*, qui theſes ſuas magnis ſumtibus cupro incidi curauit, cum ſplendidiſſimis pictoriæ artis parergis.

ANNO DOMINI M DC XLII.

A. 1642.

Rect. CCCXXX. GVIL. LVDOVIC. BENZIVS &c. IV.

Rect. CCCXXXI. Idem V.

Inſcripti 153.

Nobiles, *Nicol. Paci* Comes in Duſiaty, Gubern. Kracou. Camerar. Reg. Pol. & Suec. cum 3. nobil. Polon.

Sigfrid. Franc. Baro Freuner, Auſtriac.

Ioan. Guil. } *Barones a Zinzendorf.*
Ferdinand. }

Dominic. Ielo Malinsky Comes de Malin, Camer. Reg. Pol.

Nicol. Palfi ab Erdeödi, Comes in Veſosko, Hungar.

Ioan. Secundus Baro a Sprinzenſtein.

Georg. Aegid. a Siggenbauſen, Neoöttingan.

Ioan. Georg. a Siggenbauſen, Ambergenſ.

Mich. Oſwald. } *a Puechhauſen*, Straubingan.
Raphael Ioſeph }

Georg. L. B. de Billche, Belga.

Ioan. Iacob. Rambſchild de Schönegg, Styr.

Franc. Ignat. Gottraw, Friburg. Heluet.

A. 1642.

Franc. Carol. ab Engelſperg, Friburg. Heluet.
Alexand. a Muggenthal, Beſſenburgenſ.
Ioan. Georg. } *Viſler* de Malgerſtorf in Lichtenberg,
Henric. Guil. } Bau.
Ioan. Albert. a Lindegg, Viennenſ.
Petr. Daniel Fegeli, Heluet.
Ioan. Adam. Strag ab Haiderſtorf & Purgg ad Aſcham.
Nou. Prof. *Adam. Burghaber*, Veldenſ. Bau. S. I. *Log.*
Georg. Gambach, Enſisheim. Alſat. S. I. *Ethic.*
Ioan. Ant. Crollalanza, I. V. Doct. & Prof. Extraord.

Ipſo mox Ianuario menſe h. a. inſolens ac periculoſa tumultuatio in Academia exorta eſt; cum enim *Wappelzhaimerus* quidam, homo vagus, & nullarum fere lectionum auditor, multarum autem graſſationum reus, & ipſius Rectoris Magnifici, qui tunc *Manzius* erat, contemtor ac cauillator, communi Patrum academicorum ſententia ab Academia atque ipſa vrbe relegatus, in circitorum poteſtatem a Pedello transmittendus iam eſſet, qui eum extra vrbem educerent, ſtudioſi magno numero congregati in circitores irrunt, armisque ereptis tres illorum grauiter ſauciant, ſicque reo per vicinam Crucis portam effugiendi locum faciunt. Senatus academicus grauiter ea re offenſus, dum in ſeditionis auctores acriter inquirit, excitari potius, quam reſtingui incendium deprehendit: miſſo igitur curſore cum literis ad Sereniſſimum, rei inprimis ſeriem exponit, atque Eiusdem auxilium inuocat. Grauiſſimum in auctores ſupplicium decreturus fuiſſe dicitur Sereniſſimus, niſi quindeni interea ex coryphæorum numero ſuam culpam faſſi, ac modeſtiſſime deprecati fuiſſent; quibus etiam relegationis pœna quam meriti fuiſſent, in trium thalerorum mulctam & vnius diei carcerem commutata eſt. Venit nihilominus circa medium Februarii miſſus a Sereniſſimo *Sebaſtianus Nothaftius* cum decreto Electorali, quod præſente Senatu academico ſtudioſis omnibus in Aula Albertina congregatis per Notarium prælegi iuſſit. Serio grauiterque in illo omnibus huius Academiæ alumnis iniunctum eſt, ne quid ſimile vnquam nupero tumultui tentaretur, ſub pœna, quæ omnibus aliis terrori atque exemplo futura eſſet.

De-

A.
1642.

Dedere hæc, ni fallor, occaſionem viſitationi, quam paulo poſt Sereniſſ. Elector inſtitui in ſua Academia curauit, miſſis *Thannero* & *Wampelio* Commiſſariis. Iubebatur inter alia Senatus academicus recognoſcere Statuta Vniuerſitatis, & ſi quid in illis occurreret a temporum ratione alienum, annotare & Monachium transmittere. Quod vbi menſe adhuc Martio executioni datum eſt, Statuta Vniuerſitatis, vt fuere a Sereniſſimo mutata correctaue, menſe Auguſto ad nos rediere. Fuerunt tamen aliqua ſpecialibus literis commendata; e. g. ne permitterentur ſtudioſis veſtes mimicæ & militares; ne ocreas induti & calcaria lectionibus intereſſe ſinerentur &c. Confirmatur Vniuerſitati in iisdem literis Iurisdictio criminalis in ſubditos academicos. Illud hic notandum, quod, cum Sereniſſimus per literas interrogaſſet, quo priuilegio hactenus Senatus academicus cauſſas criminales diiudicandas aſſumſiſſet, reſponſum fuerit in Concilio pleno die 7. Auguſti congregato, id ſe habere cum ex veteri conſuetudine, tum ex conceſſione ipſius Sereniſſ. Electoris, qui hoc priuilegium in Receſſu an. 1624. Senatui de nouo conceſſiſſet.

Renouationis Statutorum primum effectum videre licuit in autumnali Rectoris Magnifici electione; cum enim inde a fundata Vniuerſitate ſoli Clerici, & qui in Clericorum numero habebantur, ſoli cælibes eius muneris capaces eſſent, iuxta nouiſſimam Statutorum correctionem & expreſſam in memorato Receſſu Sereniſſimi voluntatem etiam vxorati eligi iam poterant. Scilicet Elector demum MAXIMILIANVS executioni mandauit, quod Sereniſſ. eius Parens WILHELMVS iam anno 1586. a SIXTO V. P. M. petierat, vt coniugati quoque, ſi forte idoneorum Clericorum ſit penuria, ad Rectoratum Vniuerſitatis vocari, & in eum Clerum, qui ex conſuetudine Rectoris iurisdictioni paret, ceterosque ſcholares poteſtatem habere poſſit. *Vid. Annal. Acad. P. IV. Num. LVII. pag.* 359. Die igitur feſto S. Lucæ, cum *Benzius* magiſtratu abiret, plurium votis primus ex vxoratis Rector electus eſt *Caſparus Denichius* Iurium Doctor & Profeſſor. Sed illo tum quidem, id munus deprecante & præter valetudinem alias iuſtas, vt viſum eſt Senatui, cauſſas

A. 1642. obtendente, itum in ſecunda vota, & *Benzius* in officio confirmatus eſt.

Quæ ex Charta Viſitationis Facultatem ſacram ſingulariter tangebant, duo fuere capita; ſcilicet moderandos eſſe ſumtus in publico Doctoratu; deinde non eſſe admittendos ad altiorem Licentiatus & Doctoratus gradum, qui non duobus annis S. Scripturam, & totidem Controuerſias fidei audiuerint. Conclufit Facultas, quoniam moderatio in ſumtibus doctoralibus Veſperias præcipue tangeret, vt ex ipſius Receſſus verbis appareret, hauſtus illos & diſtributionem chirothecarum, inter omnes etiam ſtudioſos fieri hactenus ſolitam, ad ſolos Profeſſores, Illuſtres, & nobiliores hoſpites limitari debere. Voluntatem vero Sereniſſimi Electoris de non admittendis ad altiores gradus theologicos niſi expleto biennio in audiendis Controuerſiis & Scriptura omnino dandam eſſe executioni; immo eandem ad Caſus quoque Conſcientiæ ex paritate rationis extendendam eſſe; atque id ipſum omnibus Theologiæ auditoribus indicandum.

In Collegio ICtorum lectionum mutationes quædam factæ ſunt: *Loſſius* Inſtitutiones; *Manzius* Digeſta ſimul & Criminalia ac Feudalia; *Paſcha* Ius Publicum explicare ſunt iuſſi. Eidem conſultiſſimæ Facultati gemini hoc anno candidati ſe offerebant pro extraordinariis Iurium Profeſſoribus, *Ioannes Antonius Crollalanza*, & *Alexander Olizarouius* Polonus, qui interceſſionibus duorum Principum, Ducis ſcilicet Neoburgici & Epiſcopi Eichſtettenſis adiutus erat. Sed hic parum ſauens Monachio reſponſum accepit; ipſum ſcilicet, qui Iurisprudentiæ ſtudium nondum penitus abſoluiſſet, nec teutonici etiam idiomatis, tanquam Polonus, ſatis eſſet gnarus, Facultati parum vtilem videri. Pro *Antonio* autem *Crollalanza* ita fuit concluſum, vt quoniam ad legendum ſeſe offerret nullo petito ſtipendio, pro extraordinario Iuris Profeſſore recipiatur.

In Facultate medica illud hoc anno memorabile accidit, quod die 20. Decembris cæptæ fuerint demonſtrationes Anatomicæ, quibus præter ſpectatores alios quamplurimos ex ipſis etiam reliquarum Facultatum Profeſſoribus nonnulli interfuere, vt in Actis philoſophicis notatum inuenio.

Phi-

A. 1642.

Philoſophia quoque, vt tunc erat, triennalis iuxta mentem Sereniſſ. Electoris noua methodo tradi cæpta eſt. Non omnino nullum facturus mihi videor operæ pretium, ſi mutationis illius ſchema integrum hic deſcribam. *Anno primo, loco Petri Fonſecæ prælegenda Manuductio Philippi du Trieu vſque ad Feſtum S. Catharinæ vel initium Decembris. Inde vſque ad Feſtum SS. Apoſt. Philippi & Iacobi agendum inprimis, quodnam ſit Obiectum Logicæ; quotuplex hæc ſit, & quam neceſſaria ad alias ſcientias & artes, omiſſis aliis, quæ plerumque in Prolegomenis tractari ſolebant. Deinde (præteritis Vniuerſalibus & Prædicamentis) explicandi libri Peribarmonias & Analytici tam priores quam poſteriores; atque in horum fine diligenter agendum de habitibus, & deducenda tanquam Corollaria, quæ in Prolegomenis Logicæ & Phyſicæ tractabantur. Ab initio Maii vſque ad finem anni, explicato breuiter Obiecto Phyſicæ, prælegendi tres libri priores Phyſicorum; in quibus nihil de primo cognito, ſubſiſtentia & prima materia & ſimilibus: breuiter de natura & arte: diligenter de principiis & cauſis, earumque cauſalitatibus. Sex libri poſteriores reiiciendi in annum tertium. Secundum annum occupabit explicatio Librorum de cœlo; de Generatione & Corruptione: de Meteoris, & de Anima. Tertio anno, de obiecto Metaphyſicæ: de conceptu & analogia Entis: de Proprietatibus Entis: de Ente reali & rationis: de Vniuerſalibus in communi & particulari: de Prædicamentis in genere & ſpecie: de Eſſentia & Exiſtentia: de Subſiſtentia: de Indiuiduatione. De Deo & potiſſimum de eius Potentia, vbi agi poterit de Infinito: de poſſibilitate creaturarum ab æterno: de eiusdem potentia obedientiali & ſimilibus. De Angelis, quæ pure philoſophica ſunt, quantum per tempus licebit.* Hac methodo doceri cœptum inde a die 29. menſis Octobris.

In eadem Philoſophia ſepties iterum hoc anno ex impreſſis theſibus publicæ inſtitutæ ſunt diſputationes; quarum poſtremam cum præcipua quadam ingenii acutiſſimi commendatione ſuſtinuit Illuſtris Comes *Ioannes Georgius a Göz* Sileſius.

AN-

A. 1643.

ANNO DOMINI M DC XLIII.

Rect. CCCXXXII. CASPARVS DENICHIVS in Erlach, I. V. Doct. Sereniſſ. Elect. Conſil. SS. Can. Prof. Ord. & Primar.

Rect. CCCXXXIII. OSWALDVS A ZIMMERN &c. V.

Inſcripti 139.

Nobiles, *Petrus Zwanowsky* Comes in Sterden.
Frid. Caſp. L. B. a Riſenberg & Suchow, Bohem.
Carol. Sixt. Prinz Eques a Buchau, Sileſius.
Matthias Adam. Höchenſtaller de Bergen.
Wolfg. Raymund. L. B. Paradeiſer.
Georg. Chriſtoph. L. B. a Gaisruck.
Franc. Turrianus, nobil. Mendriſii.
Ioan. Georg. a Königsfeld.
Ioan. Euchar. Schenk a Caſtell, Can. Baſil. & Eichſtad.
Nicol. Bernardin. ab Aham in Wildenau.
Chriſtophor. } *Comites in Fripperg & Trauchburg*, S. R. I.
Ioan. Erneſt. } Dapiferi hæreditar.
Franc. Baro de Neuhauſen in Greiffenberg & Ernhauſen.
Wolfg. Ioſ. Baro de Taufkirchen in Guetenburg & Klebing.
Franc. de Cazanis, Neoforenſ.
Georg. Frid. a Stahlburg, Tirol.
Hieron. Manicor de Caſedt, Freyegg & Ernhauſen, Tirol.
Ferd. Max. Baro a Sprinzenſtein.
Ioan. Leüs a Laimburg, Tirol.
Franc. Iac. Hundpiſs. a Waltrams de Siggen.

Nou. Prof. *Henric. Mayer*, Diling. Sueu. S. I. Prof. Theol. Schol.
Marinus Marianus, Auguſtan. Medic. Doct. & Prof.
Seruilian. Veihelin, Eluacenſ. Sueu. S. I. Prof. Log.
Leonard. Lerchenfeld, Monacenſ. Bau. S. I. Prof. Ethic.

Nou. Doct. *Ioan. Martini.* Com. Liechtenſteinii Præfect. }
Franciſcus Scheidler, } *Vtr. Iur.*
Ioan. Ignat. Claudius, }

Ioan.

A. 1643.

Ioan. Auguſtin. Wilt,
Adam. Wenceſl. Meierle,
Conrad. Lydichen,
Andreas Miedan, } *Vtr. Iur.*

Ex inſcriptorum numero præcipue duo occurrunt poſterorum memoria digniſſimi; I. *Ioannes Eucharius Schenk a Caſtell*, Can. Baſileenſ. & Eichſtadianus, qui anno demum 1685. die 13. Martii S. R. I. Princeps & Epiſcopus Eichſtettenſis, poſt MARQVARDVM II. ex eadem *Schenkiorum* Familia natum, vnanimi calculo electus eſt. II. *Ioannes Caſparus Schmid* Monacenſis, poſtea Liber Baro *ab Haslbach* & ſupremus Bauariæ Cancellarius ac Feudorum Præpoſitus. Huius quanta in Rempublicam boicam ſint merita, teſtes habemus locupletiſſimos eius *Commentarios ad Ius Bauaricum*, tribus voluminibus impreſſos *Monachii* 1695. *fol.*

Sereniſſimus noſter emendata, vt dictum eſt, ſtudiorum ratione & morum diſciplina, hoc anno ad reformandas vacationes academicas animum adiecit. Sub extremum igitur Maium miſſo ad nos clementiſſimo decreto mandat, vt omiſſis vacationibus canicularibus deinceps literarum ſtudia in omnibus Facultatibus ad initium vſque Septembris continuentur; tum vero a ſcholis vacetur vſque ad feſtum S. Lucæ. Si tamen huic ſuæ voluntati quædam maioris momenti rationes obſtare viderentur, permittit, ante publicationem eius decreti ad ſe perſcribi illas poſſe. Collecti igitur in concilio Patres academici in commune conſuluere, quid ea in re agere, aut quid reſpondere Sereniſſimo vellent. Et vero contra abrogationem feriarum canicularium varia quibusdam occurrebant. Inprimis minus aptos videri dies illos ſtudiis ob nimium calorem, atque inde & Profeſſoribus & Studioſis eſſe incommodos. Opportunum autem videri idem tempus, ſi a ſtudiis vacetur, ad facienda itinera ob diei longitudinem, ad thermas adeundas, ad colligendas herbas in vſus medicos, ad faciendam meſſem &c. Deinde ſi quoad durationem vacationum Academici fere æquales habeantur Gymnaſii diſcipulis, timendum videri, ne alio abeant, vbi plus feriarum & libertatis ſperandum. Hæc & plura his familia die 12. Iunii Monachium perſcripta ſunt, ad-

A.
1643. ditis precibus ad Sereniſſimum, vt antiquas & a maioribus inſtitutas vacationes in ſua Vniuerſitate conſeruare clementiſſime velit. Reſpondit Sereniſſimus die 29. Iun. nouo decreto ad Academiam transmiſſo; ſcilicet ſibi momenta rationum, quæ pro conſeruandis feriis canicularibus allatæ fuiſſent, tanta non fuiſſe viſa, vt a concepto & inſinuato nuper propoſito recedendum eſſet. Finirentur itaque ſtudia omnium Facultatum in feſto Natiuitatis B. V. Mariæ; ad compenſandos vero dies illos, quibus Studioſi altiorum trium Facultatum, nempe Theologiæ, Iurisprudentiæ & Medicinæ diutius quam alii vacare a ſcholis poterant, durent horum vacationes ad Feſtum vſque Sanctorum Omnium. Sic cauſſa peracta eſt.

Die 2. Septembris mortuus eſt *Eraſmus Paſcha*, I. V. D. S. Cæſ. Palat. Comes & Codicis, atque aliquamdiu Iuris Publ. Profeſſor ordinarius, vir Deo hominibusque charus & cælo dignus, vt loquuntur Acta Facultatis philoſophicæ. Sepultus eſt in Templo Diu. Virg. funus portantibus octo Iurium ſtudioſis. Cum eidem iuſta Triceſimi, vt vocamus, perſoluerentur, oratione illum funebri proſecutus eſt *Caſparus Manzius*. Eius epitaphium, quod in Templo academico viſendum exſtat, vnicum eſt monumentum, quod de digno hoc *Beſoldi* ſucceſſore nobis relictum eſt. Sic autem illud habet: *D. M. S. Haue Viator, Eraſmus Paſcha V. I. D. ſacri cæſarei Palatii Comes fui, virtute, Doctrina, prudentia, negotiis bene geſtis Cæſarum, Principum clarus. In Friburg. & Ingolſt. Academia Iura publice laude ſumma docui, plura quieſcenti loqui non vacat, fama dicet. Natus Soltquellis in vet. Marchia Brandenb. A. MDLXVIII. denatus hic æt. LXXV. die II. Sept. A. MDCXLIII. Tu ſi me ſaluum vis, vitam; ego mortem tibi bonam apprecor. Abei, Coniugi optimo Coniunx heu! mœrens poſuit.* De reliqua eius vitæ hiſtoria nihil nobis conſtat. Ex loco natiuitatis arguere fortaſſe liceret, hunc quoque, vt *Beſoldum* a Luthericis ad catholica ſacra tranſiiſſe. Quando ad nos acceſſit, filium ſecum adduxit *Henricum*, Merſpurgi, vt matricula Vniuerſitatis ad annum 1640. teſtatur, natum.

Demortuo *Paſcha*, *Antonius Crollalanza* ad ordinariam Iuris cathedram eleuatus eſt, cum emolumentis Facultatis & ſtipendio

A. 1643.

dio 200. florenorum; qui etiam die 5. Decembris ſolenne lectionum ſuarum principium fecit.

Haud minus feliciter ceſſere preces *Marino Mariano*, Medicinæ Doctori nuper (an. 1641.) apud nos creato, qui & ipſe hoc anno ad Medicorum noſtrorum Collegium tanquam Profeſſor ordinarius admiſſus eſt.

Rixarum apud iuuentutem noſtram academicam nondum hoc anno finis: & videbantur illæ tanto plus habere periculi, quod non priuatorum eſſent, ſed nationum. Poloni, Germani Bohemique inter ſe fuere colliſi. Ventum non raro ad vulnera; & ipſe *Comes Palſius* ſatis aliquando grauiter ſauciatus fuit. Integros nonnunquam dies Senatus academicus conſumſit in componendis huiusmodi cauſſis; nec ſopire tamen omnia penitus potuit.

Ioannes Auguſtinus Wild, Heymersdorfenſis Alſata, I. V. Doctor hoc anno creatus, poſthac ad publicam Iurisprudentiæ cathedram Friburgum Brisgoiæ vocatus eſt.

ANNO DOMINI M DC XLIV.

A. 1644.

Rect. CCCXXXIV. ARNOLDVS RATHIVS, Iur. Prof. &c. II.

Rect. CCCXXXV. IOANNES DVELLERVS, Medic. Prof.

Inſcripti 149.

Nobiles, *Auguſtin. a Leuchſelring*, Rudolfscellenſ.

Ioan. Zbigneus, *Hyacint. Predborius*, *Caſimir. Pacoslaus* } *Lanckoronsky*, Comites de Bizezie, fratres.

Ioan. Henric. Gebſattel, Bambergenſ.

Ioan. Franc. Hörrl a Wattersdorf.

Wolfg. Guil. Frid., *Wolfg. Ferd. Ioach.* } *LL. BB. de Lammingen* & Albenreich, Pragenſ. fratres.

Ioan. Caſp. de Hartung, Palatin.

Carol. Ignat. ab & in Seyboltsdorf.

A. 1644.

Bernard. Philipp. Schad L. B. a Mittelbibrach in Wartshauſen.
Ioan. Franc. a Sandizell.
Franc. Ant. a Mornberg, Tirol.
Frid. Ant. Kotulinski a Kotulin, Sileſ.
Ioan. Chriſtoph. Wilzky a Wilzell, Sileſ.
Chriſtoph. Menrad. Nothaft L. B. de Wernberg.
Iac. Andr. Voglmair a Tierberg, Tirolenſ.
Ioan. Franc. Schrenk, Tirol.
Ioan. Georg. a Seyboltsdorf, Hergertshuſan.
Ioan. Georg. Werndl, Oenipontan.
Ferd. Maximil. } *ab & in Hagenau*, Monacenſ.
Ioan. Zachar. }
Aegid. Henric. a Sprenſegg, Cremſenſ. Auſtriac.
Gualter. Comes Panciaticus, Florentin.
Frid. Leopold. L. B. a Stauding.
Max. Ignat. L. B. de Gumpenberg in Frey- & Altershauſen.

Nou. Prof. *Philippus Hettinger*, Wormatienſ. S. I. Prof. Log.

Nou. Doct. *M. Wernerus la Farine*, Bruntrutan.
Georg. Grindel, Salisburgenſ.
M. Andreas Straidl, Taufkirchenſ.
Iſaac. Heffler, Tirolenſ.
M. Ioan. Bapt. Kreut.
M. Simon. Pilger.
M. Alexand. Olizarouius, Eques Polon.
} *Vtr. Iur.*

Laboratum eſt hoc etiam anno in reformandis Statutis Academiæ. Mandauit de nouo Sereniſſimus, vt deinceps nullus ad Academiam admitteretur, qui abſolutæ Rhetoricæ teſtimonium non afferret. Pugnare hoc contra libertatem Academiæ & contra antiquos ipſius Sereniſſ. Electoris Receſſus putabant quidam ex Patribus academicis; atque id ipſum Monachium perſcribebant. Verum declarauit paulo poſt Sereniſſimus ſpecialibus literis, vt non obſtantibus antiquis Receſſibus punctum illud Statutis inſereretur. Circa vacationes illud denuo mutatum eſt, vt illæ a Feſto S. Bartholomæi initium ducerent; finirentur autem Feſto S. Lucæ.

Aliis

A. 1644.

Aliis literis, menſe Maio datis, Sereniſſimus noſter mandauit, vt Senatus academicus diligenter inuigilet, ne libri pericoloſi in vrbem inuehantur. (*Vid. Annal. Acad. P. IV. Num. LXXII. pag.* 399.) Eum in finem decreuit Vniuerſitas, vt nullus admittatur Bibliopola, niſi Decano & Seniori Facultatis theologicæ libros, quos venum expoſiturus eſſet, ad vnum omnes prius exhibuiſſet.

Die 3. Septembris elatum eſt funus Excellentiſſimi D. Campi Mareſchalli *Ioachimi Chriſtiani Comitis de Wahl*, Vrbis huius Gubernatoris, quod Patres academici omnes comitati ſunt.

Præclarum ingenii ſui ſpecimem dedit *Paulus Schawinski* Comes Polonus, cum *Præſide Burghabero* publicam ex phyſicis Quæſtionibus diſputationem inſtitueret, propoſita *de Quantitate, Continuo & Infinito* Diſſertatione.

ANNO DOMINI M DC XLV.

A. 1645.

Rect. CCCXXXVI. GVIL. LVDOVIC. BENZIVS &c. V.

Rect. CCCXXXVII. IOAN. IACOB. LOSSIVS &c. Inſtit. Prof. Ord.

Inſcripti 158.

Nobiles, *Wolfg. Philipp.* } *a Syberg*, Rauenſteinenſ.
Hermann. Theodor. }
Franc. Guil. Franzin, Eppanenſ.
Chriſtoph. Henric. Baro a Seyboltsdorf.
Wolfg. Carol. a Donnersberg.
Ioan. Nicol. a Werbis, Spirenſ.
Franc. Schönpeck L. B. de Sclupouo, Polon.
Carol. Rudolf. ab Ach, Parmenſ.
Hermann. Iac. Comes ab & in Athems.
Carolus a Perg ab Aach.
Ioan. Chriſtoph. Baro a Sprinzenſtein.
Henric. Carol. a Leuenthal, Pragenſ.
Ioan. Paris Rechlinger, a Golnſtein.
Ioan. Carol. L. B. de Stauding, Bau.

A.
1645. *Ioan. Adam. Rieckh* de Rebrach, Krumlouienſ. Bohem.
Ioan Henric. ab & in Elſenhaim.
Ioan. Sebaſt. Baro de Pötting.
Ioan. Franc. a Siggenhauſen.
Ioan. Chriſtoph. a Grenzing.
Chriſtoph. Theodor. a Mämmingen.
Franc. Matthias a Lampfrizhaim.
Hieronym. Imhof a Gunzelhofen.
Ioan. Albert. } *Barones de Preyſing*, fratres.
Ioan. Ferd. }
Chriſtoph. Leopold. Baro de Thierhaim.
Adam. Khuſchlan a Moſtall.
Nou. Prof. *Chriſtoph. Haunoldus*, Altenthanenſ. Bau. S. I. Prof. Log.
Nou. Doct. *Ioan. Georg. Genzweck*, Conſtantienſ. }
M. Ludouicus Kutzer, Friburgenſ. } *Medic.*
M. Ioan. Faber, Dilingan.
Chriſtoph. Aiglkofer, Landishutan. }

Singulari quadam ſolennitate die 20. Maii victoriam celebrauimus, quam Dux *Mercius* prope Mergenthalium a Gallis reportauit. Scilicet præſentibus Profeſſoribus & frequenti populo decantatus eſt in Templo academico Hymnus Ambroſianus, cum exploſione omnium tormentorum; quodque communem lætitiam non parum auxit, adducti ſunt eadem hora hoſtium eo prælio captorum complures, quos inter *Schmidbergerus* & *Roſa* Duces; qui poſthac, quamdiu apud nos verſati ſunt, ſæpius actus noſtros cum ſacros, tum literarios ſua præſentia, & modeſta quadam curioſitate cohoneſtarunt.

Adamus noſter *Burghaberus* Metaphyſicæ Profeſſor publicas diſputationes ex variis Phyſicæ ac Metaphyſicæ materiis denas omnino inſtituit, plerasque ſumtuoſis theſibus illuſtres. Abſoluit ille hoc anno triennalem Philoſophiæ curſum; variisque dehinc in Academiis diſciplinas theologicas ita tradidit, vt nullam fere illarum partem omiſerit, quam non erudito quodam commentario illuſtrarit, duodeuiginti diuerſis opuſculis Monachii, Dilingæ, Friburgi Brisgoiæ &c. in lucem publicam euulgatis.

AN-

A. 1646.

ANNO DOMINI M DC XLVI.

Rect. CCCXXXVIII. IOANNES DVELLERVS &c. II.

Rect. CCCXXXIX. IOAN. OSWALD. A ZIMMERN &c. VI.

Inſcripti 63.

Nobiles, *Ioan. Franc. a Reuttern* in Schölnach.
Ioan. Erneſt. ab & in Aſch.
Ludouic. de Arimont, Luxenburg.
Ioan. Iac. Brignole, Comes Genuenſ.
Berthold. Bernard. a Pleiſtein, Pragenſ.
Adam. Leopold. Prinz de Buechau, Sileſ.
Ioan. Vitus Rüdt a Collenberg & Schwangau.

Nou. Prof. *Franc. Rechlinger*, Auguſt. S. I. Prof. Theol.
Bernard. Neuhauſer, Monacenſ. Bau. S. I. Prof. Log.
Franc. Storer, Conſtantienſ. Acron. S. I. Prof. Matheſ.

Nou. Doct. *Franc. Lagkelius*, Monacenſ. *Medic.*

Tergemino cum hoſte conflictandum nobis hoc iterum anno fuit; cum Sueco, cuius vicinitas id faciebat inprimis, vt pauciſſimos haberemus ſtudioſos; certe cum Sereniſſ. Elector datis ad vrbis Præfectum literis certior fieri cuperet, quid in caſu neceſſitatis ſperari poſſet a ſtudioſis pro defendenda ciuitate; reſponſum fuit, numerum ſtudioſorum vltra ſeſquicentenos haud aſcendere. Deinde in agros etiam noſtros, ac in circumiacentes maxime pagos non raro ſe hoſtes effuderunt, paſſim omnia vaſtantes.

Alterum malum morbi fuere, qui verſus anni huius finem violentius cæperunt graſſari. His cum accederet lues pecorum, quæ ob hoſtem viciniorem maiore numero ex pagis intra munitiones noſtras coacta fuerant, non exiguus erat timor, ne in contagionem denique illæ febres degenerarent.

Denique & inueteratum illud domeſticarum rixarum malum Patres academicos adeo iterum fatigauit, vt poſt conſultationes plurimas, poſt relegationes, poſt carceres ſatis mederi illis non potuerint; donec ex mandato Sereniſſimi publicum affixum eſt programma, in quo ſeueriſſime monebantur ſtu-

A. 1646. ſtudioſi, ac propoſita ètiam vitæ amittendæ pœna deterrebantur a periculoſis eiusmodi tumultibus. Profuit ea ſeueritas, vt modeſtius ſe gererent.

In Philoſophorum noſtrorum Collegio plures hoc anno mutationes contigere: *Seruilianus Veihelinus* abſoluto curſu ad regendum huius S. I. Collegium eſt admotus, annos nonniſi triginta quinque natus, variis poſthac Collegiis, ac bis vniuerſæ ſuperioris Germaniæ Prouinciæ præpoſitus. *Iacobus Fiua* Matheſeos Profeſſor in Italiam diſceſſit, in Lauretana æde Nationi germanicæ a ſacris obſequiis futurus. Vacuam Matheſeos cathedram & ſacræ linguæ Magiſterium ſuſcepit *Franciſcus Storerus*, qui iam antea aliquod tempus apud nos tranſegerat in cenſendo opere hebraico *Georgii Holzhaii*. Pro *Leonardo Lerchenfeldio* docere Ethicam cæpit *Chriſtophorus Haunoldus*, ſimul Phyſices Profeſſor.

Die 9. Maii in Collegio S. I. obiit *Georgius Holzhayus* Vſſeriedenſis Allgoius, annorum 75. ſenecio, ſtudiorum laboribus, quibus innutritus erat perpetuo, demum exhauſtus. Is, etſi publicus in Academia noſtra Profeſſor non exſtiterit, meretur tamen hanc in Annalibus noſtris memoriam, quod multos annos ſtudiis domeſticis in huiate Patrum Societatis Seminario præfuerit, ac linguam hebraicam & ſacram Scripturam priuatim docuerit; præcipue vero, quod typographias noſtras eruditiſſimorum ſcriptorum editione vtiliſſime occuparit. Vt reliquas eius lucubrationes præteream, quæ certe in hodierna etiam ſcientiarum luce eruditorum criſin ferunt, poſtremis vitæ temporibus Grammaticam & Lexicon hebraicum typis parabat, quod morte præuentus edere non potuit. Memini me opus illud in Bibliotheca Collegii S. I. manuſcriptum videre: nunc quo deuenerit, neſcio. Eius *Euangelia & Epiſtolæ in Feſta & Dominicas cum Notis germanicis*, Ingolſt. 1641. in 8. commendari doctis æque ac indoctis ad quotidianum vſum merentur.

AN-

A. 1647.

ANNO DOMINI M DC XLVII.

Rect. CCCXL. CASPARVS MANZIVS &c. V.
Rect. CCCXLI. IOANNES DÜELLERVS &c. III.
Inſcripti 171.
Nobiles, *Henric. Chriſtoph. a Berndorf.*
Ioan. Albert. } *a Preyſing*, Comites in Ohrt. Ni fallor,
Ioan. Ferd. } renouarunt inſcriptionem. Alibi leguntur *Comites ab Orth & Altenpreyſing.*
Ioan. Ludouic. Baro a Lamberg, Klagenfurtenſ.
Frideric. Alexand. Kotalinzki Baro Polon.
Maximil. Leopold. } *Barones de Mercy*, filii Ducis *Mercii.*
Petr. Erneſt. }
Franc. Wilhelm. } *a Reinach.*
Ioan. Henric. }
Chriſtian. Paul. Voglmayr a Tierberg, Salisburgenſ.
Ioan. Ignat. Mändl ab & in Deutenhofen, Monacenſ.
Ioan. Frid. Hörwart a Schwindegg.
Henric. Matthæus de Recblingen, Patrit. Auguſt.
Ioan. Franc. }
Andr. Felix } *Richel* ab & in Neidlingen.
Maximilian. }
Ferdinand. Franc. a Kronpichl, Auſtriac.
Ioan. Franc. a Rueſtorf.
Henric. Ortlieb Baro de Fränking, Salisburgenſ.
Ioan. Ferd. Erneſt. } *Comites a Wartenberg* in Waldt, fra-
Albert. Erneſt. } tres, filii Comitis *Bennonis.*
Iul. Ferd. Baro a Iaroſin, Sileſ.
Franc. Baro a Schwendi, Sueu.
Chriſtoph. Ferd. a Gözengrien, Mosburgenſ.
Ioan. Franc. } *ab Edling*, Barones Styri.
Ioan. Iacob. }
Franc. Pancrat. a Leibelfing Baro.
Nou. Prof. *Wolfg. Sigiſm. Brem*, Gumprechtshof. Palat. Medic. Doct. & Prof.
Henric. Henrich, Tugienſ. Heluet. S. I. Prof. Log.

A. 1647. Nou. Doct. *Ioan. Antoninus*, Roboretan. S. I. Prof. Ethic.
Franc. Mayr.
Hieron. Ensmann, Dünkelſpühl.
Ioan. Georg. Lang, Viennenſ.
Eraſm. Chriſtian. Zollitz, Egrenſ.
Caſparus Faber.
M. Frid. Alexand. Baro Kotalinski.
M. Ioan. Zeiler, Syndic. Ambergenſ.
Ferdinand. Wendlinger, Can. Landishut.
Ioan. Conrad. Oſtermayr, Aduocat. Amberg.
Balthaſ. Lang, Aduocat. Neoburg.
Vdalric. Kreuzinger, Aduocat. Landishut.
Paul. Krieger, Rubendorfenſ. *Iur. Can.*
} *Vtr. Iur.*

Neque hoc etiam anno quies nobis ab hoſtibus fuit: fere prope ipſa vrbis mænia duo ex noſtratibus ſtudioſis intercepti ſunt, atque Rainam pertracti ab hoſtili equite. Deliberatum eſt a Senatu academico, num pro illorum liberatione ſcribendum eſſet per tubicinem, quem huias Colonellus quidam miſſurus erat pro liberandis duobus ſuis militibus itidem captis. Sed concluſum fuit, nihil eſſe illorum cauſſa agendum; tum quod nemo hoc pro illis patrocinium poſtulaſſet; tum quod contra leges Academiæ exiiſſent tempore ſcholarum, & quidem cum bombardis; tum denique quod hoſtes potius anſam arrepturi eſſent maius exigendi litrum.

Sed morbi inteſtini nos grauius habuere; ex ipſo enim Profeſſorum numero duos nobis eripuere inſignes Medicos *Marinum Marianum* & *Wolfgangum Hœuerum* ſeniorem. Tenebat hanc cathedram *Marianus* inde ab anno 1643.; graſſante autem hoc anno febri hungarica, cum ad ægrotantes magna cum charitate ac induſtria ſæpius inuiſeret, ipſe quoque idem malum contraxit, & Calendis Martii omnibus morientium ſacramentis rite munitus, pie ex eodem obiit. Sepultus eſt ad Diuæ Virginis magno ac frequenti cum comitatu. In defuncti locum mox duo ſeſe candidati ſtitere, *Wolfgangus Sigismundus Bremius* & *Raphael Schmuzenius*, ille ab Ambergenſibus, apud quos Medicinam exercebat, hic a Neoburgenſibus commendatus. His tertius dein-

A.

deinde acceſſit iunior *Hœuerus*, *Wolfgangi* Medicinæ Profeſſoris filius. Hi tres cum Sereniſſimo pro vacua Medicinæ cathedra ſupplicaſſent, veniunt initio Aprilis literæ eiusdem ad Senatum academicum, vt vnum ex tribus præ ceteris eligendum proponeret. In pleno Patrum concilio, quod die 5. Aprilis eo ſuper negotio habebatur, *Schmuzenius* inprimis omnium calculo iterum, vt anno 1638. reiectus eſt. Deinde viſum eſt pluribus, reſcribendum eſſe Sereniſſimo, e re Academiæ fore, ſi *Hœuero* ſeniore pro emerito declarato, duo noui Medicinæ Profeſſores, *Bremius* & *Hœuerus* iunior inſtituerentur. Quodſi tamen nonniſi vnus aſſumendus videretur, iuniorem *Hœuerum* præferendum eſſe, tum quod magis de ipſius doctrina & diuturniore praxi conſtaret, tum quod in parentis ſeniculi cederet ſolatium. Quid Sereniſſimus de *Hœuero* iun. decreuerit, non inuenio: de *Bremio* autem certum, quod menſe Decembri Profeſſor Medicinæ ordinarius conſtitutus, die 13. ſequentis anni ſolenne principium habuerit. 1647.

Die 12. Nouembris ſub horam ſextam veſpertinam apoplexia tactus exſpirauit *Wolfgangus Hœuerus* Medicinæ Doctor & Profeſſor, anno ætatis ſeptuageſimo octauo, profeſſionis medicæ trigeſimo tertio. *Ioannes Düellerus*, tunc Rector Vniuerſitatis, honorandæ ipſius memoriæ orationem funebrem recitauit, quam & typis poſtea edidit. *Hœuerum* patria Miſnienſem fuiſſe, quod *Grienwaldius* neſciiſſe videtur, Acta philoſophica teſtantur. Bononiæ autem creatum doctorem, & Salisburgi primum, dein Friſingæ praxi medica inclaruiſſe ex eodem *Grienwaldio* ſupra retulimus ad annum 1614. quo ad noſtram Academiam Medicinæ Profeſſor acceſſit. Anno 1621. huias Magiſtratus ciuicus eundem ob felicitatem praxeos ſuum Phyſicum eſſe voluit, conſtituto ſalario annuo 200. florenorum. Multum ciuitati præſtitit in peſte illa grauiſſima an. 1634. (apud *Grienwaldium* per typi errorem annus 1643. notatur) cum in prælio Nördlingenſi egregius heros *Montecuculi* occubuiſſet, *Hœuerus* noſter eius cadauer Ingolſtadii pro itinere in Italiam, & vlteriori durationе præparauit. Præparationis aut Balſamationis methodum videſis apud filium eiusdem itidem Medicum Viennæ quondam inclytum, poſt S. Cæſ. Mai. Aulæ Medicum, *Herculis Medici* Autho-

A.
1647. rem celebratiſſimum. Hortum medicum domi ſuæ aluit inſtructiſſimum, teſte *Phil. Maurit. Schönlino.* Ita *Grienwaldius in Albo Bau. Iatricæ* p. 65. vbi ſequentia *Hœueri* ſcripta recenſet: *Methodus Pharmaceutica*, 1625. *Methodus præcauendæ curandæque peſtis.* 1626. *Eadem recognita ad vſum academicum & politicum*, 1634. *Diſput. de Lue venerea; de Phthyſi; de Functionum humanarum integritate; de Corporis humani, ſingularumque partium doloribus; de Apoplexia*, 1637. *De Angina*, 1638. *De Arthritide*, e. a.

Videntur ad hunc annum referenda eſſe initia Inſtituti Clericorum ſecularium in commune viuentium, quod vti feliciſſime apud nos natum, ita hodiedum hic maxime floret. *Bartholomæus Holzhauſerus*, de quo iam ſupra quædam innuimus, Wertingæ Sueuorum, quæ hodie Boicæ eſt ditionis, oriundus, eius Inſtituti Author petierat a Sereniſſ. Electore, vt Ingolſtadii aliquot Studioſi, qui Inſtitutum Clericorum vitæ communis ſequi cuperent, ſuſtentarentur. Reſcripſit ad Academiam Sereniſſimus, vt, quot in Collegio Georgiano habitare, quæ illis ſtipendia conferri poſſent, facta inquiſitione ad ſe referatur. Adiunctus erat literis Sereniſſimi etiam libellus ſupplex *Holzhauſeri*, & commendatitiæ *Ioannis Verueaux* Confeſſarii Electoralis. Congregatus igitur eſt die 22. Nou. Senatus Academicus cumque iam antea Rector Magnificus Regenti Collegii Georgiani mandaſſet, vt informationem quamdam de re tota conſcriberet, & Senatui traderet, hæc ipſa tunc lecta eſt: Præcipua illius capita fuere, nec hypocauſta ad habitandum ſufficere, quippe quorum pleraque a cuſtodibus captiuorum militum illic detentorum nunc occuparentur; nec lectos adeſſe ad dormiendum, nec ſtipendia etiam vacare, immo pleraque illorum hoc belli tempore ſuis deſtituta eſſe redditibus, & vix ſuſtentando Regenti, atque paucis, qui nunc adeſſent, aliis ſufficere; deinde adiunxit, hoc *Holzhauſerianum* Inſtitutum ac Iuramenta pugnare cum legibus & ſtatutis Collegii Georgiani. Addebat his Procancellarius, lectis, quas penes ſe habebat, ſchedis, ſtipendia omnia iam ſuos habere Patronos, nec de illis pro libitu diſponi poſſe.

Hæc atque alia huiusmodi cum Monachium perſcriberentur, parum abfuit, quin ſalutare Inſtitutum Ingolſtadio excludeꝛ

A. 1647.

cluderetur. Biennio adhuc integro laborandum fuit, dum pium conſilium de inſtituendo hic loci Seminario executioni mandaretur. *Ioannes Iacobus Loſſius* Iuris Profeſſor ac pientiſſima eiusdem coniux, cum fortunæ bonis ſatis florerent, tota negotii mole in ſe ſuſcepta, & Iuuenes Seminarii Alumnos, & eorum Præfectum in ſuas ædes receperunt, victu, lectis, aliaque neceſſaria ſuppellectiie per quatuor annos benefice ſubminiſtratis.

ANNO DOMINI M DC XLVIII.

A. 1648.

Rect. CCCXLII. GVIL. LVDOV. BENZIVS &c. VI.

Rect. CCCXLIII. IOAN. ANTON. CROLLOLANZA, Inſt. Iuris Prof.

Inſcripti 77.

Nobiles, *Carolus Comes a Straſoldo*, Foroiulienſ. natus Florentiæ.
Ioan. Stephan. L. B. a Stauding, Can. Friſingenſ.
Ioan. Iacob. Hörwart ab Hohenburg.

Nou. Prof. *Sigismund. Schnurrenberger*, Werdenſ. Palat. S. I. Prof. Theol.
Franciſcus Strobel, Monacenſ. Bau. S. I. Prof. Log.

Nou. Doct. *Menrad. Bernard. Vorwaltner*, *Ioannes Balthaſar Stang*, } Neoburg. Palat. *Med.*

Ita hoc iterum anno conflagrauit vicinia noſtra bello, vt oculis etiam ſpectare cruentas velitationes licuerit. Dies 19. erat menſis Auguſti, cum mane circa ſeptimam exploſis maioribus tormentis datum eſt ſignum abeſſe non procul hoſtem, quem & vidimus haud procul a noſtra vrbe turmatim tranſeuntem. Rediit ille veſperi cum ingenti præda abactorum ex pagis pecorum. Dato iterum e tormentis ſigno, turma equitum noſtrorum in illum prærupit Gaimersheimium verſus. Voluntarium ſe illis militem iunxerat *Wolfgangus Ludouicus Baro Gumpenbergius*, Præfectus Kelhemii; ſed hic interceptus ab hoſte, equo ſcilicet illius collapſo, non ſolum ad intimam vſque ſubuculam ſpoliatus, ſed vndecim etiam vulneribus interfectus eſt,

A. 1648. relicto cadauere, quod in vrbem illatum & in Templo B. V. sepultum est, multum dolentibus coniuge, & duobus filiis.

In Academia quoque bellum exarsit, sed literarium *Casparo Manzio* incentore. Hic quam erat magno vir ingenio, & præstanti literatura, tam alienus erat a Philosophia peripatetica, quæ tum in Academiis passim dominabatur. Hæc animi sui sensa & sermonibus, & scriptis etiam literis non obscure prodebat; quin & typis commisit commentarium, quo nouam proponebat Philosophiæ tradendæ methodum hoc titulo: *Caspari Manzii Iurium & Philos. Doctoris, in Electorali Vniuersitate Ingolstadiensi Professoris Iudicium super illa quæstione: Vtrum dari possit melior, & pietati christianæ conformior modus docendi Philosophiam, quam sit vulgaris?* Sed hoc scriptum occultabat interea, dum opportuna sese offerret occasio illud euulgandi. Accidit mense Iunio, vt *Christoph. Haunoldus* Metaphysices Professor Magistros pro more creaturus, Orationem præmitteret huius thematis: *An acutior hodie Philosophia plus lædat ingenia, quam excolat ad alias Facultates?* Dictum hoc fuerat ab *Haunoldo* contra Iurisconsultum quemdam Carinthium, cuius acerbas in Philosophos illius temporis literas Professor Iurium *Lossius* ad nostros Philosophiæ Professores detulit. *Manzius* suam iniuriam interpretatus, quæ *Haunoldus* perorauerat, altero mox die suum, de quo diximus, *Iudicium* in vulgus sparsit. Inde noua in ipsum *Manzium* sumta sunt tela, quod nimirum illud opusculum edidisset sine die, vt loquimur, & consule, sine loco & auctore typi, & quod præcipuum, sine approbatione atque censura. Quibus de capitibus cum Facultas philosophica *Manzium* apud Rectorem Vniuersitatis accusaret, non inueniebat ille sufficientia, quæ opponeret, responsa. Tergiuersatus igitur, interea ad Reuerendissimum Principem Episcopum Eystettensem scribit, atque ab eodem petit, vt Commentarium suum, quem olim iam, antequam imprimeretur, ostendisset sibi non displicere, nunc Episcopali auctoritate approbaret. At negauit ille, id se facere certas ob causas posse; curaturum tamen, ne ipsi quisquam eo nomine molestus esset. Scripsit vero Reuerendissimus per Vicarium suum Rectori Vniuersitatis *Benzio*, vt suis interpositis partibus componere controuersiam quamprimum conaretur; deinde Profes-

sori-

A.
1648.

ſoribus Philoſophiæ ſignificari per eundem fecit, gratum ſibi facturos, ſi nullam præterea de approbatione litem *Manzio* mouerent. Tota cauſa hunc denique in modum complanata eſt: Magnificus Academiæ Rector aduocatis menſe Iulio Senioribus Patribus citari etiam *Manzium* iuſſit, vbi a quodam Iuris Profeſſore nomine Rectoris reprehenſus eſt, velut pacis inter Facultates læſæ reus; prohibitumque illi, ne vllum deinceps de Commentarii ſui exemplaribus venderet, neue quid impoſterum contra Facultatem philoſophicam ſcriberet, aut diceret. Atque his quidem *Manzius* acquieuit. De eo autem *Manzii* Commentario, vt id, quod res eſt, fateamur; ſcriptus ille eſt prorſus ad guſtum illorum, qui bene hodie de Philoſophia ſentiunt. Quod aduerſarios tum habuerit, ſolius temporis erat vitium: quamuis & Patroni eidem non defuerint, inter quos non poſtremus videtur fuiſſe *Wolfgangus Grauenegius*, antehac Theologiæ apud nos per quinquennium Profeſſor, cui *Manzius* totum opuſculum inſcripſit.

Ioannes Düellerus Medicinæ Profeſſor circa idem tempus conſilium cœpit prorſus ſingulare; ſcilicet cum duos haberet Doctoratus medici Candidatos, atque ex his vnum proxime matrimonio copulandum, in Templo B. V. huic conferre gradum parabat, iamque per literas ab Epiſcopo Eichſtettenſi eam ſibi licentiam expetierat. Re cognita Senatus Acad. vnanimi omnium conſilio (vnico de Facultate medica excepto) concluſit, id illi neutiquam concedendum; & ſiquidem deſtinaſſet perurgere rem hanc, atque Reuerendiſſ. etiam Ordinarius conſenſiſſet, potius nullum e toto Senatu academico compariturum. Sed & Epiſcopus petitam Facultatem negauit.

Pertinet illud quoque ad Collegium Medicorum; ſcilicet decreto Sereniſſimi prohibitas fuiſſe tam crebro repetitas demonſtrationes anatomicas, præcipue ſtudioſis omnibus promiſcue ad illas accurrentibus; deinceps ſolis Medicinæ Studioſis concedendum eſſe liberum ad illas acceſſum.

Exitum anni neſcio an vnquam triſtiorem Academia habuerit, quam huius 1648. quo fere vnam intra ſeptimanam ſeptem Studioſorum funera extulit.

AN-

A. 1649.

ANNO DOMINI M DC XLIX.

Rect. CCCXLIV. WOLFGANG. SIGISMVNDVS BREM, Med. Prof.
Rect. CCCXLV. IOAN. OSWALDVS A ZIMMERN &c. VII.
Inſcripti 65.

Nobiles, *Franc. Albert. Gobelius* ab Hofgitting (Hofgiebing).
Carol. Henric. Rhelinger in Golnſtein.
Dominicus Anton. Pflüegel a Wolfsegg; Ambergenſ.
Iacob. Matthias a Leubelfing.

Nou. Prof. *Ioan. Euang. Thanner*, Monacenſ. Bau. S. I. Prof. Log.
Marquardus Ebingen, Perſtingenſ. Würtenberg. S. I. Prof. Ethices.

Febribus hungaricis, aut cuiuscunque nominis ea contagio fuerit, ad Iunium vſque menſem atrociter ſæuientibus, cum multi iam Studioſorum ſublati, alii vero periculo territi alio dilapſi eſſent, ſupplicatum eſt Sereniſſimo, vt anticipare hoc anno vacationes, & antiquo more a 13. Iulii die inchoare illas liceret. Non tantum conceſſit Sereniſſimus quod petebatur, ſed & conſilium Academiæ laudauit. Sub finem vacationum minorum nempe 18. Octob. cum vis peſtilentiæ nondum remiſiſſet, & iterum ad initium Nouembris eadem cauſa perſiſtente concluſum eſt, differendas eſſe prælectiones ſcholaſticas, dum liberi omnino eſſemus a metu contagioſæ luis. Tandem 10. die Decembris omnium Facultatum lectiones cœptæ ſunt, quod ipſum tamen Sereniſſ. Elector, cum non exſpectata eius approbatione factum eſſet, improbauit, cum mandato, vt ſi forte inchoata ſtudia nondum eſſent (nam aduenerunt literæ 19. Dec.) ante Ferias natalitias non inchoarentur. Scholæ Gymnaſii inde a Feſto S. Michaelis ad 10. Ianuarii ſequentis anni apertæ non fuerunt, quod plus tempore peſtis videretur periculi eſſe a pueris in vnum locum coactis, quam ab adultioribus. Ita certe rem Collegii S. I. Rector cum illis, quibus præcauendi vlterioris mali cura ſpecialis demandata erat, *Caſparo* ſcilicet *Denichio*, & *Ioanne Düellero* pertractauit, accedente etiam Sereniſſimi conſenſu.

A. 1649.

A Facultate theol. petebat hoc anno Abbas *Fürſtenfeldenſis* cenſuram libri, cui titulus: *S. R. I. Pax licita demonſtrata*, in quo *Ioannes Caramuel Locouiz*, Theol. Doct. & Abbas Ord. Ciſterc. XI. Propoſitionibus oſtenderat, pacem inter FERDINANDVM III. Imp. & CHRISTINAM Sueciæ Reginam tuta conſcientia concludi potuiſſe, immo ex hypotheſi ſub peccato mortali debuiſſe. Propoſuit rem *Benzius* tum Decanus in Concilio Facultatis. Sed negarunt Patres fere vnanimiter, ſe vnquam hoc in negotio calculum ſuum interpoſituros. Ad Iureconſultorum etiam Collegium delata eſt eadem cauſſa; licet mihi haud conſtet, quid ab illis reſponſum fuerit.

Eadem Facultas conſultiſſima inſignem hoc anno Iuris vtr. Licentiatum creauit *Ioannem Venerandum Wittenbach*, Enſishemienſem Alſatum, qui cum per biennium Philoſophiam, & Iurisprudentiam vltra quadriennium audiuiſſet, in rigoroſo examine, quod gradibus academicis præmitti ſolet, ita ſatisfecit, vt iam tum Collegii Iuridici Patres opinionem de illo ac ſpem conceperint, *fore vt Reipublicæ plurimum ſit profuturus*, quæ verba ſunt actorum illius anni. Et vero iſtud quaſi vaticinium feliciſſime impletum fuiſſe illud ſatis probat, quod paullo poſt S. R. I. Eques ac Liber Baro, ſuperioris Auſtriæ Conſiliarius intimus, & Comitatus Tirolenſ. Cancellarius a Cæſare ſit conſtitutus.

ANNO DOMINI M DC L.

A. 1650.

Rect. CCCXLVI. CASPARVS DENICHIVS &c. II.

Rect. CCCXLVII. GVIL. LVDOV. BENZIVS &c. VII.

Inſcripti 129.

Nobiles, *Franc. Lambertengus*, Italus ex Valleſina.
Ioan. Georg. Hörwart ab Hohenburg. Monac.
Franc. Ligſalz, Eckmillenſ.
Ioan. Benno Thalmann a Nidernfels. Monac.
Ioan. Philipp. Leoprechting, Schardingenſ.

A. 1650.

Ioan. Rupolph. } *a Plaz* in Thurn, Prouinciales Salis-
Ioan. Franc. } burg.
Ioan. Paul. L. B. ab Aldringen.
Henric. Frideric. de Kielmanseck, Viennenſ.
Guil. Henric. Mylander, Belga.
Ioan. Caſpar. Ganth (fort. *Barth*) ab Hormatting, & Gö enbach.
Leopoldus Zötel, de & in Grieſſenſtein, Tirol.
Franciſcus a Brudtew, *Baro Mielzynski*, Polon.
Marſilius Merſius, Tridentinus.
Iulius Foſſatus, } Mediolanenſes.
Aeneas Cribellus, }
Otto Henricus L. B. a Seybolſtorf.
Franc. } *Barones a Cloſen* in Haidenburg &.
Ludouic Bernard. } Hinterholzen.
Dominic. Franc. Trainer ab Hörmanſtorf & Martinsbuch.
Ioan Hector Schad Baro de Mittelbibrach.
Philipp. Carolus } *a Berndorf* in Gaill.
Franc. Bonauent. }
Ioan. Caſp. } *Puck* ab Egenhofen, Monacenſ.
Georg. Franc. }
Franc. Hölzel ab & in Stockh.
Franc. Sigism. Eiſenreich de Haunendorf.
Ioan. Chriſtoph. Scheneck in Dinkelſcherben.
Ioan. Conſtantin. Khern a Vilslehrn.
Eitelius Theodoric. de Gemmingen in Staineck, Sueuus.
Ioan. Wencesl. Ferdin. Auſteczki a Feſtenberg, Brundusienſ.

Nou. Prof. *Iſaias Molitor*, Conſtantienſ. S. I. Prof. Theol.
Ioannes Iörgenbueber, Eggenfeldenſ. Bau. S. I. Prof. Ethic.
Marquard. Ehingen, vt ſupra, Prof. Matheſ. & S. Ling.

Nou. Doct. *Adam. Leopold. Prinz*, Eques Sileſ. }
Franc. Schönbueber, }
Ioannes Rörl, } *Vtr. Iur.*
Theodorus Baër, Weſtphal. }
Ioan Georg. Iobſt. }

Fran-

A. 1650.

Franciſcus Benz,
Ioannes Widmann,
Bartholom. Viſcher,
Simon. Flunch,
Ioan. Andreas Schärpfer,
Wolfg. Reichmair,
Wolfg. Millauer,
Leonard. Wideman,
Caſparus Ruepp,
} *Vtr. Iur.*

Ex Collegio philoſophico ſimul & Vniuerſitate abiit menſe Octobri *Franciſcus Storerus*, Matheſeos, & Linguæ Sacræ Prof. ad Milliones Aethiopicas vocatus, cui muneri tum inſigni rerum Mathematicarum ſcientia, tum variarum linguarum peritia aptum ſeſe a multis annis reddiderat. Eius loco ad Lectiones Matheſeos translatus eſt *Marquard. Ehingenius*, Ethices antea apud nos Profeſſor: curſum vero philoſophicum iterato inchoauit *Henricus Heinrichius*.

Eiusdem Facultatis emolumentis egregie hoc anno conſuluit Senatus academicus cum pleno in Concilio die 16. Nouembris concluderet, neminem ad vllum gradum in quacunque arte deinceps admittendum, qui per biennium Philoſophiam non audierit, quod ipſum Sereniſſ. Elector ſpeciali decreto Inclytæ Facultati conceſſerat.

Iuris quidam Studioſi inſtituebant ab aliquo tempore Collegia priuata, bina quotidie aut etiam plura, & Lectionum quidem tempore, non ſine Profeſſorum quorumdam contemtu, & auditorum, publicarumque Lectionum diſpendio. Id ferendum haud putabant conſultiſſimæ Facultatis Patres; ſed maturo prius habito conſilio ex mox dictis cauſis, nec non pro maiori Profeſſorum concordia & auctoritate tuenda ſtatuerunt atque ſanciuerunt; ne deinceps ſtudioſi repetitiones, vel Collegia eiusmodi inſtituere præſumerent, niſi prius Decano Facultatis ſeſe exhibuiſſent, & ab ipſa Facultate eam licentiam præmiſſo quodam examine, vt alibi moris eſt, impetraſſent.

A. 1651.

ANNO DOMINI M DC LI.

Rect. CCCXLVIII. ARNOLDVS RATHIVS, Cod. Prof. &c. III.
Rect. CCCXLIX. IOANNES DÜELLERVS, Med. Prof. &c. IV.
Inſcripti 155.

Nobiles, *Maximilian. Ludouic. Comes de Lodron.*
Ferdinand. Manicor, Tirolenſ.
Wenceslaus Comes de Thun, Can. Salisburg.
Caſimir. Ferdinand. Baro a Metternich.
Nicolaus Marand, Lotharingus.
Michael Nidermayr, ab Altenburg, Monac.
Maximil. Ferdin. Comes a Törring in Seefeld.
Ioan. Adam. Moll, Auſtr.
Aſſenſus Triangi, Tridentin.
Petrus Paulus a Powodow, Powodowsky, Comes in Wolſtein, Eques Polon.
Ioannes Franciſcus } *Murath*, Monacenſ.
Ioan. Wilh. *Ioan. Georg.* } *Stettner*, de Grabenhof, Auſtr.
Erneſtus Emericus *Ignat. Damian. Helfrid.* *Franciſcus Ferdinandus* *Paulus Carolus* } *S. R. I. Comites de Tilly* in Braittenegg, Weiſſenberg, Tillisburg, fratres germani, *Werneri* filii.
Ioan. Octauian. Imhof a Ginzelhofen, Bau.
Ioan. Henr. Mauritius Baro de Rorbach.
Ioan. Iacob. de Vaggby, L. B. ab Adelsberg, Auſtr.
Anton. Simon *Iacobus* } *Comites a Thun* & Caſtri.
Wolfgang. Maximil. L. B. de Lammingen.
Ioan. Nicolaus a Montenach, Frib. Helu.
Caſpar. Zeleuski, Eques Polon.
Theodorus de Raët, Nouiomagus.
Ioan. Guilielm. Mändl a Steinfels, Palat.
Ioan. Georg. Troyer ab Anshaimb, Tirolenſ.
Georg. Sigism. Kazianer L. B. de Kazenſtein, Auſtr.

Ioan.

A.

Ioan. Bapt. Loſſius, Can. Curienſis. 1651.

Nou. Prof. *Ludouicus Thanner*, Küzbüchel. Tirol. S. I. Matheſ. & S. Linguæ Prof.

Philippus Hettinger, Wormatienſ. S. I. Prof. Ethic.

Tobias Lohner, Neoötting. Bau. S. I. Prof. Log.

Nou. Doct. *Georg. Dez*, Salisburg.

Hieron. Duzmann, Aduocat. Lincenſ.

Wilh. Ignat. Plebſt, Aduocat. Landishut.

Ioan. Balth. Ernſt, Aduocat. Landishut.

Ioan. Leutner, Landishut.

Ioan. Georg. Werndl, Oenipontan.

Hieron. Strumer, Landishut.

Valent. Schwaighauſer, Erdingan.

Ioan. Georg. Ziegler, Monac. } *Vtr. Iur.*

Chriſtoph. Heyslinger, Landishut.

Ioan. Caſparus Schmid, Monac.

Frid. Brum, Burghuſ.

Ioan. Bapt. Sigersreiter, Straubing.

Balth. Andenſteiner, Ingolſtad. Aduocat.

Ioan. Paul. Weinmeiſter, Vice-Præf. in Oſterhofen,

Carolus Borrom. Mair, Can. Oetting. *Iur. Canon.*

Benno Reiſchl, Monac.

Ioan. Georg. Widmann, Biſchofsheimenſ. Franco. } *Med.*

Nihil memorabilius hoc anno, ſed & nihil luctuoſius nobis accidit, quam obitus Sereniſſ. Principis ac Domini noſtri MAXIMILIANI Electoris, Herois ſummi, & veri Patriæ Patris. De huius virtutibus, quam etiam copioſe ſcripſerunt Rerum Boicarum Hiſtorici, digne tamen ſcribere nemo poteſt. Ego vltimos pretioſiſſimæ vitæ dies, quos noſtro in conſpectu tranſegit, ſtrictim delineabo.

Venit ad nos MAXIMILIANVS cum Sereniſſ. coniuge, ac duobus filiis die 17. Septembris. Senatus Acad. ad arcis ingreſſum excepit aduentantem Principem, qui detecto capite Patribus academicis omnibus humaniter ſalutatis dexteram ad oſculum porrexit ſingulis, quod & reliquæ fecerunt Perſonæ

A. 1651. Principes. Die 19. eiusdem menſis Magiſtratus acad. ad Sereniſſ. Principis FERDINANDI MARIAE alloquium eſt admiſſus, quem Rector Vniuerſitatis latina oratione ſalutauit; paucis Princeps ipſe reſpondit, tum vero mandauit doctori *Marquardo* Præceptori ſuo domeſtico, vt pluribus ſuo nomine academicis Patribus reſponderet; quod ille expedite præſtitit. Cumque cuperent iuniores Principes fratres, idem FERDINANDVS MARIA, & MAXIMILIANVS PHILIPPVS, Depoſitionis, vt vocamus, cerimonias coram ſpectare, hæc illis in ipſa arce a Quinto, ordinario eius rei miniſtro exhibitæ fuerunt.

Die 20. cœlo licet pluuio & perfrigido Bettbrunnam ad maiorem Saluatorem, vt loqui ſolemus, piam peregrinationem inſtituit. Alteram lucem, quæ erat D. Matthæo ſacra, iterum religionibus ſuis ſacrauit, cum in Templo S. Crucis Miſſæ ſolemni, & ſacræ orationi adeſſe voluit. At poſtridie malum, quod ex humidi, frigidique cœli inclementia videbatur contraxiſſe, adeo augeri cœpit, vt Vrbis noſtræ tutelam, D. Mauritium venerabundus, vt conſtituerat, adire non potuerit, lecto iam affixus, in quem Diarrhea ipſum coniecerat adeo vehemens, vt facile appareret exitium allatura.

Interea dum accerſuntur Medici Monachio, dum pro ſalute cariſſimi Principis comprecationes fiunt in Templis, ipſe ad mortem pie obeundam ſe parat, & paullo poſt omnibus Sacramentis rite munitus etiam ſancte obit circa medium quartæ matutinæ die 27. Septembris, qui SS. Martyribus Coſmæ & Damiano ſacer fuit. Inteſtina eodem adhuc die circa octauam veſpertinam a præcipuis aulæ miniſtris pompa funebri, præſentibus duobus iunioribus Principibus, Senatu acad. & vrbis Conſulibus ad Templum D. V. delata, ibique in choro ſepulta ſunt, vti marmoreum, quod ibi extat, monimentum hodiedum ſub hac inſcriptione teſtatur: *Hac lamina Maximiliani vtr. Bau. Ducis, S. R. I. Archidap. & Electoris, Com. Pal. Rheni, Landg. Leuchtenberg. hic XXVII. Septemb. A.* MDCLI. *piiſſime defuncti viſcera teguntur, quæ decuit in æde Matris Dei tumulari, penes quam ſunt viſcera miſericordiæ. Ipſe maiorum Iure ſuis meritis, & iuſto factorum ordine Electoratum poſtliminio reduxit in ſuam domum.*

Cada-

A.
1651.

Cadauer defuncti Principis 29. Septemb. carpento in morem feretri pullato impoſitum, translatum eſt Monachium, proſequente iterum ad pontem vſque Danubianum Senatu acad. Sequenti die Sereniſſ. Electrix cum duobus iun. Principibus ſecuta eſt. Academia Sereniſſimo MAXIMILIANO exequias celebrauit 5. die Decembris, præmiſſis pridie vigiliis, vt vocamus, quibus Profeſſores omnes interfuere. *Phil. Hettingerus* Profeſſor Ethices in pleno Senatu ad id conſtitutus orationem habuit de laudibus Sereniſſimi Electoris, ſe, Academia, & tanto Principe dignam.

Salutauit Vniuerſitas etiam Legatum VICTORIS AMADEI Ducis ſabaudiæ, qui 30. die Martii Ingolſtadium acceſſerat; ita enim volebat Sereniſſimus MAXIMILIANVS, vt Legatus ille & a Profeſſoribus acad. ſecularibus, & a ciuitate armata excipereſtur, ad honorandam nimirum in eius perſona Sereniſſimam ſponſam FERDINANDI MARIAE, ſabaudiæ Ducis filiam HENRIETTAM ADELHEIDEM.

Venit paullo poſt 2. Maii ad Academiam *Commiſſarius* electoralis Doctor *Krebſius*, in cauſſa ſtudioſorum, qui putabantur grauius deliquiſſe, & grauiori pœna digni eſſe, quam Senatus iudicaſſet. Ille igitur, cum poſtridie congregatis in Stuba academica Magnifico Rectori & Decanis ſuam *commiſſionem* intimaſſet, ſingularum Facultatum Profeſſores ſucceſſiue ſuo in hoſpitio adeſſe iuſſit, vt ad interrogationes nomine Sereniſſimi proponendas reſponderent. Docuit vero euentus, Patres academicos in illa ſtudioſorum cauſſa ſuo officio ſatisfeciſſe. Quid in particulari actum a Commiſſario, vel concluſum a Sereniſſimo fuerit, nuſpiam deſcriptum inueni.

A Facultate noſtra theol. mox ad initium huius anni ex ipſa vſque Italia expetitum eſt reſponſum ſuper hac quæſtione: *An ſententia, quæ aſſerit, eos proprie eſſe Martyres, qui tempore peſtis ſe bono zelo exponunt periculo vitæ, in eoque moriuntur, cenſenda ſit probabilis quoad principia intrinſeca?* Poſt multam deliberationem concluſum per maiora, nondum conſtare ſufficienter de probabilitate huius ſententiæ. Atque iſtud iudicium Facultatis Authori ſententiæ affirmantis, qui ipſus ſibi illud exquiſierat, fuit communicatum.

Eadem

A. 1651. Eadem Facultas ſacra, cum die 10. Aprilis huius anni *Georgius Stengelius* emeritus Theologiæ Prof. obiiſſet, hoc illi Elogium in Schola Theologorum ſcribendum curauit: *Georgius Stengelius S. I. Auguſtæ natus, poſt philoſophicas diſciplinas traditas, theologicas multis annis docuit ſemper ab ingenio, & claritate commendatus. Politiorum quoque literarum apprime peritus, ad concionem, & ad Sodales Parthenios ſumma eruditionis laude, maxima eloquentiæ vi, & animarum fructu pluribus annis dixit. Sed non minus ore quam calamo celebris, ſcriptis plurimis de diuerſo argumento libris immortale ſibi nomen, Regum, Principumque gratiam, & amicitiam comparauit. Poſtquam Collegio, & Academiæ Dilinganæ Rector præfuit, reliquam vitam librorum ſuorum in monumentis concinnandis, & parthenio cœtu excolendo laudabiliter transegit Ingolſtadii, vbi & mortuus IV. Idus Aprilis A. MDCLI. æt. LXVII.*

Docuit autem *Stengelius* apud nos Theologiam moralem vno, Scholaſticam octo annis, quo ingenio, qua induſtria is fuerit, Monumenta literaria typis edita ſatis teſtantur; varii enim argumenti libros edidit vltra ſeptuagenos, quos *Nathanael Sotuellus in Biblioth. Scriptorum Soc. IESV* pag. 295. recenſet.

Caſparus Manzius hoc iterum anno Collegii philoſophici inuidiam nullo ſuo, vt mihi videtur, merito incurrit. Curauerat is nouam editionem *Philoſophiæ Chriſtianæ Ludouici Granatenſis*, cui Epiſtolam dedicatoriam aut ipſe aut eius nepos Doctor *Schmidius* adiecit. Hæc offenſionis continebat ſementem; hærentibus ſcilicet adhuc aculeis ex nupera de modo philoſophandi controuerſia, facile offendi & oculi & animus potuere ob quasdam ſententias, quæ cum *Granatenſis* librum commendarent, Philoſophiæ peripateticæ præiudicium facere viderentur. Res iterum ad Rectorem Magnif. delata & ſcriptis vtrinque libellis agitata eſt, donec paullo poſt ſponte ſua reſederit.

Menſe Octobri cum mortuus eſſet *Ioannes Georgius Schelle*, Theol. Doct. Iuris vtriusque Licent. & Collegii Georg. per annos 23. Regens, orta eſt dubitatio: cui ius competat conſtituendi iſtius Collegii Regentem? Seniores camerales, vt tunc vocabantur, illud ad ſe pertinere contendebant; Facultas autem philoſophica pro eodem iure literas fundationis allegabat. Diu inquiſitum, dum tandem in annum 1593. inciderent, quo

Sere-

A. 1651.

Sereniſſ. WILHELMVS Artium Facultatem ab omni cura Collegii Georgiani exemit, & iterum in annum 1598. quo Sereniſſ. MAXIMILIANVS Collegio, & eius Regenti præfecit tres Seniores, *Hungerum* ſcil. Theologum, *Lagum* ICtum, & *Menzelium* Medicum. Deſignatus igitur poſt *Schellium* Collegii Georg. Regens *Balthaſar Heinrichius*, Theol. Doctor, cui deſignationi etiam Monachium conſenſit. Sepultus eſt *Schellius* in Capella dicti Collegii ad S. Petrum, vbi eius Epitaphium viſitur muro affixum.

A. 1652.

ANNO DOMINI M DC LII.

Rect. CCCL. IOAN. OSWALD. A ZIMMERN &c. VIII.

Rect. CCCLI. CASPARVS MANZIVS, Digeſt. Prof. &c. VI.

Inſcripti 177.

Nobiles, *Ioan. Carol. a Lang*, Styrius.
Sebaſtian. Hlebiz de Podgur, Stainenſ. Carniol.
Carolus Oliua, Tridentin.
Henricus ab Hier, Leodius.
Felicianus Sandiuogius, } *Lezenski*, Comites Poloni de Lez-
Ioan. Conſtantin. } zenico.
Ioan. Ludou. Engl de Wagrein, Prouincial. Auſtr. poſtea Profeſſor Salisburg.
Ioan. Chriſtoph. Schafmann ab Hamerles, Tirolenſ.
Georg. Ludouic. a Schneburg, Milſenſis.
Wolfg. Godefrid. a Greiffenberg, Brunſuicenſ.
Maximil. Erneſt. a Gözengrien, Landishut.
Melchior Maximil. Glachner a Waben.
Ioan. Chriſtoph. Baro de Rubland, Carinth.
Wolfgang. Carolus a Donnersberg.
Ferdinand. Maximil. Comes in Oetingen.
Petrus Georg. Aulick de Trebniz, Eques Bohem.
Wolfg. Chriſtoph. Laichinger in Schönbrun, Reiſpacenſ.

Nou. Prof. *Philippus Hettingerus*, S. I. Prof. Theol.
Ioannes Voglerus, Engenſ. Hegoi. S. I. Prof. Matheſ.

A. 1652. Nou. Doct. *Ioannes Schirmbeckius*, Pfaffenhof. Bau. S. I. Prof. Log.
Laurent. Weigl, } Ord. Præmonſtr. in Monaſt.
Petrus Rösler, } Strahouienſ. Pragæ.
Ioannes Hartmann, Concionator Wemdingan. } *Theol.*
Henr. Plenagl, Maienlingenſ.
Ioan. Adamus Paumfelder.
Franc. Matthias May,
Ioan. Gualterus Schlutt,
Ioan. Stebhueber,
Ioan. Georg. Berger,
Ioan. Germanus Barbier,
Georgius Zorn, } *Vtr. Iur.*
Georg. Wels, Tirolenſ.
Ioan. Chriſtoph. Griendl, Paſſau.
Ioannes Scheuringer, Ingolſt.
Philippus Leisl, Styrius,
Ioan. Ferdin. Stoiberer,
Ignat. Franc. Höchſtetter, Auguſt. } *Medic.*
Mich. Herrnbeck, Ingolſt.
Ioan. Franc. Hirſchauer, Paſſau.
Franciſcus Zicus, Neoburg.

Inſtitutum Clericorum ſecularium in commune viuentium admodum florere his annis cæpit; numerauit enim tam in Academia, quam in Gymnaſio complures Alumnos. Hoc anno formulam Inſtituti ſui typis etiam publicis committere cogitabat illius Auctor *Bartholom. Holzhauſerus*, iamque illam approbatione ſua muniuerat Facultas noſtra Theol. cum die 29. Nouemb. Reuerendiſſ. Ordinarius ob cauſſas *rationabiles & prægnantes* (verba ſunt literarum) typum inhibuit, non obſtante dicta approbatione, ſaluo tamen de cetero iure Facultatis ſacræ cenſendi libros, eosque approbandi.

Die 11. menſis Febr. mortuus eſt *Tobias Clannerus*, per 34. circiter annos Vniuerſitatis noſtræ Notarius, apoplexia ſubito extinctus. Comitati ſunt funus plurimi ex Patribus academicis. In eius locum die 20. Aprilis ſuſceptus eſt in plena Sena-

A. 1652.

Senatus acad. Concilio *Sebaſtianus Hainoldus*, præſcriptis certis conditionibus, quas inter præcipua erat: vt quantum fieri poſſet, negotia academica præferret cameralibus; erat enim iam antea Secretarius Ducalis Conſilii quod ei officium Sereniſſ. Electrix Vidua conceſſerat. Vrgebant nonnulli ex Patribus acad. ne coniungeretur geminum hoc munus, cum vtrique ſatisfieri commode ab vno homine non poſſit. Verum cum conſtaret, ex neutro officio ſolo honeſtam haberi ſuſtentationem poſſe, præualuerunt ſuffragia, vt ſaltem ad duos, vel tres annos coniungerentur, ſi hoc intra tempus ea, de quibus dictum, incommoda emergerent, poſſe tum denique ſeiungi.

ANNO DOMINI M DC LIII.

A. 1653.

Rect. CCCLII. WOLFG. SIGISMVND. BREMIVS, Med. Prof. II.

Rect. CCCLIII. GVIL. LVDOV. BENZIVS &c. VIII.

Inſcripti 168.

Nobiles, *Ioan. Paulus*, *Iacob. Theophilus*, *Ioan. Albertus*, } *a Mämming.*
Ioan. Guilielm. Hohenhauſer a Greiffenſtein & Fynburg, Tirolens.
Sigiſmund. Frider. Engl, a Wagrain, Ratisbon.
Henricus, *Guilielm.* } *Comites ab Attembs*, Styrii, fratres.
Maximilian Guilielm. Baro Criuellus.
Ioannes Comes in Olexow, Polonus.
Guntherus a Fineck, Megapolitan.
Alexander Diego a Münſter, Franco.
Ferdin. Franc. Anſelm. Baro de Mercy
Ioan. Ferdin. Merz a Merzfelden, Ratisbon.
Ioan. Antonius Maffeius, Auiſienſis.
Iulius Rudolphus a Schwabpach, Boius.

A. 1653.

Sigismund. Balth. } *a Kriechbaum*, Austr.
Ioann. Frider. }
Ioan. Georg. Lasser, Baro in Marzholz, Boius.
Franc. Benedictus a Danneck, Salisburg.
Ioan. Ignatius ab Offenhaim, Seiberstorfens.
Ioan. Paulus Oerber de Oerberstein, Halens.
Ernest. Hieron. de Nuuolara, Can. S. Dionysii Leodii, & S. Victoris Moguntiæ.
Ioan. Franc. } *a Deuring.*
Ioan. Ignat. }
Franc. Benno Fugger, Comes in Kirchb. & Weissenh.
Wolfgang. Wilhelm. Baro ab vtr. Fraunhouen.
Christoph. Vtiscalcus Illsung.
Ioan. Alexand. Paproski, Præpositus Riboticens. Regis Polon. & Sueciæ Secretarius.
Ioan. Melchior ab Imhof.
Ignat. Franc. Aloys. Fugger, Comes a Kirchb. & Weissenhorn.
Leopold. Franc. Frider. Baro de Taufkirchen.
Ioannes Franc.
Sigism. Marquard. } *Pfettner.*
Benno Ignatius, }

Nou. Prof. *Christoph. Haunoldus*, S. I. Prof. Theol.
Sigismundus Schnurrenberger, S. I. Prof. Cas. Consc.
Ioannes Stoz, Michusan. Sueu. S. I. Prof. Log.
Christophorus Ott, Friburg Brisg. S. I. Prof. Ethic.

Nou. Doct. *Bernard. Masella*, Pesclauiens. Rhœtus.
Ioan. Guil. Eberl, Burckhaim. Palat.
Michael. Feldreich, Burghus.
Ioan. Eder, Eichstett.
Ioan. Adam. Keller, Donawerd.
} *Medic.*

Præcipuum in his Annalibus locum habeat necesse est noua & singularis Religio, quæ hoc anno in Academiam nostram introducta est; solenne illud Sacramentum intelligo, quo Patres acad. publice suam fidem obstrinxerunt honori conceptus Deiparæ illibati, qua liceret per summorum Pontificum decreta,

A. 1653.

ta, ſemper tuendo. Ad Poſterorum memoriam non puto nullum fore operæ pretium, ſi rei huius hiſtoriam paucis hic deſcribam.

FERDINANDVS III. Rom. Imp. auctor factus eſt Sereniſſimæ Sorori ſuæ MARIAE ANNAE Bau. Electrici Viduæ, vt piam hanc Religionem, quæ pridem in Viennenſi, atque aliis per Europam Vniuerſitatibus viguiſſet, in ſuam quoque Ingolſtadienſem Academiam introduceret. Scripſit igitur Sereniſſima ad Vniuerſitatem, ſimulque communicauit exemplar literarum, quas Reuerendiſſimo Academiæ Cancellario miſerat; atque vt cum illo hoc negotium pertractaremus, monuit. Deliberatum eſt quater ſuper ea in Senatu pleno, & per literas etiam cum Reuerendiſſimo ac Celſiſſimo Principe Cancellario, ac tandem diſcuſſis, remotisque difficultatibus ad mentem Sereniſſ. Electricis concluſio facta Monachium perſcripta fuit. Rediit inde mox reſponſum, & plena approbatio, vna cum literis ad *Franciſcum Comitem Fuggerum*, ſupremum vigiliarum & huiatis propugnaculi vrbisque Præfectum, quibus Sereniſſimæ continebatur mandatum, quid nomine ſuo agi illo die, quo homagium magnæ Matri primo diceretur, maxime vellet.

Die igitur 7. Decembris circa primam pomeridianam, curru vectus in Comitatu ſex perſonarum huc venit Reuerendiſſ. *Dominicus* Abbas Planckſtettenſis, quem Celſiſſimus D. Cancellarius ſubmiſerat, vt ſuo nomine feſtiuitati huic ſolenni interreſſet. Poſt primas Veſperas ab ipſo Rectore Magnif. *Benzio* decantatas orationem habuit tempori accommodatam *Philippus Hettingerus*, Profeſſor Theol. & Congregat. acad. Præſes. Ipſo Feſto Immaculatæ Conceptionis circa medium nonæ matutinæ Rector acad. ab omnibus Profeſſoribus habitu doctorali indutis, a Comitibus, Baronibus, ac reliquis etiam Studioſis, qui affixo programmate fuerant moniti, ex Stuba academica ad Templum D. V. Specioſæ ſolenniſſime fuit deductus. Sub Miſſa Pontificali, quam memoratus Abbas celebrauit, Vniuerſitatis Procancellarius *Oſwaldus a Zimmern* genu flexus ad cornu Euangelii primum nomine Reuerendiſſimi ac Illuſtriſſimi Principis Epiſcopi MARQVARDI &c. Cancellarii noſtri perpetui, formulam iuramenti his verbis alta voce pronuntiauit:

Ego

A. 1653. *Ego NN. ſpondeo, voueo, ac iuro, me iuxta ſummorum Pontificum Pauli V. & Gregorii XV. conſtitutiones publice ac priuatim velle pie tenere, & aſſerere: Beatiſſimam Mariam Virginem DEI Genitricem absque originalis peccati macula conceptam eſſe, donec aliter a Sede Apoſtolica definitum fuerit. Sic me DEVS adiuuet, & hæc Sancta DEI Euangelia.*

Poſt Rectorem Magnif. Procancellarius ſuo etiam nomine idem præſtitit, ac reliquorum ex ordine Profeſſorum cuiuscunque Facultatis iuramenta excepit aſſiſtente ſemper Vniuerſitatis Notario. Sacris hunc in modum peractis, reductoque ad ſuas ædes Rectore, iuſſu Sereniſſ. Electricis Reuerendiſſimo Abbati, ac omnibus Patribus acad. ab Vrbis Præfecto *Fuggero* Comite conuiuium in arce fuit exhibitum, cui tamen Rector Vniuerſit. non interfuit, quod certis relationibus compertum fuerit, Vrbis Præfectum Rectori cedere in menſa non velle. Ab illo tempore ex ſtatuto Senatus acad. & approbatione Reuerendiſſimi DD. Cancellarii, confirmationeque Sereniſſ. Electricis idem Iuramentum poſt editam fidei profeſſionem præſtare tenentur omnes promouendi ad quoscunque gradus, omnes Profeſſores ad hanc Academiam ſuſcepti, & ſingulis annis ſinguli Profeſſores ipſo illibati B. V. M. Conceptus feſto die.

Ad initium menſis Iulii *Caſparus Manzius*, magnum Academiæ noſtræ lumen, a nobis auulſus eſt; petente ſcilicet Sereniſſ. Duce Palatino-Neoburgico, dimiſſus a Profeſſoris munere ad Cancellariatum illius Prouinciæ abiit. Multa habeo de huius viri meritis dicere; ſed ea ad an. 1677. differre iuuat, quo apud nos vita exceſſit; Cancellarii enim Neoburgenſ. officio ſeptennio tantum functus, ad academicos labores lubens volensque rediit.

In Collegio huiate Patrum Societatis obiit hoc anno 6. die Martii *Ioannes de Dicaſtillo*, Neapoli patre Hiſpano, matre *Iuſtiniana* natus. Fuit is inter ſuos Præfectus, vt vocant, ſtudiorum, & iam antea Theologicas Scientias per 25. annos Toleti, Murciæ, & Viennæ docuerat, quas doctiſſimis Commentationibus *de Iuſtitia & Iure*, *de Sacramentis*, & *de Iuramento ac Cenſuris* illuſtrauit. Tantus ergo vir cum eſſet, etſi ad noſtram

Aca-

Academiam non pertineat, meritus tamen esse videtur, vt depositas in dicti Collegii crypta exuuias perbreui encomio honoremus. A. 1653.

ANNO DOMINI M DC LIV. A. 1654.

Rect. CCCLIV. IOAN. IACOBVS LOSSIVS &c. Iur. Prof. II.

Rect. CCCLV. IOANNES COMES DE WEDEL in Tuczno, Tuczinski &c. Polonus, Log. & Ethices Stud.

Inscripti 155.

Nobiles, *Andreas Comes de Leszno* Lescinzki, Polon.
Ioan. Comes de Wedel &c. cum tribus aulicis & cubiculario.
Ioan. Ludouicus Doublet, Baro de Montigu.
Cæsar Agroldus, Comes Leuci, Mediolan.
Henricus Andreas, *Franciscus Wolfgang*, *Phil. Constantinus*, } *de Gise.*
Iul. Franciscus a Schwabpach.
Franc. Ioachimus Edlweck a Schönau, Boius.
Sigismundus, *Andreas* } *Ckorniez* Perembski de magna Poremba, Comites Poloni.
Ladislaus Schrenck ab Egmating.
Georg. Iacobus a Siggenhausen, Ambergens.
Wolfgang. Adamus Eques de Mosern, Egrensis.
Valerianus Serpontus, Mediolanens.
Theophilus Ignatius Kleo, nobilis a Raudna, Pilsnens. Bohemus.
Ignatius Schöllenperg ab Hainperg, Patrit. Augusst.
Maximilian. Ernestus Auer a Riedaw.
Ioan. Wolfgangus Baro de Taufkirchen.
Iustinianus Reinbardus a Leuchselring, Austr.
Ioan. Christoph. ab Asch, Deckendorfens.

Non. Prof. *Henricus Heinrichius* &c. vt supra, Prof. Theol.

Mat-

A. 1654. *Matthias Kauttius*, Langeneiffenſ. Sueu. Prof. Digeſt.
Iacobus Stelzlinus, Inningan. Sueuus, Prof. Medic. extraord.
Georgius Heidelbergerus, Sipling. Acron. S. I. Prof. Phil.
Nou. Doct. *Georg. Reinhard*, Wembdingan. } *Medic.*
Iac. Stelzlin &c. vt ſupra. } *Medic.*
M. Ioannes Seclas, Neoburg. Palat. } *Medic.*

Inter illuſtriores Hoſpites, quos ad Comitia Ratisbonenſia hac tranſeuntes venerati ſumus, præcipue meminiſſe oportet Sereniſſimi Electoris Palatini CAROLI LVDOVICI; qui cum luſtratis omnibus in Vrbe viſu dignis etiam ad Academiam digrederetur, caſu accidit, vt Theologiæ Profeſſor admirandam panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti conuerſionem auditorum calamis traderet. Cui cum ſatis diu Sereniſſimus auſcultaſſet, perſuaderi non potuit, hanc materiam ſua cauſſa ex compoſito non eſſe delectam; etſi fidem facerent ipſa Auditorum ſcripta, quæ ab eorum aliquo petita accurate perluſtrauit, num quæſtionum inter ſe tituli cohærerent.

Die 19. Iun. ad eadem Comitia profecturus, Academiam noſtram cum Bibliotheca inuiſere dignatus eſt Reuerendiſſ. S. R. I. Princeps & Epiſcopus Oſnabrugenſ. quem Magnif. Rector cum aliquot Profeſſoribus in ipſo Vniuerſitatis introitu exceptum perbreui oratiuncula ſalutauit. Debitum quoque honorem, quamuis triſtem illum & luctuoſum habuimus FERDINANDO IV. Roman. Regi, hoc anno 9. Iulii ex variolis præmature defuncto, cuius ſolennes Exequias 7. Aug. in Templo acad. celebrauimus.

Ad initium menſis Nouembris Sereniſſ. FERDINANDVS MARIA, poſtquam integro triennio ſub tutela patrui ſui ALBERTI Ducis, & Matris MARIAE ANNAE, vtpote minorennis, vixerat, expleto decimo octauo ætatis anno regendas ſuſcepit hereditarias Provincias. Prima piiſſimi Principis cura videbatur Religio fuiſſe; eodem enim Nouembri menſe ab illo ad Academiam venere literæ, quibus queritur inprimis, cum detrimento Iuuentutis paſſim tum in Vniuerſitate, tum publico in foro ſolennibus nundinis noxios libros diſtrahi; deinde mandat,

vt

A.
vt huic malo remedium quærant Patres acad. ac venditionem 1654.
huiusmodi librorum omnibus modis impediant. Cenſuerunt Collegii theol. Patres, ad quos id genus negotia pertinent, conficiendum inprimis eſſe mandatum publicum, atque in illo indicandum, quales & cuius conditionis libros Bibliopolæ huc inferre, vel venum proponere non debeant; ac dein ad finem mandati ſeuere & ſub pœna *confiſcationis* illis præcipiendum, ne vllum ex ſuis libris publice vel priuatim diſtrahant, donec eorum omnium catalogum Decano Facultatis oſtenderint, isque eum inſtituta cum vno, ſi fieri poſſit, ex Dominis Parochis, diligenti viſitatione approbauerit. Mandatum a Notario Vniuerſitatis in hanc ſententiam conceptum etiam typis imprimendum, & bibliopegis, typographis, bibliopolisque omnibus communicandum, ac publice etiam affigendum eſſe putabant. Hoc conſilium quam ſalubre etiam erat, eius tamen executio ob colliſionem quamdam iurisdictionis academicæ & ciuicæ fuit impedita; quare concluſum eſt tota de re informandum eſſe Sereniſſimum, ſimulque exemplar aliquod adiungendum illius mandati, quod Facultas publice affigere decreuiſſet, quod & die 11. Ianuarii ſequentis anni factum eſt.

In Iurisconſultorum Collegium pro *Caſparo Manzio* ad anni mox initium aſſumptus eſt *Matthias Kauttius*, I. V. Doct. qui & 25. Aprilis ſolemne ſuum principium habuit tanquam ſecundus Digeſtorum Profeſſor; quanquam illum alibi inueniam ab initio Inſtitutionibus legendis fuiſſe applicatum, *Loſſium* vero ad Digeſta translatum; & anno primum proxime ſequenti *Loſſium* Iuris Canonici, *Kauttium* vero Digeſtorum Profeſſorem fuiſſe ordinatos.

Menſe Nouembri *Iacobus Stelzlin* pro extraordinario Medicinæ Profeſſore admiſſus, iuſſu ſaluberrimæ Facultatis *Artem paruam Galeni* explicare, & prælegere cœpit.

Illud hoc anno ridiculum, & ex parte ſalubre accidit, cum ob imminentem Solis eclipſin panicus neſcio quis timor imperitæ plebi iniiceretur, qui tantum in animos valuit, vt paſſim ex circumiacentibus pagis atque oppidis ad pœnitentiæ tribunalia, quaſi ad inſtantem mortem ſe præparaturi ſtupendo prorſus numero accurrerent.

A. 1654. Die 31. Octobris honorauit Academia exequias *Sebaſtiani Wolfii* huiatis Conſulis, qui anno integro & 10. menſibus centennario maior obierat.

A. 1655.

ANNO DOMINI M DC LV.

Rect. CCCLVI. MATTHIAS KAVTTIVS, Prof. Digeſt.
Rect. CCCLVII. IOANNES DÜELLERVS, Med. Prof. V.
Inſcripti 130.

Nobiles, *Wolfgang. Franc. Baro a Gumpberg.*
Adam. Franc. Prändtl ab Irnſing.
Franc. Ignat. a Muggenthal, Neuenhinzenhuſ.
Pantaleon Comes de Coſta.
Tobias Protaſius Fœgeli, Friburg. Heluet.
Felix Hilarius a Leichſelring.
Ioan. Wenceslaus Ignat. ab Opperſtorf, Baro de Dub, & Friedſtein, Bohem.
Fridericus Comes Cornarus, Venetus.
Wolfg. Chriſtian. Haill a Sallach & Lindum.
Adolph. Valentin. Schrenk ab Egmating.
Maximilian. } *Comites de Thun* &c.
Franc. Sigism. }
Franc. Widmann Nobilis Venetus & Comes de Orttenburg, L. B. in S. Paternion & Sommereus, Dominus in Pitterſperg, Greimburg, Goldenſtein, Oberſtraaburg & Flaſchperg &c.
Franc. Fidel. a Teyring, Brigantin.
Ioan. Alexander } *Barones ab Haslang.*
Ioan. Nicolaus }

Nou. Prof. *Matthias Ram*, Halenſ. Tirol. S. I. Prof. Log.
Nou. Doct. *Ioan. Alexand. Paproski*, Præpoſit. Riboticenſ. } *Theol.*
Sebaſt. Fridlin, Can. ad SS. Ioan. Ratisb. Paroch. Bettbrunn. }

Ioan.

A. 1655.

Ioan. Henric. Paſcha, deſignatus Prof. Controu. Fid. &c. } *Theol.*
Ioan. Liſemayr, Cooperator ad Diu. Virg. Ingolſtad. } *Theol.*
Ioan. Adam. Prætorius, Aſchaffenburgenſ. } *Medic.*
Ioan. Georg. Kiene, Vberlingan. } *Medic.*
Ioan Rädlmayr, Schrobenhuſan. } *Medic.*
Matthæus Gebhardt, Ingolſtad. Miltenburgi ad Mænum Phyſicus. } *Medic.*

Ex inſcriptis hoc anno memorandi præcipue veniunt, I. *Ioannes Alexander* & *Ioan. Nicolaus Barones ab Haslang*, fratres, filii *Rudolphi ab Haslangskreit*, Colonelli, & Præfecti Abensbergenſis, quorum mater erat Comitiſſa *ab Hohenzollern*, *Comitis Wolkenſteinii* vidua. II. *Ioan. Iacobus Oefele*, Schrobenhuſanus, poſtea ad dignitatem Cancellariatus in Conſilio aulico Monacenſi euectus. Floruit *Oefeliorum* nomen apud nos inde a primordio Vniuerſitatis; atque in ipſo quidem Fundationis anno nomen ſuum albo academico dedit *Ioannes Offlein*; deinde anno 1526. *Wolfgangus Oeffelin* ſeu *Effelin* Wemdinganus, *Petri Burcardi* gener Medicinam hac in ſchola docuit; priusquam nempe ad LVDOVICI Landishutani Ducis aulam euocaretur. Hæc honorandis *Andreæ Felicis Oefelii* manibus præmiſſa ſunto; qui antequam ad Anteceſſores *Oefelios* abiret, hos Annales oculo cenſorio luſtratos, ſuo ſuffragio probauit; hocque ipſum familiæ ſuæ anecdoton ſua mihi manu perſcriptum beneuolentiſſime communicauit. Verum de illuſtri hoc Aulæ boicæ Bibliothecario plura ad annum 1724. quo inſcripto ſuo nomine album huius Vniuerſitatis condecorauit.

Præter conſuetudinem huius Academiæ electio æſtiualis Magnifici Rectoris, quæ die 24. April. habenda erat, in octauam diem Maii translata eſt; honoribus nimirum Perilluſt. & Magnif. Rectoris noſtri Comitis *de Wedel*, Poloni, concedebatur, vt ob imminentem Doctoratum theologicum cuiusdam Poloni eius Magiſtratus eouſque prorogaretur, dum ea promotio eſſet peracta, quæ 28. Apr. contigit. Octaua demum Maii cum Comes Polonus Rectoratu deceſſiſſet, electus eſt *Matthias Kautt*, ordin.

A.
1655. ordin. Prof. Pandectarum, & iterato delatum eſt hoc officium Iuridicæ Facultati; quod prioribus annis ex decreto Sereniſſ. Electricis ſtatutum fuerit, vt quoniam numerus Profeſſorum Iuris duplo maior eſſet, quam Profeſſorum Rectoratus capacium in aliis Facultatibus, hæc quoque ſuprema in Vniuerſitate dignitas illis duplicaretur. Atque hanc ipſam rationem, ne Facultas Medica, quæ alioquin proxime ſucceſſiſſet, offendi poſſet, plerique ex Patribus acad. in ſuis ſuffragiis expreſſerunt. *Kauttius* quia primum in hac Vniuerſitate Rector eſt renuntiatus, pro veteri conſuetudine Profeſſoribus omnibus conuiuium exhibuit 25. Maii.

Sed de Doctoratu theologico, cuius paulo ante mentis iniecta eſt, pauca addamus. Quatuor erant Candidati, inſignes omnes, & præcipuis in Eccleſia muneribus aut actu iam conſpicui, aut proxime futuri. Lege ſis eorum nomina & characteres: *Ioan. Alexander Paproskius*, Polonus, Eccleſ. Rybotiſenſ. Præpoſitus, *Sebaſtian. Fridlinus*, Protonot. apoſtol. Eccleſ. Colleg. ad SS. Ioannes Ratisb. Canon. & Parochus in Bettbrunn; *Ioan. Henricus Paſcha*, Doctoris Iurium hoc nomine filius, & Canon. Eichſtettenſ. deſignatus Parochus ad huiatem D. V. Eccleſiam, ac Prof. Controu. Fidei mox futurus; denique *Ioannes Liſemayr* ad eandem D. V. Cooperator. Hos omnes Theologiæ Doctores creauit *Guil. Ludou. Benzius* Parochus acad. & Controu. Fid. Profeſſor, ac deſignatus iam Eichſtettenſis Suffraganeus.

Non æque feliciter ceſſit promotio Philoſophica 19. Magiſtrorum; ſoluto enim conuiuio, quod illo die pro more inſtitutum fuit, Studioſi quidam Iuris aggreſſi duos Magiſtros atrociter illos habuerunt, & vnum pene exanimarunt. Facinus hoc Profeſſores omnes atrox iudicarunt, & Facultati Philoſ. iniurioſum. Rei ergo communi fere conſenſu relegati, & in expenſas fuere condemnati. Sed illi ad Sereniſſimum appellarunt. Quid valuerit iſthæc appellatio, paullo poſt patuit, cum reſcriptum eſt Monachio, ius appellandi Studioſis non competere.

AN-

ANNO DOMINI M DC LVI.

A. 1656.

Rect. CCCLVIII. WENCESLAVS BARO AB OPPERSTORF in Dub Friedſtein, Dominus hæredit. in Czaſtalowiz, Tiniſcht, & Koldin &c. Bohemus.

Rect. CCCLIX. OSWALDVS A ZIMMERN &c. IX.

Inſcripti 114.

Nobiles, *Stanislaus Comes de Wedel* &c. frater *Ioannis.*
Georg. Carolus Haller ab Hallerſtein, Norimberg.
Ioan. Carolus L. B. a Marimont, S. E. Bau. Dapifer, I. U. Stud. Lotharingus.
Ioan. Franc. L. B. ab Arimont, Heidelbergenſ.
Max. Chriſtoph. L. B. ab Arimont, Landishutan.
Adrian. L. B. ab Arimont, Syluamonacenſ.
Carolus Rudolphus B. de Wangler.
Ignat. Franc. Baro a Gumpberg.
Franc. Benno Baro a Lerchenfeld.
Wolfg. Ladislaus, *Georgius Ludouicus* } *a Rueſtorf.*
Ioan. Georgius a Siggenhauſen.
Ioan. Wolfgangus Freymon a Randeck, Straubing.
Ferdinandus Hörl a Watterſtorf.
Iacob. Erneſtus a Tham de Blumenau, Sileſ.
Theophilus ab Hirnhaim de Baumgarten & Hirſchſtein.
Ioan. Adamus Itter ab Adelſingen, Pragenſ.
Georgius Godefrid., *Otto Sigfridus* } *Comites a Kollonitſch*, Græcenſes Styri, fratres.

Nou. Prof. *Franc. Strobelius*, Monacenſ. Bau. S. I. Theol.
Iacob. Stelzlinus, Prof. Medic. ordin.
Franc. Ignat. Thiermayr, Monac. Prof. Medic. ord.

Nou. Doct. *Rudolph. Ignat. Gebhart*, Burghuſ.
Georgius Decker, Seccouienſ.
Gabriel Grueber, Kaiſerſpergenſ.
M. Chriſtian. Auguſtin. Flader, Selowitzenſ. } *Vtr. Iur.*
M. Caſimirus Stochawitz, Polonus, *Iur. Can.*

A. 1656.

Ex illuſtrium Scholarium numero hoc iterum anno die 24. April. electus eſt Rector Vniuerſ. *Ioan. Wenceslaus Ignatius ab Oppersdorf, Baro de Dub & Fridſtein*, Bohemus, qui magnifice prorſus ſuum Rectoratum auſpicatus eſt; geminum enim dedit conuiuium, primum illuſtribus perſonis, alterum omnibus Patribus acad. Geſſit Magiſtratum vſque ad 21. diem Auguſti, cum auocatus ab illuſtriſſ. ſuo Curatore Patribus academicis in concilio pleno congregatis breui oratiuncula valedixit.

Reuerendiſſ. quoque *Guil. Ludouicus Benzius*, confirmatus Epiſcopus Dardanienſis, & Proepiſcopus Eichſtadianus, 14. Martii Academiæ valedicturus, lautum conuiuium exhibuit Profeſſoribus, & 28. eiusdem menſis hinc diſceſſit. Cumque 30. dein Aprilis Eichſtadii Epiſcopus conſecraretur, aliquos ex Theologica Facultate ad eam ſolennitatem inuitauit, In eius munia ſuccedere qui cuperent, duos maxime reperio Candidatos, *Ioannem Henricum Paſcha*, Mersburgenſem, hniatis p. m. ſurium Profeſſoris filium, & *Balthaſarem Heinrichium*, Collegii Ducalis Georg. Regentem, vtrumque Theol. Doctorem. *Henricus* tamen *Paſcha*, quamuis minor annis, & recens a ſtudio Theologico, 5. Maii huius anni præſentationem Monachio obtinuit pro Parochia acad. & pro Canonicatu Eichſtettenſi, cathedræ Controuerſ. Fidei nunc annexo, cuius etiam poſſeſſionem in Cathedrali Eccleſia 19. Maii ibidem cepit, ac poſtridie in Vniuerſitate ſolemne Principium *de præſtantia Religionis* habuit.

Medicorum noſtrorum Collegium ſolito plures hoc anno mutationes ſubiit. Die 8. menſis Febr. *Ioannes Düellerus* Facult. Senior concordibus Collegarum votis ac ſuffragiis *Wolfg. Sigismundo Bremio* Anatomiam ſpeculatiuam, ſiue lectionem anatomicam & pharmaceuticam tradidit, reſeruata ſibi Anatomia practica, ſiue adminiſtratione anatomica. Die 15. Martii *Iacobus Stelzlinus* principium ſolemne habuit, tanquam Profeſſor Medic. ordin. Die 14. Aug. circa medium noctis defunctus eſt memoratus *Ioan. Düellerus* Med. Profeſſor primarius, poſtridie apud PP. Franciſcanos ſepultus. Oratione funebri laudatus eſt a Prof. *Bremio*, qui & typis illam edidit. Eius vitæ hiſtoriam fere ex Grienwaldio damus.

Natus

A.

Natus erat *Düellerus* noſter Lucernæ in Heluetia; neſcio tamen, cur *Grienwaldius* Surſeenſem dicat; acta certe Facult. medicæ, & inſcriptio ſepulchralis Lucernenſem dicunt. Abſolutis dein Lucernæ ac Friburgi nuithonum humanioribus ſtudiis, Friburgum Brisgoiæ ad audiendam Philoſophiam ſe contulit. Factus ibidem bonarum Artium Magiſter, & Pariſios profectus, medicæ Arti perdiſcendæ operam dedit, ita tamen, vt græcarum literarum ſtudia, a quibus Medicinam ſumſiſſe originem non ignorabat, coleret ſemper, & amplecteretur. Hinc non ſemel ab ipſius ore prolatum, & ab aliis auditum eſt, *quod omnino græcas orationes formare, & dicere voluiſſet, ſi fuiſſent, & eſſe potuiſſent auditores græci.* Pariſiis per quinquennium commoratus, Mutliponti in Lotharingiæ celeberrima Vniuerſitate Doctoris Medicinæ gradum conſecutus eſt. Romam poſtea profectus, in Noſodochio S. Spiritus per triennium Medicinam factitauit. Relicta Italia in patriam ſe recepit, vbi Lucernæ duobus, Friburgi ſex annis medicam Praxin, conſtitutus ibidem Phyſicus, exercuit. Anno 1639. huc tandem delatus, & in locum *Kilianſteinii* ſubrogatus, Cathedram medicam ad vitæ vſque finem exornauit. Fuit vir linguarum peritiſſimus, & anatomiæ in primis ſtudioſus; ceterum homo ſingularis, multis propterea cauſſis implicitus, vt Acta Vniuerſit. teſtantur. Scripſit *Aſſertiones medicas de humani fœtus formatione, ac illius in vtero materno animatione* 1652. Eius Epitaphium in templo Franciſcanorum legere eſt in hæc verba: *Anno Domini MDCLVI. die XV. menſ. Auguſt. pie in Chriſto obiit Ioannes Düellerus Lucernenſ. Heluetus Med. Doctor, vir omni literatura expolitus, & multæ in rebus Medicis experientiæ. Docuit easdem publice hic ſumma cum laude per annos fere XVII. totidemque fuit rei anatomicæ adminiſtrator eximius & celebris. Tandem cum plurimos morti eripuiſſet, & eripere docuiſſet, ipſe a morte ereptus eſt anno ætatis LVII. Cuius animæ tu moriture viator, ſi Chriſtianus es, & iudicii illius non immemor, bene precare. Moritur quis hodie, caue tibi quotidie.* 1656.

Menſe Nouembri die illius ſexta in *Düelleri* cathedram ſubſtitutus eſt *Franc. Ignatius Thiermayr* Monacenſis, *Thomæ Thiermaieri* Archiatri Electoralis filius, qui & eodem die ſolenne ſuum principium habuit. Die autem 13. eiusdem menſis Hippocra-

A. 1656. pocratis aphoriſmos explicare cœpit. Acceſſit hic ad Vniuerſitatem ornatus iam dignitate Medici cubicularii Sereniſſ. Electoris.

Sub idem tempus, die 11. ſcilicet Decembris Facultatis ſaluberrimæ Doctores & Profeſſores, cum ſingulari beneuolentiæ, amicitiæque ſtudio ſeſe inuicem colerent, vt omnem mutui huius amoris interturbandi occaſionem remouerent, vnanimiter concluſerunt, vt omnia iura & emolumenta olim vel ſoli Decano, vel ſoli Promotori propria deinceps omnibus Profeſſoribus Medicæ Facultatis ordinariis ex æquo diſtribuerentur, non ſecus ac alia iura, quæ hactenus omnibus æquali proportione communia fuerunt.

Sub initium quoque eiusdem menſis Decembris ad nos diuertit Sereniſſ. FERDINANDVS MARIA Elector cum ceteris Principibus, qui omnes in arce ſalutati ſunt a Patribus academicis, nulla tamen oratiuncula excepti. Viſitauit Sereniſſimus etiam academiam, & in feſto Immaculatæ Conceptionis diuinum ſibi officium celebrari in Templo acad. voluit; quare illo die maturius ſub lecto in ara principe ſacro Profeſſores ſinguli ſuum inſtaurarunt iuramentum de tuendo, qua licet, illibato B. V. M. conceptu.

Nobiliſſimæ *Taufkirchiorum* familiæ honoribus addere hic iuuat diſputationem Philoſophicam, quam hoc anno *Leopold. Franc. Iſidorus L. B. de Taufkirchen* publice inſtituit Præſide *Ioanne Stozio.* Propoſuit Theſes in charta maiore cum Emblematis æri inciſis. Reſpondit vero illuſtris Pugil, vt ipſa verba referam, quibus ille actus in monimentis noſtris notatus eſt: *cum non minore ſuo, quam philoſ. Facultatis honore, ac merita laude doctrinæ & diligentiæ.*

Hoc anno Bibliotheca *Herwartiana* Collegio S. I. ex hæreditate *Ioannis Georgii* Cancellarii bauarici acceſſit, numero & raritate Librorum commendanda.

AN-

A. 1657.

ANNO DOMINI M DC LVII.

Rect. CCCLX. IOAN. IACOB. LOSSIVS &c. II.
Rect. CCCLXI. ARNOLDVS RATHIVS, Cod. Prof. IV.
Inſcripti 133.

Nobiles, *Ioan. Baptiſta de Hieremiis*, Tridentin.
Ioan. Philippus L. B. de Cobenzel, Goritienſ.
Auguſtin. Caſimirus Baro a Liechtenau.
Ioan. Gualterus, *Wolfg. Frideric.*, *Georg. Chriſtoph.* } *Saurzapf* a Schönhouen, & Loch.
Sebaſtian. Franc., *Philipp. Conſtantin.* } *Barones a Taxis*, fratres, Auguſt.
Stephanus Baſſus, Peſclauienſ.
Ladislaus Achatius Comes de Törring.
Ioan. Caſparus Hörwart ab Hohenburg in Poſſenhofen.
Ferdin. Wilh. Iaroslaus de Borimi, Eques Bohem.
Wencesl. Obideski de Ianowski, Eques Bohem.
Albertus Philippus ab Ebingen.
Franciſc. Iacobus Blarer a Wartenſee.
Iacob. Philippus Sell ab Aichperg, Tirolenſ.
Ioan. Wilhelmus a Schirder, Paderborn.
Maximil. Heinricus Geebeck de Arnbach, Friſing.

Nou. Prof. *Ignatius Tellinus*, S. I. Prof. Log.
Samuel Kuderowskius, Lithuanus, S. I. Prof. Ethic.

Nou. Doct. *Ioan. Caſimirus Steckewiz*, Polon. Archiep. Gneſnenſ. Prælat. domeſt. Præpoſ. Sbaszynenſ. iam antea Iuris Can. Doct. & Comitum *de Wedel* Præf. *Theol.*
Conradus Packhaus, Geruershuſ. Eichsfeld. *Medic.*

Die 11. Iunii venit Monachio *Commiſſarius* Electoralis D. *Thannerus*, ob tumultum a ſtudioſis & militibus excitatum. Illud ſingulare, quod paullo poſt, die 3. Iulii, contigit; habitum ſcilicet eſſe plenum concilium in cauſſa ſtudioſi, a muliere grauiſſime vulnerati.

A. 1657. *Chriſtophorus Ott* Profeſſor Ethices ſimul & Orator ſacer ad D. Mauritii, hoc anno a nobis diſceſſit; poſtquam vtramque cathedram doctis lucubrationibus illuſtrauerat. Edidit vero huiatibus typis *Laurum Carolinam, de geſtis Caroli M. & ſequentium Carolingorum Cæſarum*, an. 1654. *Conciones de bona Educatione liberorum*, an. 1655. Scripſit poſthac multa alia cum polemica, tum hiſtorica, cum magna eruditionis commendatione. In lectione Ethica ſucceſſorem primo habuit *Ignatium Tellinum;* hoc vero ad Logicam translato, *Samuelem Kuderowskium* e patria ſua, Lithuania, exulem.

A. 1658.

ANNO DOMINI M DC LVIII.

Rect. CCCLXII. WOLFG. SIGISM. BREMIVS. III.

Rect. CCCLXIII. IOAN. HENR. PASCHA, Cont. Fid. Prof.

Inſcripti 123.

Nobiles, *Caſpar. Marquardus Zindt* a Kenzingen.
Haro Burchardus a Freytag, S. R. I. Baro, & nobil. Dominus in Godens, ex Friſia Orient.
Adamus Philipp. a Balke, ex Graswinckel.
Ioan. Gundackerus ab Auerbach, Monacenſ.
Ioan. Georgius Mändl, Baro a Deutenhofen.
Franc. Ferdin. } *ab Haimhauſen.*
Maximil. Albert. }
Ioan. Martin. Greimoldt de Holzhauſen, Monac.
Engelhardus a Wittenberg, Weſtphalus.
Ioan. Sigismund. a Bernhauſen, Turgoius.
Ioan. Adolph. Herwart ab Hohenburg.
Mich. Ignat. Silbermann ab Holzheim, Neoburg.
Marq. Sebaſtian. Schenk a Stauffenberg, Can. Herbip. & Bamberg.
Ioan. Carol. Ioachim. Slawata, Comes de Klum & Koſtenburg, Auſtr.

Wolfg.

A
1658.

Wolfg. Iacob. Vngelter ab Rirſonhauſen, Canon. Ratisbon. & Auguſt.
Franc. Carolus de Caſtelle, Prouincial. Auſtr.
Franc. Wolfg.
Frid. Ludou.
Ignat. Georg.
Ferdin. Gerhard. } *Rummel*, Weidenſes Palat. fratres.
Ioan. Chriſtoph. Adelmann ab Adelmansfelden, Canon. Auguſtan.

Nou. Prof. *Euſebius Truchſeſſius*, Scheerenſ. Sueu. S. I. Prof. Ethic.
Ioan. Baptiſta Erhardus, Monacenſ. Bau. S. I. Prof. Phil.

Nou. Doct. *Carolus Comes a Liechtenſtein, Baro Caſtricornu Dominus in Schenna*, Decanus Eccl. Metrop. Salisb. Canon. Paſſau. & Olomuc. Archiep. Salisb. GVIDOBALDI Conſiliar. intimus, & Cameræ Præſes. } *Vtr. Iur.*
M. Paulus Papprian, Inticenſ. Tirol. } *Vtr. Iur.*
M. Martin. Pernegger, Monacenſ.
Balthaſ. Schmidhamer, Paroch. Niderhuſan. } *Iur. Can.*
M. Albert. Ferd. Düeller, Lucern. Heluet.
M. Wolfg. Brandſtetter, Bettenbach. Auſtr.
Bartholom. Fleſchiz, Buxheimenſ. Sueu.
Georg. Sutor, Auguſtan. Sueu. } *Medic.*

Carolus Comes Liechtenſteinius menſe Martio petebat per literas Doctoratum ex vtroque Iure priuatim ſibi conferendum, quod ad capiendam Canonicatus Olomucenſis poſſeſſionem gradus ille neceſſarius ſibi eſſet. Cum vero inuſitatum hactenus eſſet in theologica & iuridica Facultate Doctoratum conferre, niſi publico id ritu fieret, deliberatum eſt in pleno Concilio, quid illuſtri huic Candidato reſpondendum videretur. Concluſere Patres, gratificandum eſſe illius petitioni, ſaluis tamen Iuribus ordinariis; ſimulque definitum in eodem Conuentu erat, poſſe etiam Patribus S. I. Doctoratum theologicum priuatim conferri. Igitur die 21. Maii memoratus Dominus Comes, præmiſſo conſueto examine a prandio Licentiatus primum, tum Doctor vtriusque Iuris renuntiatus eſt a *Matthia Kauttio*, Colle-

A.
1658. gii Iurid. Decano. Intererant actui præter mox dictam Facultatem Rector Vniuersitatis, Procancellarius, & aliarum Facultatum Decani. Peracta hunc in modum promotione, iurarunt duo Iurium Professores *Lossius* & *Rathius*, quos D. Comes in eum finem specialiter inuitauerat, coram crucifixi imagine & accensis duobus cereis, prædictum D. Comitem in hac Vniuersitate triennio integro, exceptis aliquot hebdomadis, quibus morbi causſa alio concedendum erat, iuri ciuili & canonico diligenter operam nauasſe. Petebat autem Capitulum Olomucense huius quoque rei testimonium a Senatu academico.

Facultas philosophica hoc anno Collegii Georgiani Regentem *Balthasarem Heinrichium* in ius vocauit, primum coram Senioribus Vniuersitatis, deinde coram pleno Senatu. Agebatur de quatuor stipendiis, quæ in illo Collegio ita fundata sunt, vt ius præsentationis Facultati philosophicæ competat, ad duo quidem *priuatiue*, ad alia duo *cumulatiue* cum Procancellario Vniuersitatis, Facultate theolog. & ipso Collegii Regente. Sed is ab aliquot iam annis detrectabat Stipendiatos recipere a Facultate præsentatos, quod negaret ea stipendia ob iniquitatem temporum sufficientes redditus habere. Causſa in scripto propostta, iudicauit Senatus, exquirendum esse a Senioribus atque vno Theologo & vno Philosopho e Societate, quid in redditibus stipendiorum superſit, vt inde demum certi aliquid statui possit. Hi cum bis apud D. Procancellarium conueniſſent, atque rem e Senatus iudicio pertractaſſent, concedendum interim, dum scilicet certiora inuenirentur, Facultati philosophicæ putarunt, vt pro capienda possessione sui iuris præsentare cum aliis Patribus Theologis posset pro stipendio *Widmanniano* & *Schwebermayriano* vnum Sacerdotem, qui legeret sacra alias in fundatione præscripta, singulis scilicet diebus Lunæ, Dominicis & festis, ac stipendii loco in Collegio Georgiano acciperet habitationem & mensam; quam etiam in conditionem ipse D. Regens consensit.

Ad Facultatem philosophicam nouus hoc anno Professor receptus est, ex prima Germaniæ nobilitate vir *Eusebius Truchsessius*, antiquissima *Comitum Truchsessiorum de Scheer* familia oriundus; qui cum Philosophiam atque Theologiam Romæ in Colle-

gio

A. 1658.

gio germanico didiciſſet, & ex vtraque ſcientia Doctoris lauream eſſet conſecutus, Ordinem S. I. ibidem ingreſſus eſt, iam antea ſacerdotio initiatus. Ad noſtram Academiam translatus hoc anno Ethicam, deinceps autem per continuos ſex annos Philoſophiam explanauit; eidemque illuſtrandæ ſequentes edidit commentarios: *Quodlibeta Philoſophica, tribus partibus*, an. 1662. & 1664. *Partem 4. ſeu Quodlibetum de Cometarum ſignificatione & Aſtrologia*, 1665. *Theoremata Miſcellanea*, 1665. Cumque dein aliquot annis Theologiam Monachii atque Dilingæ publice docuiſſet, iterum euocatus Romam Præpoſito Generali aliquamdiu a ſecretis fuit; redux vero in patriam, varia ſui Ordinis Collegia, atque ipſam Germaniæ ſuperioris Prouinciam regendam ſuſcepit.

ANNO DOMINI MDCLIX.

A. 1659.

Rect. CCCLXIV. MATTHIAS KAVTTIVS, Prof. Digeſt. II.

Rect. CCCLXV. ANTON. CROLLALANZA, Iur. Prof. II.

Inſcripti III.

Nobiles, *Henric. Franc. Gaſpardus L. B. de Mercy* &c.
Ioan. Hieron. Maximil. L. B. a Marimont.
Alexand. Ioan. } *Comites de Wezykowawola Wezyck*, Capi-
Albert. Caſimir. } tanei Seradienſ. & Wartenſ. filii.
Georg. Marszalconiez, Pruthenus.
Marc. Henric. Keller a Schlaidtheim, Dominus ab Iſenburg.
Raymund. Carol. Rechlingen.
Franc. Otto a Forſtenhauſen.
Georg. Henric. Schmid a Wellenſtein.
Stanisl. Andr. Tizobicki Comes de Mebcizna, Polonus ex Palatinatu Siradienſi.
Caſp. Franc. Comes Ciſaski, Canonic. Gneſnenſ.
Stanislaus de Kamotzin Kamocki Barc Polonus, Cuſtos & Canonic. Scarbimirienſis.

A. 1659.

Ioan. Albert. Herwart ab Hohenburg in Poſſenhofen.
Florentius Gentiflorus Puechleiter, a Sunzing in Walthurn, Bau.
Ioan. Ignat. a Sandizell, Edelshof
Ferd. Franc. Baro de Landtsbergh, Weſtphalus.
Ioan. Iacob. Khuen, Comes a Liechtenberg & Gardegg.
Ioan. Maurit. Gudenus, Haſſus.
Maurit. Erneſt. Rottendorf, Weſtphal.
Wilhelm. Caſp. a Scharlemme.
Wilhelm. Lothar. Dücker.
Franc. Rudolph. ab Halden.
Philipp. Melch. a Schwabpach.

Nou. Prof. *Carol. Barbius*, Limbrenſ. Tirol. S. I. Prof. Ethic.

Nou. Doct. *Franc. Iacob. Zadler*, Landauienſ. Bau.
Ioan. Franc. Brueder, Patric. Biberac.
Ioan. Thom. Feyrer a Feyrhofen, Straubing.
Franc. Iac. Erber ab Erberg, Carniolus.
Franciſc. / *Nicolaus* } *Reling*, Burghuſ. fratres.
Anton. Scarſſii a Campo verde, Viennenſ.
N. Föli,
N. Beutter,
N. Prösl,
Blaſius Reichmayr, Vicecamer. Vniuerſ.
Leonard. Canzlmiller, Colleg. S. I. Syndic.
Ioan. Kreuttmann, Kaufburan.
} *Vtr. Iur.*
M. Ioſeph. Lechner, Laindernenſ. Bau.
M. Franc. Albert. Riedl, Monacenſ. Bau.
Georg. Tobias Dyrr, Auguſt. Sueu.
Carol. Emmanuel Khuon, Vranienſ. Helu.
} *Medic.*

Menſe Aprili huius anni celebrata eſt a Patribus Auguſtinianis Apotheoſis publica S. Thomæ de Villanoua per integrum octiduum. Patres academici, licet ea ſolennitas ad Vniuerſitatem non pertineret, pro ſua pietate die 20. dicti menſis Proceſſionem publicam comitati ſunt, quam Proepiſcopus Eichſtettenſis deduxit.

In

A. 1659.

In hiſtoria academica literaria memorandi ad hunc annum praecipue veniunt duo nobiles Bauari, vnus e Profeſſorum, alter e ſcholarium numero, *Chriſtophorus* ſcilicet *Haunoldus*, olim Aulæ Monacenſis Ephebus, nunc SS. Theologiæ Profeſſor, qui Inſtitutiones ſuas Theologicas hoe anno edidit, pluribus deinceps ſolidiſſimis ſcriptis Academiam & Patriam illuſtraturus; & *Ioannes Georgius Mändl L. B. a Deutenhofen* Philoſophiæ Studioſus, qui raro tum exemplo mathematicam diſputationem publice inſtituit ex impreſſis theſibus de Horologio vniuerſali cum parergis opticis; quas etiam poſitiones ſuas Parenti ſuo *Ioanni*, Cameræ Electoralis Præſidi &c. dedicatas, ſub præſidio *Ioſephi Vogleri* Mathematicæ Profeſſoris magna cum laude defendit.

Ad Theologorum noſtrorum Collegium Roma eodem anno miſſæ ſunt cenſuræ ſeptem Propoſitionum moralium a Ianſeniſtis datæ, aduerſum quas etiam ſacra Facultas anticriſin ſuam comprobauit.

ANNO DOMINI M DC LX.

A. 1660.

Rect. CCCLXVI. FRANC. IGNAT. THIERMAYR, Medic. Doctor & Prof.

Rect. CCCLXVII. OSWALDVS A ZIMMERN &c. X.

Inſcripti 188.

Nobiles, *Ioan. Matthæus a Deuring.*
Maximil. Theodoric. L. B. a Lerchenfeld.
Petr. Alexand. Ebinger a Baldtsheim.
Henr. Frid. Forko a Forkenau.
Maximil. Wunibald. S. R. I. Dapifer hæred. Comes a Scheer &c.
Wolfg. Petr. ab Oberndorf, Ambergenſ.
Matthias Rudolph. S. R. I. Comes ab Oppersdorf.
Ioan. Bernard. Comes Praſchma, L. B. de Bilkau.
Ioan. Sebaſt. Mändl L. B. a Deutenhofen.
Wolfg. Ernricus de & in Eznberg.
Ioan. Bernard. Prändtl de & in Irnſing.

Philipp.

A. 1660.

Philipp. Wilhelm. ab Hornigk.
Maximil. Ioan. Franc. } *LL. BB. de Preyſing* ab Hohenaſchau &c.
Ioan. Frid. Ignat. }
Gallus Diethelm. a Deuring.
Wenceslaus Worzykarsky de Kundiratuz. Eques Bohem.
Ioan. Iac. Pleſs, Sileſ.
Ioan. Godefrid. a Perling, Palatinus.
Matthias } *Wolczinski*, Poloni, fratres.
Laurentius }
Ioan. Georg. Weſtaher a Moſen.
Chriſtoph. Philipp. Comes de Liechtenſtein, Baro in Kaſtelkorn, Dominus in Schena &c.
Ioan. Chriſtoph. Tſchiderer a Glaishaim, Tyrol.
Ioan. Albert. a Mämming.
Franc. Felix Scharfseder, a Kollersaich.
Maximil. Franc. L. B. de Ruepp.
Franc. Cuſinus, Trident.
Franc. Henric. a Perling, nobil. Palat.
Elias Godefrid. Weidling a Weidling & Rittersberg, Eques.
Ioan. Anton. Comes de Lamboy.
Maurit. Philipp. Baro de Ketteler.

Nou. Prof. *Iacob. Demenou*, Pontiſtad. Burgund. S. I. Prof. Phil.

Nou. Doct. *Balthaſar Richter*, Brixinenſ. Tyrol. } *Medic.*
Tobias Wiſchlburger, Landau. Bau. }

Quantum hoc anno Academia & numero & nobilitate floruerit, ex Albo academico ſatis quidem patet: teſtantur præterea acta philoſophicæ Facultatis in Feſto S. Catharinæ, quo more aliorum annorum Decanus Artiſticus ad templum academicum deducebatur, comitantibus ſedecim Illuſtribus id factum hoc anno fuiſſe.

Ex numero Profeſſorum ſub ipſius Ianuarii initium tumulo intulimus *Caſparum Denichium in Erlach*, I. V. Doctorem ac Profeſſorem emeritum, & Vniuerſitatis Camerarium, Virum vt annis, ita meritis grauem. Natus is fuerat anno 1591. patre *Ioachimo Denichio*, matre *Maria*, *Caſpari Lagi* filia. Abſolutis hu-

ma-

A.
manioribus ſtudiis, cum nec dum quatuordecim eſſet annorum; 1660.
& ſuprema Philoſophiæ laurea inter primos inſignitus, legum ac Canonum ſcientiam tam feliciter comprehendit, vt iam an. 1612. publice propugnatis ſine Præſide theſibus, I. V. Doctor fuerit renunciatus. Tum vero peragratis regionibus peregrinis, & maxime Italia, anno 1614. Iurium Profeſſor extraordinarius, & triennio poſt Ordinarius eſt conſtitutus. An. 1620. Camerarius Vniuerſitatis factus eſt; an. 1623. Inſtitutiones, an. 1624. digeſta, an. 1634 ſacros Canones explicare cœpit. Anno demum 1650. prò emerito eſt declaratus; nec tamen ideo a laboribus ceſſauit, ſed ad mortem vſque docere ius publicum perrexit. Immo, vt mors quoque laborum academicorum eſſet teſtis, non in lecto, ſed in domeſtica ſtudii ac laboris cathedra finire vitam voluit; id quod contigit die 2. Ian. huius anni. Sepultus eſt in Templo academico, in monumento a maioribus ſumtuoſe condito. In triceſimo Exequiarum orationem funebrem, ſeu potius veriſſimam panegyrin ipſi adornauit *Iacobus Loſſius* SS. Canonum Profeſſor. *Caſparum Denichium* virum fuiſſe ſingulari pietate, prudentia, auctoritate & doctrina, Acta Academiæ, & illa quam dixi *Loſſii* oratio plane conſpirant. Vt ſanctiſſimæ Religionis noſtræ exercitia prætream, quæ fere nunquam ſine lacrymis obibat; liberalitatem in pauperes prorſus eximiam oſtendit. Factum eſt non raro, vt ad viginti & amplius florenos fideli viro porrigeret, qui illos magis egentibus tacito ſuo nomine diſpenſaret. Cum belli Suecici tempore plures exercitus hanc vrbem tenerent, & obruti militum numero ciues gemerent; Profeſſores autem academici immunitatis prærogatiua gauderent, hanc inæqualitatem æquo ferre animo non potuit; ceſſit potius priuilegio, hanc proferens memorabilem ſententiam: *Cum hæc militum & malorum inundatio noſtrorum delictorum ſit pœna, & in communem vrnam æque multum mali ego immiſerim, diuinamque iuſtitiam ad vindictam prouocauerim, non refugio paria cum aliis ciuibus militum onera ſubire.* Lucrum, quod vel minima ſordium macula aſperſum eſſet, nunquam admiſit; immo & modicum illum ex priuatis inſtructionibus fructum, etſi ab ipſo Principe permiſſum, ſemper reiecit. Quia prudentia fuerit, qua auctoritate, tum maxime

A. 1660. patuit, quando cum Principibus & Magnatibus agendum, aut ad illos maiori induſtria ſcribendum, vel arduum quid tractandum fuit; omnis ſcilicet eius generis labor in ſolum *Denichium* deriuabatur. Eius doctrinam, quam *Loſſius*, eius in Iurisprudentia canonica diſcipulus mire prædicat, relicta ab ipſo opera typis publicis edita manifeſtius loquuntur. Scripſit vero *de Solutionibus* an. 1616. *De Procuratoribus* an. 1617. *De Iure Perſonarum*, an. 1620. *De Officio Tutorum*, an. 1623. *De Proceſſu iudiciario.* Item *de Venatione & Aucupio*, an. 1624. *Ex vniuerſa materia poſſeſſoria, de Seruitutibus realibus, de Vſucapionibus*, item *ex vniuerſo Iure Feudorum*, an. 1625. *De Probationibus*, item *de Actionibus*, an. 1626. *De Sententiis & Interlocutionibus*, an. 1626. *De Interdictis.* Item *Diſputationem ex vtroque Iure deſumtam*, an. 1627. &c.

Sed *Caſpari Denichii* deſiderium vt mitius ferremus, *Caſparus Manzius* effecit, qui abdicato Cancellarii Neoburgici munere ſexta die Maii ad hanc Vniuerſitatem, & ad priſtinam Digeſtorum cathedram rediit, conſtitutus inſuper a Sereniſſimo Electore noſtro Vniuerſitatis Archiuarius.

A. 1661.

ANNO DOMINI M DC LXI.

Rect. CCCLXVIII. IOAN. IACOB. LOSSIVS, SS. Can. Prof. III.

Rect. CCCLXIX. CASPARVS MANZIVS, Digeſt. Prof. VII.

Inſcripti 146.

Nobiles, *Carol. Emmanuel Baro a Prato.*
Adam. Franc. ab Hebenkirchen.
Georg. Ioſeph. } *LL. BB. a Gumpenberg*, fratres gemini.
Franc. Ioachim. }
Chriſtoph. Ludou. ab Hörnigk.
Otto Ferdinand. Comes de Noſtiz.
Ioan. Petr. ab Althofen, Duſſeldorpienſ.
Ignat. Franc. a Mamming, Bau.
Ioan. Steph. Euſeb. de Möſner.
Iaroslaus Florian. Ignat. Ioan. Comes Schwichowsky, Bohem.

Ioan.

A. 1661.

Ioan. Georg. Kronacher., ab Arnſtein. Palat.
Leopold. Guil. a Vierbaum, Viennenſ.
Ioan. Franc. Illſung a Trazberg.
Ioan. Maximil. Guil. Comes in Maxlrain.
Marc. Albert. Baro de Freyberg.
Ioan. Albert. Spett a Zwifalten.
Ioan. Carol. a Werdenſtein.
Wolfg. Henr. Gembl a Fliſchbach.
Romanus Chriſtoph. Giel a Gielsberg.
Ioan. Rutgerus L. B. de Ketteler, Canonic. Paderborn.
Nou. Prof. *Beatus Amrhyn*, Lucernas, S. I. Prof. Ethic.
Nou. Doct. *M. Franciſcus Dägn*, Monac. Bau.
M. Ioan. Conrad. Herold, Neofor. Palat.
Ioan. Mich. Werter, Monac. Bau.
M. Philipp. Iac. Schönfelder, Friſing. Bau.
M. Franc. Hagen, Friſing. Bau.
} *Medic.*

Hoſpitem hoc anno habuimus, Monachio ſcilicet huc venientem, Sereniſſimum & Eminentiſſimum Electorem Colonienſem, quem Rector Vniuerſitatis comitantibus Patribus academicis ſolenni ritu ſalutauit. Eundem ipſi honorem academia habuit, cum Templum inuiſens Spec. Virg. depoſitos ibidem theſauros ſpectaret; atque iterum, cum hinc Neoburgum diſcederet.

Cum ſuperioribus annis, ac ſpeciatim anno 1659. Facultatis medicæ Doctores ac Profeſſores vnanimiter decreuiſſent, vt Anatomiæ adminiſtratio haud ſecus ac Decanatus ex ordine deinceps ad omnes Profeſſores quaſi perambularet, atque emolumenta exinde prouenientia in ſingulos pari proportione diſtribuerentur, intimatum eſt hoc anno, die 15. Iunii per ſpeciale Sereniſſimi Decretum Facultati inprimis medicæ, tum toti etiam Vniuerſitati, vt poſthac Anatomiam exerceat, & publice adminiſtret ex Medicis Profeſſoribus ordinariis ſolus *Franciſcus Ignatius Thiermayr*, eiusdem Sereniſſimi Electoris Conſiliarius. Cui etiam hac de cauſſa ſtipendium annuum centum florenis auctum eſt.

A. 1662.

ANNO DOMINI M DC LXII.

Rect. CCCLXX. IACOBVS STELZLINVS &c. Medic. Prof.

Rect. CCCLXXI. IOAN. HENRIC. PASCHA &c. Theol. polem. Prof. II.

Inſcripti 113.

Nobiles, *Ioan. Frid. Haugwitz.*
Franc. Andr. ab Aſchau.
Carol. Annibal Burggrauius & Comes de Lohna.
Ioan. Chriſtoph. ab Aichhorn ab Edlhauſen & Raining, Oenipontanus.
Georg. Honorius a Gampenburg.
Franc. Gobertus Comes in Reicheim.
Godefrid. Ignat. Silbermann ab Holzheim, Neoburg.
Chriſtoph. Iacob. Millner a Zweyraden.
Ioan. Simon. } *Grieſſenbeck* a Grieſſenbach, fratres.
Franc. Ioachim. }
Carol. Ferd. Thurnhuber a Thurnhofen in Ottringen.
Vit. Ignat. a Gözengrien, Burghuſ.
Wolfg. Ioachim. } *Weingärtler* ab Haibach, fratres.
Franc. Albert. }
Ioan. Andr. Comes a Wolkenſtein & Rodnögg, Tyrolenſ.
Wolfg. Philipp. a Schrottenberg.
Rudolph. Guil. a Zimmern, Viennenſ.
Franc. Henr. Freytag, L. B. ex orient. Friſia.
Ioan. Iacob. Münſterer a Stefflingen.
Franc. Philipp. L. B. de Welden.
Franciſcus a S. Vincentio.
Guilielm. Haller, ab Hallerſtein.
Ioan. Bapt. Gaſſer a Straſsberg, Rhoet. ſuper.
Wenceslaus Norbert. Octauian. Kinsky, Comes de Chinitz & Tettaw, Bohemus.
Ioan. Carol. Secundorf ab Hortenſtein, Morau.
Ioannes Bartels a Wendern, Palat.
Adam. Bernard. ab Hornſtein, Sueuus.

Non.

A.

Nou. Prof. *Ioan. Euang. Thanner*, Monacenſ. Bau. S. I. Prof. Theol. Schol. 1662.
Iſaias Molitor, Conſtant. Acron. S. I. Prof. Theol. moral.
Chriſtoph. Meindl, Mosburg. Bau. S. I. Prof. Ethic.

Vigeſima quarta Aprilis huius anni cum de eligendo nouo Rectore Vniuerſitatis ageretur, oblata eſt ea dignitas *Chriſtophoro Philippo Comiti Liechtenſteinio*; qui cum deprecatus illam eſſet, *Iacobus Stelzlinus* Medic. Prof. electus eſt.

In cauſſa Bibliothecæ Knöringianæ conſtituta hoc anno nonnulla ſunt, quæ a poſteris ne ignorentur, non nihil videtur intereſſe. Conuenere 16. Maii Procancellarius & quatuor Facultatum Decani, ad quos ſcilicet ex mente Fundatoris Bibliothecæ illius cura pertinet, ac deliberarunt inprimis de 120. florenis, poſt multorum annorum intermiſſos cenſus denique iterum miſſis a Reuerendiſſimo & Eminentiſſimo Principe Moguntino, Wurceburgenſi Epiſcopo. Conſtitutum vero eſt de illis pecuniis, vt & hæ ipſæ, & quæcunque aliæ ad Bibliothecam pertinentes (quales etiam ſunt 60. floreni annuatim ſoliti numerari a Sereniſſimo Bauariæ Electore pro rebus quibusdam rarioribus ac pretioſioribus ad Muſæum aulicum Monacenſe translatis) deinceps aſſeruarentur apud Procancellarium in ſpeciali ciſta cum geminis clauibus, quarum alteram ſemper haberet vnus e Decanis illius anni. Electus autem mox eſt pro hoc anno *Caſparus Manzius* Facultatis iuridicæ Decanus; cui & aliud commiſſum eſt negotium, ſcilicet, vt prouideret de apto quodam homine, cui cura Bibliothecæ, & librorum melior diſpoſitio ex eiusdem *Manzii* directione commendaretur. Stipendium vero huius Bibliothecarii interea, dum omnia melius ad mentem Fundatoris reduci poſſent, præſtaretur e ſexaginta florenis ſupra indicatis. Collegii quoque Georgiani Regentem interrogandum cenſuere, an & vnde haberi redditus poſſent pro alendo Bibliothecario, cui reperiuntur viginti circiter & quinque floreni pro ſua cura aſſignati in ſtipendio theologico. Denique propoſitum in eodem conuentu, per Knöringianæ Fundationis literas omnem ſacram ſupellectilem, quam certe opulen-

A. 1662. tam fuiſſe tanto Præſuli credibile eſt, Albertino Academiæ ſacello fuiſſe legatam, atque aſſignatos inſuper ad eius conſeruationem annuos cenſus 100. florenorum; & tamen huius ſupellectilis in dicto ſacello nullum veſtigium reperiri. Hæc prætereunda ſilentio non putaui, quod forte poſſint aliquando inſtructioni eſſe.

Profeſſio fidei, quæ antehac in ipſa Anniuerſarii, vt vocamus, Knöringiani die ab omnibus Patribus academicis fieri ſolebat, hoc anno translata eſt in Feſtum Immaculatæ Conceptionis B. V. M. cuius rei ea fortaſſe cauſſa fuerit, quod, cum ob cenſuum iacturam aut alias temporum iniurias intermittere aliquoties illas Knöringii exequias neceſſe fuerit, ipſa etiam fidei Profeſſio fuerit intermiſſa, quæ tamen ex lege cuiuslibet anni ſcholaſtici initio erat facienda. Deinde oportunior huic actui octaua decembris inde etiam videri poterat, quod eadem die iuramentum ſuperius memoratum de tuendo B. Virginis immaculato conceptu præſtandum erat.

A. 1663.

ANNO DOMINI M DC LXIII.

Rect. CCCLXXII. IOAN. OSWALDVS A ZIMMERN &c. Prof. S. Script. XI.

Rect. CCCLXXIII. ARNOLDVS RATHIVS &c. Prof. Cod. V.

Inſcriptorum numerus ob matriculæ defectum, a die 17. Octobris ad 26. Aprilis anni 1664. iniri non potuit.

Nobiles, *Franc. Ant. de Maffei*, nobil. Trident.
Ioan. Franc. a Bernhauſen, Heluet. occiſus in pugna ad S. Gotthardum contra Turcas menſe Auguſto 1664. vbi ſigniferi gerebat munus.
Ioan. Iodoc. Steblin a Stahlberg, Onoldsbac.
Mich. Ant. Engel, nobil. Auſtriac.
Ferd. Ioan. ab Altenhofen, Bonnenſis.
Hieron. Ambroſ. } *Langenmantel*, Auguſt. fratres.
Carol. Sebaſt. }

Nicol.

A. 1663.

Nicol. Henr. Comes a Sdzmbrouica Firley, Polonus.
Franc. Ioan. a Bronice Bronicki, Baro Polon.
Ioan. Franc. Cortini, Polon.
Barthol. Stanisl. Iedlewski, Polon. Presbyter.
Franc. Carol. Comes de Rabbata L. B. in Dormberg, Dominus in Canal, Patriarchalis Eccleſiæ Aquileienſis Vicarius Archiducalis, & Cathedralium Eccleſ. Paſſau. & Olomuc. Canonicus.

Nou. Prof. *Beatus Amrhyn*, Lucernas, S. I. Prof. Log.
Ignatius Rath, Inſt. Prof. extraord. deſignatus.

Nou. Doct. *Simon Hochholzer*, Landauienſ. Parochus & Decanus in Ozingen.
Ioan. Franc. Pfetiſcher, Monacenſ. Parochus in Schambach, & Camerarius in Riedenburg.
Ioan. Georg. Waizenbeck, Veldenſ. Parochus in Altdorf.
Ioan. Götzfrid, Mindelhem. Parochus in Babenhauſen.
Benedict. Gailer, Geiſenfeld. Capellanus ibidem.
Franc. Sachenreitter, Monacenſ.
Ioan. Conſtantin. Dormor, Geiſenfeld.
Matthias Sibenhärl, Vilsbiburgenſ.
Simon Holzhauſer, Monacenſ. Vicarius & Vicedecanus in Althamb.
Rupert. Wandereis, Salisburgenſ. Sacellanus aulicus Friſingæ.
} *Theol.*

Ignatius Rath, Ingolſt. Prof. Inſt. deſignat.
Georgius Widl, Ratisbonenſ.
Chriſtoph. Nicol. Hillebrandt.
} *Vtr. Iur.*

M. Michael Schmid, Monacenſ.
Ioan. Sigismund. Freytag, Ingolſtad.
Ioan. Iacob. a Zimmern, Ingolſtad.
M. Franc. Wagner, Eichſtadianus.
Ioannes Sauſer, Immenſtad. Acron.
Andreas Hauſer, Nizitrenſ. Tirol.
M. Ioan. Adam. Fiſcher, Brigantin. Acron.
M. Iac. Chriſtoph. Bechler, Diling. Sueu.
} *Medic.*

Mirum

A. 1663. Mirum ac ſingulare videri debet, poſt *Henricum Paſcha* 24. Aprilis Rectorem Vniuerſitatis electum eſſe *Oſwaldum a Zimmern*, itidem Theologum. Res ita contigit: eligendus ex ordine erat *Arnoldus Rathius* Cod. Prof. ſed cum hic ſtudio actui electionis ſeſe ſubtraxiſſet, Patrum academicorum vota æqualiter fuere diuiſa inter hunc ipſum *Rathium* & *Oſwaldum a Zimmern*. Res igitur tota ad D. Exrectorem deuoluebatur, qui voto ſuo deciſiuo ſuum Collegam Doctorem *Oſwaldum* Rectorem conſtituit. Omnino veroſimile eſt, quod is ipſe in Actis theolog. Facultatis ad hunc diem notauit; ſcilicet, neminem hac quidem vice Rectoris munus affectaſſe ob controuerſiam de *præcedentia* inter Rectorem Vniuerſitatis, & Vrbis Gubernatorem, iam antiquam quidem illam, ſed nuper decreto quodam Electorali de nouo excitatam.

Lectæ ſunt 18. Martii in Senatu pleno literæ Sereniſſimi Electoris, quæ præter alia illud etiam continebant, vt Rector Vniuerſitatis *præcedentiam* habeat in actibus & functionibus academicis, Gubernator autem Vrbis in aliis actibus publicis, præſertim politicis. Concluſum tum eſt, vt modo, quo fieri poſſit, ſuauiſſimo Academiæ nomine ſcribatur Conſiliariis intimis literatis; & deinde, ſi conſultum videatur, ipſi etiam Sereniſſimo, pro declaratione vel mitigatione huius ſententiæ iuxta antiquam conſuetudinem, primæuam fundationem, & decretum Sereniſſimi Principis MAXIMILIANI ad annum 1605. Inuocandum denique eſſe Illuſtriſſimum ac Reuerendiſſimum Vniuerſitatis Cancellarium, Principem ac Epiſcopum Eichſtettenſem, vt pro conſeruatione priuilegiorum apud Sereniſſimum noſtrum intercedat. Rationes ad eam cauſſam pertinentes collegit, & formam etiam literarum concepit *Caſparus Manzius* Vniuerſitatis Archiuarius. Quem ea conſilia effectum habuerint, neſcio; illud tamen certum eſt, Vniuerſitatem, quantum quidem in ipſa eſt, antiquis ſuis iuribus ac prærogatiuis hodiedum inſiſtere.

Facultas theologica quantum floruerit, duobus hoc maxime anno exemplis oſtenſum eſt. Creauit illa inprimis die 4. Iulii ritu ſolenni Doctores Theologiæ omnino decem, quorum nomina ſuperius deſcripta ſunt. Hos inter *Simon Hochholzerus* actum illum propter grauem ſatis ætatem & venerabiles canos

pluri-

A. 1663.

plurimum condecorauit. Deinde ampliatum eſt eodem anno Auditorium Theologorum, ob diſcipulorum ſcilicet frequentiam, & protractum vſque ad extimum murum, qui plateam reſpicit; in quem finem disiectus eſt fornix e regione Sacelli Diuæ Catharinæ conniuente Facultate philoſophica; cuius tamen monitu locus ille in eam formam redactus eſt, vt conſuetis vſibus deſeruire poſſet.

Ignatius Rathius, Profeſſoris Cod. *Arnoldi Rathii* filius decima octaua Decembris a parente ſuo I. V. Doctor eſt renuntiatus, cum iam antea Profeſſor Inſtitutionum extraordinarius a Sereniſſimo Electore deſignatus eſſet.

Sed & Medici noſtri ac Philoſophi numeroſas habuere promotiones; ac illi quidem Doctores octonos, hi triginta & vnum Magiſtros ritu publico ac ſolenni crearunt. Accedit ad hæc Diſputatio ex vniuerſa Philoſophia, quam *Ioannes Fridericus Ignatius L. B. a Preyſing*, Eccleſiæ Cathedralis Auguſtanæ Canonicus, eximia prorſus ac ſingulari cum laude inſtituit.

Literariis hisce exercitiis etiam ſacra adiunximus, cum feſtis quibusque ac Dominicis diebus ab hora quarta veſpertina vſque ad quintam comprecationes inſtituimus, chriſtianis armis victoriam contra Turcas a DEO exoraturi.

ANNO DOMINI M DC LXIV.

A. 1664.

Rect. CCCLXXIV. WOLFG. SIGISM. BREMIVS, Medic. Prof. IV.

Rect. CCCLXXV. HENRICVS PASCHA, Prof. Controu. Fid. III.

Inſcripti a 26. Aprilis vſque ad 17. Octobris viginti quinque; per reliquos h. a. menſes deficit matricula.

Nobiles, *Ludou. Albert. a Zeſchlin*, Oetting. Rhoet.
Franc. Theodor. Beiſſel, L. B. a Gymnich & Schmidheim.
Ioan. Arnold. Limpurg, Bonnenſ.
Tymon Victor L. B. de Weix.
Ioan. Franc. Eiſenreich ab Egelkofen, &c. &c.

A.
1664. Nou. Prof. *Ioan. Bapt. Weiss*, Burkheimens. Palat. S. I. Prof. Cas.
Rudolph. Albrecht, Tigurinus Heluet. Medic. Doct. & Prof. ord.
Dauid Herele, Landsberg. Bau. S. I. Prof. Ethic.
Iacobus Illsung, Halens. Tirol. S. I. Prof. Log.
Wolfgang. Leinberer, Markdorfens. Sueu. S. I. Prof. Mathes. & Ling. sacr.

Nou. Doct. *Ioan. Henric. Kolb*, Wangens. Allgoius, designatus Parochus Wangensis.
Herwicus Benning, Duderstadiens. Eichsfeld.
Franciscus Erhard, Monacensis.
Marcus Keller, Donawerdan. Canonic. ad SS. Iacob. & Tiburt. Straubingæ, & ibidem Electoral. Regiminis Assessor.
Ioan. Conrad. Reichwein, Aduocatus Amberg.
} *Vtr. Iur.*

Ioan. Vdalric. Höchstetter, Ingolstad.
Ioannes Bairst, Landsberg. Bau.
Wolfg. Ignat. Frank, Neoburg. Palat.
Christoph. Ludoph. Eiselin, Dünkelspihl. Sueu.
Ioan. Paul. Winter, Landishut. Bau.
} *Medic.*

Vigesima septima Martii rediens ex Comitiis Ratisbonensibus Serenissimus Elector noster vna cum Serenissima Coniuge ad nos diuertit, quos & in arce Patres academici omnes salutarunt. Discessere hinc Monachium 31. eiusdem mensis. Dux etiam Wurtenbergicus hac transiens aliquamdiu in nostra ciuitate commoratus, visu digna clementissime spectare voluit.

Bellum turcicum superiore anno in Hungaria cœptum, maiore consternatione quam periculo viciniam nostram repleuerat; nam cum sub medium Septembrem prioris anni Turcarum prædabundorum millia aliquot in Morauiam irrupissent, tantum panici metus non modo Austriam, sed Bauariam quoque ac Palatinatum inuasit, vt velut in proximo imminentibus hostibus nonnisi fugæ consilium occurreret consternatis. Abensbergenses ac Neostadienses multis curribus ad nostræ vrbis mœnia libros ac supellectilem velut desperatis ruri omnibus subuexerunt. Sed admissi in vrbem multi non sunt, ne exemplo nocerent

A.
cerent ad propagationem vani terroris; qui quidem in præci- 1664.
puis etiam Bauariæ vrbibus, atque in Metropoli etiam fugæ conſilia iam ſuggeſſerat. Sed rebus a chriſtiano exercitu ad S. Gotthardum feliciter geſtis, pax inter LEOPOLDVM Cæſ. & MAHOMETEM IV. decima Auguſti inita plenam vbique quietem reſtituit. Nobis tamen ipſa Victoria Gotthardiana nonnullam lugendi cauſſam obtulit, ob mortem *Franciſci Comitis Fuggeri*, Gubernatoris noſtri, & in Exercitu Imperiali ſupremi rei tormentariæ Præfecti, qui in illo prælio occubuit. Allatum eſt eius cadauer ex ipſa vſque Hungaria quarta & vigeſima Auguſti ſub horam ſeptimam veſpertinam. Deduxerunt funus Profeſſores academici omnes cum ſtudioſis a porta Danubiana vſque ad templum S. Mauritii, vbi ante aram ſummam ſepultus eſt. Altera die Exequiis in eodem templo celebratis interfuerunt iterum Profeſſores omnes.

Facultas theologica antiquum ius in viſitandis Bibliopolarum tabernis hoc iterum anno exercuit quamuis non ſine controuerſia. Erat Bibliopola Norimbergenſis, qui ad nundinas huc profectus pernicioſos tres libros in catalogo non contentos vendiderat. Accuſauit eum Decanus ea de re apud Rectorem Vniuerſitatis. Interea Prætor vrbis Decanum adiit, & præfatus exſtare ſuper hac re Sereniſſimi mandata, eundem requiſiuit, vt ſecum viſitaret & in hoſpitio Bibliopolæ libros, & ſimul dein in taberna. Fecit vtrumque Decanus. Controuerſia poſthac mota Prætori, quod extra territorium & iurisdictionis ſuæ locum id feciſſet. Qua ſuper re bis dein in pleno Senatu diſceptatum. Et vero res adhuc pendet e deciſione Sereniſſimi ad quem ſuper hoc ſcriptum. Id certo cognitum, competere Facultati & Decano ius, vbique, tota vrbe, in quibusuis tabernis libros, ſchediaſmata, imagines &c. viſitandi.

Collegii Medicorum præcipuum decus *Franc. Ignat. Thiermayr* vltima die Aprilis Academiæ valedixit, Monachium ſcilicet vocatus, ac pro Cubiculario Medico Electorali ibidem ſuſceptus. Octennium fere apud nos transegit magna doctrinæ ac feliciſſimæ praxis fama. Natus erat *Thiermarus* Monachii, Patre *Thoma*, trium continenter Sereniſſimorum Bauariæ Ducum Archiatro; genus vero ac familiam ducebat ex Eichſtettenſibus,

A.

1664. apud quos auum habuit paternum *Hilbrandum Thiermarum* ICtum, Conſiliarium, ac demum Vicecancellarium. Quam bene *Franciſcus* noſter *Ignatius* de re literaria medica fuerit meritus, ex Scriptis æſtimes, quæ vel ipſe compoſuit, vel ab aliis præſtantibus viris compoſita collegit, vel collecta in publicam lucem edidit. Vide Catalogum ex *Grienwaldio* deſcriptum: *Aſſertiones medicæ de rebus præter naturam* &c. 1658. *Scholia medica ad varias Conſultationes & Reſponſiones* &c. 1673. *De Thermis Mochingenſibus*, 1674. *Thomæ Mermanni Conſultationes & Reſponſiones a Thiermaro collectæ, illuſtratæ, auctæ* &c. 1675. *Vnterricht bey gefährlichen Seuchen*, 1678. Manuſcripta, quæ reliquit plurima, apud memoratum *Grienwaldium* legere licet.

Succeſſor *Thiermaro* datus eſt ſequente mox menſe Maio *Ioannes Rudolphus Albrecht* Tigurinus Med. Doct. Vrbis Ingolſtadienſis Phyſicus. Hic 24. Maii principium habuit ſolenne, & tanquam Profeſſor ordinarius Inſtitutiones medicas explicare aggreſſus eſt ex *Galeni Arte parua.*

Facultas Philoſophica hoc iterum anno petiit a Senioribus Vniuerſitatis, vt cauſſam quatuor ſtipendiorum philoſophicorum in Collegio Georgiano ab academico Senatu ſibi commiſſam tandem deciderent, & Facultatem quoad antiquum ſuum ius præſentandi in integrum reſtituerent. Cumque menſe dein Julio *Xauerius Kilian* duplex ſtipendium Schwebermayrianum ſcilicet & Widmannianum, quibus Capellania etiam Georgiana & alia quædam coniuncta erant, reſignaſſet, cenſuerunt Patres Facultatis, laborandum eſſe, vt ſepararentur iterum hæc ſtipendia, quo ſcilicet facilius cognoſceret Facultas, quid iuris haberet, & ad quid præſentare aliquem poſſet. Admonitus igitur nomine Facultatis eſt D. Regens, ne cui interea conferret illa ſtipendia, donec Facultas prouideret; redditus autem aſſeruarentur illi, qui ab ipſa foret præſentandus. Eadem Artium Facultas, cum in doctoratu iuridico impreſſum eſſet Carmen quoddam honorarium ſine cenſura Facultatis, & poſtea turpe mendum in illo eſſet deprehenſum, grauiter inprimis obiurgauit Typographum, quod eiusmodi quid ſine ſua Facultatis approbatione impreſſiſſet; deinde idem voluit ſignificari illi Theologiæ ſtudioſo, qui nomen ſuum Carmini ſubſcripſerat; hoc ſcilicet

A. 1664.

cet redundare in ignominiam philoſophicæ Facultatis, de qua vbique conſtaret, quod ſimilia legere ſoleret, & ſua cenſura approbare.

Inter inſcriptos hoc anno notatur *Ioannes Tilemannus*, Doctor & Medicinæ Profeſſor primarius olim Marpurgi. Hic, qua occaſione, quaue de cauſa Academiæ noſtræ nomen ſuum dederit, inuenire nondum potui.

A. 1665.

ANNO DOMINI M DC LXV.

Rect. CCCLXXVI. IOAN. IACOB. LOSSIVS &c. SS. Can. Prof. IV.

Rect. CCCLXXVII. IACOBVS STÖLZLINVS &c. Medic. Prof. II.

Inſcripti a 28. Aprilis ad 18. Septembris triginta duo, per alterum ſemeſtre iterum deficit matricula academica.

Nobiles, *Ioan. Georg. a Lauter*, Franco.

Franc. Engelhard. Gaſſer a Straſsberg.

Sebaſt. Ignat., *Felix Ioach.* } *Notthaft*, LL. BB. de Weiſſenſtein.

Ioannes, *Conſtantin.*, *Stanislaus*, *Iacobus* } *Zielienski*, Sieprcenſes Caſtellan. Comites Poloni, fratres germani.

Wolfg. Henric., *Georg. Henric.* } *Notthaft*, Comites de Wernberg.

Corbinian. Korbinus a Ruthenthal, Præpoſitus Vierne, dictorum Comitum Præfect.

Ioan. Franc. ab Halden, in Haldenegg, Rhoetus.

Ioan. Anton. a Furtenbach.

Franc. Ioan. Bronicki Comes a Bronice, Reg. Polon. Cubicularius.

Franc. Carol. S. R. I. Comes in Alta Ems &c.

Ioan. Iacob., *Ioan. Ioſeph.* } *Comites de Preyſing.*

A. 1665. Nou. Prof. *Franc. Iacob. Zadler*, Prof. Controu. Fid. &c.
Ferdinand. Visler, Burghuſ. Bau. S. I. Prof. Log.
Nou. Doct. *Franc. Iac. Zadler*, Landauienſis Bau. deſignatus Prof. Controu. Fidei & Paroch. ad Virg. Spec. &c. *Theol.*
Ioan. Conrad. Sandholzer, Conſtant. Acron.
Caſpar. Schweigart, Ingolſtad. Bau.
M. Ioan. Mich. Manger, Hammelburg. Franc. } *Medic.*
Hieronym. Fiſcher, Vberling. Sueu.

Lubens anni huius hiſtoriam ab iis auſpicor, quæ pro diſciplinæ academicæ vigore prudentiſſime, ſaluberrimeque vel geſta ſunt vel ſtatuta. Seueriſſimum inprimis examen inſtitutum eſt aduerſus ceſſatores: plures illorum ſex dierum carcere puniti; Illuſtres ſex Imperialibus; alii per triduum incluſi; alii denique obiurgati: quisque ſcilicet pro ſuo merito. Deinde decretum eſt 27. Febr. in pleno Senatu, vt monerentur Studioſi omnes affixo programmate, ne ab vna Facultate tranſirent ad aliam, niſi monitis prius Profeſſoribus illius Facultatis, a qua diſcedere cogitarent. Factum hoc eſt contra illos potiſſimum, qui a Philoſophis ad ICtos tranſeunt, inſciis omnino Profeſſoribus; vt adeo nunquam ſatis conſtet, cuinam Facultati operam impendant. Denique illud Decembri menſe ſtatutum eſt, vt in deductionibus Rectoris Magnifici ſolennioribus ante officium diuinum non amplius apponatur vinum hiſpanicum, liba & alia condimenta, vt ſic maturius & maiori cum deuotione rei diuinæ vacari poſſit. Hoc decreto Illuſtres maxime videntur fuiſſe offenſi; in proxima enim deductione Rectoris, excepto vnico Barone, Gymnaſii alumno, illorum nullus comparuit.

In Facultate theologica nouus Doctor ſimul & nouus Profeſſor hoc anno apparuit *Franciſcus Iacobus Zadler* Landauienſis Bau. Hic poſtquam anno 1659. 11. Aug. *Caſparo Denichio* promotore Iur. Vtr. Doctor fuiſſet renunciatus, Romam abiit ad Collegium germanicum theologica ibidem ſtudia profecutus. Inde redux cum iam ſuperiori anno in hac ipſa Vniuerſitate noſtra Baccalaureatu atque licentia theologica eſſet inſignitus, menſe demum Aprili huius anni, cum deſignatus iam eſſet Profeſſor Controu. Fid. ab ipſo Anteceſſore ſuo *Henrico Paſcha* SS. Theo-

A

Theologiæ Doctor eſt creatus. Fere in ipſo Doctoratus limine aliquantulum colliſi ſunt Candidatus & Promotor; cum enim ille vellet, vt in theſibus & carminibus titulus adderetur *Profeſſoris Controu. deſignati*, id ægre videbatur ferre Doctor *Paſcha*, quin rem ad plenum Senatum deferendam iudicabat. Sed Decanus ſacræ Facultatis ita cauſſam illam compoſuit, vt *Zadlero* tribueretur titulus *Profeſſoris deſignati*, doctori autem *Paſcha* titulus *Officialis Conſiſtorialis*; ad id enim muneris Eichſtadium vocabatur, quo etiam quarta Iulii diſceſſit. In eius locum ſubſtitutus mox eſt ſæpe memoratus *Zadlerus*; concluſumque ſexta eiusdem menſis in Senatu, vt proxime ſuum haberet ſolenne principium; & vbi conſtaret de facta reſignatione Parochiæ, etiam nominatio expediretur. 1665.

Circa gradus theologicos ipſo hoc anno decretum plane nouum condidit Facultas ſacra; ſcilicet petendam eſſe a Reuerendiſſimo & Celſiſſimo Principe Eichſtettenſi tanquam Cancellario Academiæ, poteſtatem admittendi ſtudioſos Theologiæ ad examen pro licentia, gradum vero ipſum eouſque differendi, dum Candidati ipſi vellent. Obtentum id eſt haud difficulter, & eodem mox anno executioni datum.

Decima quinta Octobris in Collegio Societatis hydrope & graui catarrho extinctus eſt *Georgius Lyprandus* Stauffenſis Brisgoius, veteranus & pridem emeritus Theologiæ Profeſſor, quippe quam per continuos viginti tres annos, per vndenos quidem ſcholaſticam, per reliquos moralem, vſque ad annum 1653. apud nos docuit. Inter viros illuſtres, Facultatis theologicæ Profeſſores hoc ei in Auditorio theologico ſcriptum fuit meritiſſimum elogium: *Georgius Lyprandus S. I. Doctor merito inter prima nomina Academiæ noſtræ numerandus: præterquam enim, quod theologicas ſcientias multis annis in hac Academia docte & erudite tradiderit; eam inſuper Iurium peritiam ſibi comparauit, vt pro vtroque foro ſententiam ſuam paſſim rogaretur, expertiſſimus quoque rerum, quæ Spiritus ſunt, Præfectus per annos viginti fuit. Exceſſit e vita, quam omnem annorum LXXVII. ad amuſſim luſtituti ſui perfectiſſimam exegit, maxima ſanctitatis fama relicta XV. Octob. anno* 1665.

Ho-

A. 1665. Honorarunt Patres academici decima Februarii etiam funus Dominæ *Marthæ*, *Düelleri* quondam noſtri Viduæ, quæ octaua dicti menſis obierat, annos nata ſexaginta quinque.

Poſtquam Adminiſtratio anatomica inde a diſceſſu *Franc. Ignat. Thiermari* vacaſſet, illa hoc anno, Sereniſſimi Electoris decreto ſpeciali *Iacobo Stelzlino* ſoli, vt eam ſcilicet *Thiermarus* habuerat, commiſſa eſt.

Inſtituta eſt hoc iterum anno diſputatio mathematica, impreſſis theſibus de nouo Cometa. Defendit *Ioannes Georgius Lueger* Logicæ ſtudioſus inſigni cum laude, vt Acta teſtantur.

Ab Academia noſtra menſe Maio diſceſſit *Franc. Carol. Comes de Rabbata* &c. in quo tanta integritatis, modeſtiæ, aliarumque exempla virtutum eluxiſſe inuenio, vt magnum ſui apud omnes reliquerit deſiderium; quemque ex ipſa hac cauſſa illaudatum dimittere non debui.

Huius anni hiſtoriam claudit mors *Balthaſaris Hainrich*, SS. Theol. Doct. & ducalis Collegii Georgiani Regentis. Is, poſtquam diu iam cum aduerſa valetudine eſſet conflictatus, die 3. Nouembris circa duodecimam noctis, omnibus ſacris rite munitus obiit. Quinta eiusdem poſt exequias ad Virg. Spec. celebratas, ſepultus eſt in Sacello Collegii Georgiani. Ipſi viuo adhuc, ſed corporis infirmitate impedito Senatus academici voluntate tanquam Subregens aſſignatus eſt cum ſpe ſucceſſionis *Stephanus Baſſus*, cognatus Profeſſoris *Loſſii*, qui ſe vadem quoque pro eodem obtulit. Mortuo Regente, Commiſſarii ducalis Collegii Georgiani conſtituti ſunt *Iacobus Loſſius* & *Wolfgang. Sigism. Brem*, quos ipſe etiam Sereniſſimus confirmauit.

A. 1666. ANNO DOMINI M DC LXVI.

Rect. CCCLXXVIII. IOAN. OSWALD. A ZIMMERN &c. Prof. S. Script. XII.

Rect. CCCLXXIX. ARNOLD. RATH &c. Prof. Cod. VI.

Inſcripti 144. a tertia Maii ad Ianuarium ſequentis anni.

No-

A. 1666.

Nobiles, *Bonauentura L. B. de Haunsberg*, Salisburg.
Wenceslaus Marcus Gerardi, Eques Bohem.
Ferd. Maria Franc. } *LL. BB. a Seinsheim.*
Maximil. Eberhard. Ioſ. }
Ferdinand. S. R. I. Comes de Magnis.
Ioſephus Comes Caſnedi &c. Mediolan.
Ioan. Benno ab Herwarth, & Hohenburg.
Vitus Adam. Pelkouer, nobil. Monacenſ.
Aegidius de Harenne, Leodius.
Adam. Ferd. a Lambfritshamb Pircha.
Ioan. Ioſeph. Goder a Köpfing.
Chriſtoph. Frideric. L. B. a Königsfeld.
Adam. Ioſeph. L. B. a Weix.
Guilielm. Arnold Golten ab Illnach, Bohem.
Ioan. Iacob. Roſencranz a Scherbetsgrub.
Ioan. Adam. } *Buechleittner*, LL. BB. a Sunzing &c.
Ioan. Wolfg. }
Ioan. Maximus Grueber, nobil. Liſſingauenſ.
Arnold. Ignat. Sobier de Wündtmühl, Pragenſ.
Michael Andr. Amoni de & in Diettersdorf.
Ioan. Ant. Candichius de Cilloe.
Frid. Engelhard. Bohem a Riglesreuth, Palat.
Adam. Maximil. Roſenbuſch a Nozing.
Ioan. Franc. } *Reiſacher* a Sandelzhauſen.
Adam. Frideric. }
Ioan. Godefrid. Comes a Salburg.
Ioan. Conrad. Laurent. Comes a Tering & Seefeld.
Franc. Carol. de Noſtiz, Luſatius Gerlic.

Nou. Prof. *Beatus Amrhyn*, Lucern. S. I Prof. Theol. Schol.
Adamus Aigenler, Traminenſ. Tirol. S. I. Prof. S. Ling. & Matheſ.
Franc. Rhem, Auguſtan. S. I. Prof. Phil.
Benno Berfall, Greiffenberg. Bau. S. I. Prof. Ethic.

Nou. Doct. *Guilielmus ab Imbſen*, Decanus Huxauienſ.
Ioan. Chriſtoph. Hirſtel, Eichsfeld.
Conradus Bitter, Paderanus Weſtphal.
Ioan. Georg. a Zimmern, Rottwilanus. } *Vtr. Iur.*

A. 1666. *Barthol. Stanisl. Iedlewski*, Polonus. } *Vtr. Iur.*
Stephanus Baſſus, Vice-Regens Colleg. Georg. }

Vigeſima octaua Aprilis, in quam diem hoc anno ob feſta paſchalia translata eſt Electio noui Rectoris Magnifici, Patribus academicis ad eligendum iam congregatis, miſit *Caſparus Manzius* literas Sereniſſimi noſtri ſcriptas nomine, quibus inter cetera etiam ab onere Rectoratus deinceps ſuſcipiendi eximebatur. *Rathius* autem iunior qui vigeſima nona Ianuarii ſolenne principium habuerat, tanquam Profeſſor ordinarius, quamuis extraordinarie adhuc lecturus, donec alia Iuris cathedra vacaret, ita laborabat ad id muneris a ſe amoliendum, vt videretur potius Profeſſoris titulo ceſſurus, quam vt hac vice Rectoratum admitteret. Sic per plura tandem vota electus eſt *Oſwaldus a Zimmern*, Vniuerſitatis Procancellarius & Profeſſor S. Scripturæ.

Ex Illuſtribus Academiæ noſtræ alumnis Acta Facultatis iuridicæ ad hunc annum præcipue commendant *Ioannem Henricum Comitem a Preiſing*, Iurium ſtudioſum, qui quam raro tam laudabili exemplo, haud ſecus ac graduum academicorum candidati, ſeſe libere examini ſubiecit, atque ita etiam reſpondit, vt omnium calculo doctoratu digniſſimus iudicaretur. Hunc pulcherrime æmulatus eſt Comes Polonus, *Franciſcus Ioannes Bronicki de Bronice*, qui theſes mathematicas de Eclipſi Solis glorioſiſſime propugnauit.

Chriſtophorus Haunoldus Theologiæ Scholaſticæ inde ab annis duodecim Profeſſor, *Beato Amrbyn*, qui ipſo hoc anno curſum philoſophicum abſoluerat, ſuam cathedram ceſſit; ipſe vero ſcribendis iam libris intentus, ſimul ſtudiorum Præfectum in Collegio Societatis agit.

Patres Franciſcani, cum tribus continuis diebus in ſuo templo diſputarent, ſingulari quodam conſilio theſes ſuas hoc anno toti inprimis Vniuerſitati, deinde ſingulis Facultatibus, ſpeciali ſemper dedicatione inſcripſerunt, atque plures quotidie e noſtris Profeſſoribus ad diſputandum inuitarunt. Eo autem valuit hocce conſilium, vt & diligenter adeſſent plerique dictis

doctis his diſceptationibus, & larga etiam eleemoſina ex ærario Facultatum factæ dedicationis honorem redimerent. A. 1666.

Baccalaurei hoc anno creati a *Ferdinando Vislero* Phyſices Profeſſore ſexaginta ſex. Qui numerus, cum ſit extraordinarius in noſtra Vniuerſitate, ſpeciatim commemorari hic debuit.

ANNO DOMINI M DC LXVII. A. 1667.

Rect. CCCLXXX. IOAN. ANTON. CROLLALANZA, Inſt. Prof. III.

Rect. CCCLXXXI. IOAN. RVDOLPH. ALBRECHT, Medic. Prof.

Inſcripti 148.

Nobiles, *Ioan. Ferd. L. B. a Triembach*, (al. *Triebenbach*).
Ioan. Caſp. Meinders, Pillefeldenſ.
Ioan. Adam. Lechner a Lechenshofen, Prouincial. Styr.
Ioan. Albert. Nothaft, L. B. a Weiſſenſtein.
Ioan. Erneſt. Schütterus a Klingenberg, Auſtriac.
Proſper, *Phil. Iac.*, *Ferdinand.*, *Alexander* } *Comites ab Arcu.*
Victor. Franc., *Ioan. Anton.*, *Ioan. Chriſtoph.* } *Mändl*, LL. BB. de Deuttenhofen.
Albert. Felix Löſch, L. B. ab & in Hilgertshauſen.
Franc. Felix Ferd., *Adam. Ioſ. Maximil.* } *LL. BB. ab vtroque Fraunhofen.*
Wolfg. Iacob. Straſſer a Neudegg.
Maximil. a Pelkhofen.
Carol. Guil. ab Homansberg.
Franc. Henric. a Reiſſen, Palatinus.
Maximil. Ridler a Ioanneskirchen.
Ioſ. Ignat. Weingärtler ab Haibach, Straubing.

A. 1667. *Adam. Ferd. L. B. a Lampfrizhamb*, Friſing.
Franc. Wolfg. a Thor.
Ferd. Carol. Fieger L. B. a Fridtberg. Tirol.
Iac. Franc. de Cazanis, Tirol.
Nou. Prof. *Wolfgang. Leimberer*, S. I. Prof. Log.

Inſolitam petitionem attulit hoc anno ad Collegium ſacræ Facultatis Prior, quem vocant, Auguſtinianus Ord. Erem. Scilicet pro viro quodam ſui Ordinis Ratisbonæ degente interrogauit, an Facultas eidem iam Licentiato Theologiæ a Reuerendiſſimo ſuo P. Generali creato conferre vellet Gradum doctoratus. Dictis in vtramque partem ſententiis, reſponſum, vt prius decretum exhiberetur, aut certe deſcriptum illius exemplar, quo Reuerendiſſimus P. Generalis memoratum Ordinis ſui alumnum Licentiatum Theologiæ creaſſet; tum, ſi nihil obſtare videretur, conſultum iri, ob nouitatem exempli, Reuerendiſſimum & Celſiſſimum Principem Eichſtettenſem Vniuerſitatis Cancellarium, an permittere velit, vt in Academia hac doctores creentur, qui eius auctoritate Licentiam non accepiſſent, aut ſaltem ab alia Academia legitime non attuliſſent. Poſt vnam igitur alteramue ſeptimanam lectum eſt in concilio Facultatis exemplar decreti; quo Reuerendiſſimus P. Generalis, Magiſter P. F. *Hieronymus Valuaſorius* Mediolanenſis Admodum R. P. Priori Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, tunc Monachii verſanti, Facultatem concedit, vt poſſit fieri Doctor in aliqua approbata Vniuerſitate ſuæ Prouinciæ, ſeruatis ſeruandis. Tenor literarum erat iſte: Præmiſſis nominibus, tam Generalis, quam Prioris ita ſequitur: *Religioſos Inſtituti noſtri viros, qui peculiares labores in ſtudiis literarum exantlant, æquum eſt, vt peculiaribus fauoribus ac gratiis proſequamur: cum ergo tu (ſicut nobis humiliter exponi feciſti) non modo conſuetos Philoſophiæ & Theologiæ curſus compleueris, verum etiam aliis neceſſariis qualitatibus & conditionibus præditus ſis, quibus laurea doctorali dignus exiſtimaris, nos proinde tenore præſentium & noſtri muneris authoritate, tibi, vt in aliqua approbata Vniuerſitate tuæ Prouinciæ gradum & inſignia Doctoratus (ſeruatis ſeruandis) ſuſcipere valeas, Facultatem concedimus & impertimur, præcipientes omnibus & ſingulis nobis inferioribus, cuiuscunque officii, gradus, conditionis & digni-*

A. 1667.

dignitatis in meritum S. Obedientiæ, & ſub pœnis arbitrio noſtro reſeruatis, ne harum noſtrarum effectum ſub quouis prætextu, aut quæſito colore, per ſe aut per alios, directe vel indirecte impedire audeant ac præſumant. Actum in Conuentu noſtro S. P. Auguſtini de Vrbe, die 3. Iunii anno 1667. Lectis, vt dixi, hisce literis, collectisque Patrum votis, concluſum eſt, hanc Generalis Facultatem non eſſe habendam pro gradu licentiæ, neque ſine præuio examine vt moris eſt in hac Academia, ipſi gradum Licentiæ eſſe conferendum.

Iurisconſulti noſtri 16. Martii ſingulare prorſus ediderunt exemplum rigoris in vrgenda Auditorum ſuorum diligentia. Vocati ſunt dicto die ſtudioſi vtriusque Iuris ad ſtubam, quam dicimus, academicam, iuſſique ſinguli cum ſuis ſcriptis comparere. Hæc perluſtrarunt Profeſſores, tanquam diligentiæ quotidianæ teſtimonia; ne vero illa vnus ab altero mutuo acciperet, ſecum aſſeruarunt, quamdiu luſtratio tenuit. Dicunt nouum hunc explorandæ diligentiæ modum Monachio fuiſſe imperatum. Et vero neceſſarium videbatur extraordinarium hoc ſupinæ plurimorum negligentiæ remedium. Non minori ſeueritate vtebantur in tentaminibus & examinibus illorum, qui ad gradus iuridicos aſpirabant. Certe *Freyus* quidam cum in examine non ſatisfeciſſet, nec præſcriptam etiam relationem, ſufficienter elaboraſſet, ad petendam ſuo tempore licentiam admiſſus non fuit, niſi ea conditione, vt denuo poſt vnum alterumue annum a Profeſſoribus examinetur, ſed absque nouis expenſis, vt eius in Iure profectus reddatur magis exploratus. In gratiam Facultatis philoſophicæ illud hic addam, a *Rathio* ſeniore Candidatum quemdam Licentiatus iuridici ad examen admiſſum non fuiſſe, donec legitimum afferret teſtimonium, Philoſophiam ab ipſo per biennium auditam fuiſſe.

A. 1668.

ANNO DOMINI M DC LXVIII.

Rect. CCCLXXXII. FRANC. IAC. ZADLER, SS. Theol. & I. V. Doct. Reuerendiſſ. & Celſiſſ. Principis & Ep. Eichſtett. Conſ. Cathedr. Eccl. ibid. Canonicus, Controu. Fid. Prof. & ad D. Virg. Parochus.

A. 1668. Rect. CCCLXXXIII. IGNAT. RATH. I. V. Doct. & Inſt. Prof.

Inſcripti a 26. April. ad 18. Octobris huius anni triginta nouem. Per reliquos menſes iterum deficit Matricula Vniuerſitatis.

Nobiles, *Paul. Franc. de Ruyta*, nobil. Leodienſ.
Albert. Sigism. a Riembofen & Vattersham.
Georg. Carol. ab Ezdorf.
Carol. Guilielm. ab Armansberg.
Franc. Auguſtin. Koller a Kollegg.
Wolfg. Andr. L. B. de Sygersdorf.
Petr Chriſtoph de Catena (a Ketten) Monaſter. Weſtphal.
Ioannes Tengellott de Valtelin, Brun. Morau.
Adamus Baro de Puech.
Wolfg. Bernard. Puechenegger, Auſtriac.
Ioſeph. Albert. de Freyberg & Eiſenberg.
Barthol. Adrian. Baro a Liechtenau.
Edmund. Ignat. Nicol. Baro a Liechtenau.
Carol. Maurit. Teſta, nobil. Hiſpanus.
N. N. Comes Grimaldi.
Ferdinand. de Pienzenau.

Nou. Prof. *Ioan. Bapt. Erhardt*, Monacenſ. Bau. S. I. Prof. Theol. Schol.
Ioſephus Frank, Margareithenſ. Tirol. S. I. Prof. Log.
Ioan. Damaſcen. Schaller, Veldkirchenſ. Rhæt. S. I. Prof. Ethic.

Nou. Doct. *Andreas Birnbeck*, SS. Theol. Doct. Conſiliarius Mogunt. Sem. Cleric. Secul. in comm. viv. Mogunt. & Herbipol. Præſes.
Dominicus Baſſus, Peſchlauienſ. Rhoet. Phil. Mag.
Franc. Leitgeb, Kirchdorfenſ. Tyrol. Phil. Mag. } *Vtr. Iur.*
Ioan. Georg. Kloſterbauer, Heresriedenſ. Sueu. Conſiliarius Com. Fuggerorum.
Martinus Wettin, Halenſ. Tyrol.
Andreas Weltinger, Iſnenſis Bau. *Iur. Can.*

M.

A. 1668.

M. Franc. Dominic. Grembs, Landishut. Boi.
M. Ioan. Iacob. Pirchinger, Walſerburg. Boi.
Adamus Biſchoff, Ingolſtad. Boi.
Petrus Obermaier, Greslingenſ. Boi.
Ioan. Chriſtoph. Hoffſtetter, Straubing. Boi.
} *Medic.*

Inſoliti motus ad huius anni mox initium & Vrbem & Academiam turbarunt. Recens conducti milites, qui magno numero paſſim per vrbem, in ipſis adeo ciuium academicorum domibus erant locati, Studioſis noſtris, iure, neſcio, an iniuria, turbarum occaſionem præbuere. Aliquamdiu iam tenuerant contentiones ac nocturnæ præſertim rixæ, cum apparet ſubito ad columnam fontis, prope balneum, quod *Roſarum* dicimus, affixum ſchediaſma, quo iubebantur ſtudioſi omnes, ſine armis tamen, ad Academiam conuenire, ſuas illic querelas aduerſum nouellos milites apud Magiſtratum academicum depoſituri. Conuenerunt ſtudioſi ad trecentos; ſed ex omni numero non ſunt admiſſi in Senatum niſi vnus Comes cum tribus Baronibus, quibus deinde tres alii non illuſtres acceſſerunt. Horum poſtulata quamuis plus temeritatis haberent quam æquitatis, promiſit tamen Senatus tumultuantibus, ſe priuilegiorum & immunitatis ſtudioſorum debitam habiturum curam. Acquieuerunt reſponſo & quieti diſceſſerunt. Eadem autem adhuc die quatuor ex Magiſtratu academico communibus ſuffragiis nominati ſunt, qui Illuſtriſſimum D. Gubernatorem, *Comitem de Arcu*, conuenirent, ſtudioſorum querelas aliquas eidem ſignificaturi. Reſpondit is manſuete & perhumaniter, ſe DD. Studioſos, quantum quidem iniuriæ a militibus ſuis ſibi metuerent, ſeruaturum incolumes. Ita ſopitus tantiſper eſt tumultus, & datum Magiſtratui academico ſpatium inquirendi in ſeditionis auctores. Sed nihil certi compertum. Decima igitur quarta Aprilis conſtitutum eſt in pleno Senatu, vt publico programmate caſtigaretur publica tumultuantium inſolentia, & auctor ſeditioſi ſchediaſmatis, quamuis ignotus, quibusdam quaſi execrationibus notaretur. Eodem die in conſeſſu totius Magiſtratus Illuſtribus illis, qui ſe tumultuantibus Procuratores præbuerant, ſua temeritas fuit exprobrata.

Sed

A. 1668. Sed lætiora reliquus annus dedit. Diuerterunt ad noſtram Vrbem 22. Auguſti Sereniſſimi Ducis Neoburgici quatuor filii natu maiores, cum triginta & amplius perſonarum comitatu. Cum in Collegio Patrum Societatis a quodam latina oratiuncula ſalutarentur, IOANNES GVILIELMVS natu maximus expedite admodum & emendate eadem lingua reſpondit non ſine audientium admiratione. Luſtratis dein omnibus, quæ apud nos vel pretioſa ſunt, vel mirabilia, eodem die Neoburgum rediere.

Vigeſima Octobris ipſe etiam Sereniſſimus noſter ex venatione Geiſenfeldenſi ad nos inuiſit pro more ſalutatus ad portam arcis. Poſtridie ſub veſperum aduenit Sereniſſimus Dux Neoburgicus, a Sereniſſimo Electore noſtro extra Vrbis portam ad tres fere horæ quadrantes obuiam procedente, humaniſſime exceptus. Patres academici ingredientem in arcem præſtolati ſunt, non ad portam arcis, vt in aduentu noſtri Sereniſſimi, ſed in ſuperiori arcis atrio, ante Principis conclaue. Tertia & vigeſima dicti menſis circa octauam matutinam ambo Principes hinc diſceſſere.

Habuit etiam Academiæ noſtræ ſpecialem eum honorem Reuerendiſſimus Abbas Cæſareenſis, vt, cum ex Monachis ſuis quispiam, *Elias Götzius* publice ex impreſſis theſibus de Theologia diſputaret, ipſe quoque literario huic actui adeſſe voluerit. Inuitatus ad argumentandum, pro ſe ſubſtituit eiusdem Ordinis & Cœnobii Patrem aliquem, qui & ipſe, quamuis prope imparatus, vt acta loquuntur, præclare tamen opponentis partes expleuit. Poſt diſputationem Magnificum Academiæ Rectorem curru ſuo exceptum domum deduxit, relicto eidem vbique honoratiore loco.

Ex noſtris Theologiæ Profeſſoribus, qui ſcilicet de Societate IESV ſunt, duo hoc iterum anno ad regenda per Prouinciam ſuam Collegia abiere; *Ioannes Euang. Thannerus* Neoburgum, *Ioan. Bapt. Weiſſius* Lucernam. Pro *Thannero* ſucceſſit ex Theologia Dilingana *Ioan. Bapt. Erhardus;* qui cum quadriennio abhinc curſum apud nos philoſophicum abſoluiſſet, cœpit hoc anno Senatum Academicum frequentare, non repetito iuramento, quod Profeſſor Philoſophiæ præſtiterat. Pro *Ioanne Baptiſta Weiſſio*

A. 1668.

Weiſſio moralem Theologiam explicare debuerat *Laurentius Gerwigius*, iamque matriculæ noſtræ erat inſcriptus, cum *Weiſſius* Rectoris dignitatem deprecatus, ad ſuos Caſus, *Gerwigius* Dilingam, vnde venerat, ad ſuam Theologiam ſcholaſticam rediit.

Ex Illuſtrioribus noſtris Scholaſticis ad cœlum, vt ſperamus, abiit *Franc. Carol. L. B. de Noſtiz*, Görlizenſis Luſatius. Obiit 29. Maii cum inſigni pietatis ſenſu, ſepultus 1. Iunii ſtudioſis ingenti numero funus comitantibus, & quinquaginta Nobilibus faces præferentibus.

Die 20. Decembris poſt habitum pro more Concilium angariale, deliberatum eſt in pleno Senatu, quinam ab Academia Commiſſarii ad Comitia Prouincialia Monachium deſtinandi eſſent. Nominati autem ſunt plurium ſuffragiis duo Iurium Doctores *Loſſius* & *Crollalanza*, quibus præcipue iniunctum, vt de bonis Academiæ aut augendis aut reſtaurandis; de ſtipendiis item Profeſſoribus ſtato tempore perſoluendis negotiarentur, iuxta ea, quæ Vicecamerarius Academiæ eam in rem opportuna conſcripſerat. *Vid. Annal. P. IV. Num. LXXIX. LXXX. & LXXXI. pag.* 410. *& ſeq.*

ANNO DOMINI M DC LXIX.

A. 1669.

Rect. CCCLXXXIV. WOLFG. SIGISM. BREM &c. Med. Prof. V.

Rect. CCCLXXXV. IOAN. IACOB. LOSSIVS &c. Iur. Can. Prof. V.

Inſcripti a 18. Octobris ad Ianuarium ſequentis anni 101.

Nobiles, *Ioan. Georg. L. B. de Herwart.*

Petrus de Pruma, Vir nobilis, Camberienſ. Sabaudus, I. V. Stud.

Adolph. Guil. L. B. de Geeböchk in Sulzenmos & Arnbach.

Franc. Ioſeph. } *Freymon*, Straubing.
Franc. Sebaſt. }

Franc. Tengellot de Valtelin, Olomuc. Morau.

Engelhard. Adam. Abel } *a Palling*, Kemnat. Palatini.
Frid. Guil. Ioan. }

Arnold. Rath, nobil. Belga.

A. 1669.

Hieron. Franc. Comes de Portia.
Georg. Franc. de Laſſo, Monacenſ.
Vincentius Arnold. Adlinger ab Arnoldſtein, Pomeran.
Bernardus Locher,
Franc. Andr. Flugius,
Maximil. a Teyrberg, Eques } nobil. Tirolenſ.
Carol. Albert. Beccaria a Silon, Odelzhuſ. Bau.
Felix Gundaker ab Auerbach, Monac.
Franc. Xau. Schartz, nobil. Auſtriac.
Heidenricus a Droſte ex Aulshof, Weſtphal.
Georg. Benno Imbslander ab Hoffitötten.
Euſtach. Egolph. a Weſternach, Cronburgenſ.
Franc. Carol. Hachenburg, nobil. Boi.
Chriſtoph. Adam.
Wolfg. Matthias } *Häckleder* ab Häckled.
Ioan. Barthol.
Ioan. Georg. } *de Göring*, Palatini.
Franc. Ioſeph. Comes a Törring.
Franc. Xau. a Seybersdorf.
Ferd. Franc. L. B. de Weix.
Alexand. Ignat. Schrenk a Nozing.
Franc. Sebaſt. Maria a Miliskhouen.

Nou. Prof. *Iacob. Prugger*, Schwazenſ. Tirol. S. I. Prof. Log.
Franciſcus Rhem, Auguſtan. S. I. Prof. Ethic.

Nou. Doct. *Cœleſtinus Turner*, O. S. B. Profeſſ. ad S. Vdalric. Auguſt.
Gerardus Prandſtetter,
Rupertus Kümpfler, } O. S. B. Profeſſ. Cremifan.
N. Gazin,
Georg. Widmann, } Conſil. Aul. Monac. Aduocati.
Ioſephus Oexl.
N. Maralt,
N. Maralt, } fratres Germani.
} *Vtr. Iur.*

Primo loco in hiſtoria huius anni commemorari meretur Vir honeſtiſſimus *Rochus Breiningus* Comitum Fürſtenbergiorum Præfectus ac Inſtructor. Hic cum aliquando ſtipendii Gewol-

A.
woldiani cenſus percepiſſet, nec tamen ex mente Fundatoris 1669.
ſtatum ſacerdotalem amplexus eſſet, ſed cœlebs in obſequio dictorum Comitum vitam exegiſſet, centum florenos Facultati theologicæ teſtamento legauit, ad refundendas, vt ipſe loquitur, aliqua ſaltem ratione, illius ſtipendii fructus. Obiit vir optimus Sigmaringæ in Sueuia 17. Sept. anno 1668. Vigeſima quarta Februarii huius anni dicta pecuniarum ſumma ad ſacram Facultatem Monachio eſt transmiſſa.

Inter Theologiæ Licentiatos huius anni inuenio *Ioannem Fridericum Carls* Collegii Georgiani Regentem. Hic vero, quomodo ad id officium peruenerit, aut quid de *Stephano Baſſo*, quem ſupra dixi *Balthaſari Hainrichto* cum ſpe ſucceſſionis tanquam Viceregentem fuiſſe additum, factum fuerit, mihi quidem haud conſtat.

Memorabilis eſt Doctoratus ex vtroque Iure, quem hoc anno *Arnoldus Rathius* ſenior, quadraginta quinque annorum Profeſſor octo candidatis contulit. Erant hos inter tres Religioſi, iam antea Philoſophiæ in ſuis cœnobiis Profeſſores. Fecit ea res Doctori *Arnoldo* occaſionem publice ac inſigni & prolixo cum elogio differendi de Philoſophiæ laudibus, ac præcipue de illius neceſſitate ad Iurisprudentiæ ſtudium. Ob quam etiam cauſſam Collegium philoſophicum ſingulares eidem gratias per Decanum ſuum retulit.

Inſtitere autem ICti noſtri hoc etiam anno eidem ſeueritati, qua duobus abhinc annis cœperant ſtudentium vrgere induſtriam. Menſe Martio indixere affixo programmate ſolennem Iuris ſtudioſorum luſtrationem, nouamque inſcriptionem, in qua exceptarum lectionum rationes redderent. Grauiſſime offendebantur eo programmate ſtudioſi quidam Iurium; & res prope aberat a ſeditione; cum tamen ſcriptorum ſaltem luſtrationem quam inprimis ſibi ignominioſam putabant omitti viderent, & Profeſſores nouo programmate ſub grauiſſimis pœnis, abſentes in prima luſtratione, ad ſecundam euocarent, tandem omnes comparuerunt. Erat eodem anno *Carolus* quidam *Mauritius Teſta* Monacenſis, qui relicta Syntaxi, ad quam huc miſſus fuerat, iuridicas lectiones palam frequentare cœpit. Monitus ea de re *Loſſius*, Rector tunc Academiæ, mox hominem ad ferulam remiſit.

A. 1669. Par disciplinæ exactioris studium reliquos omnes Patres academicos accendit: accusati de negligentia in frequentandis lectionibus pœna carceris mulctati sunt: Illustribus quibusdam, qui in Festo Theophoriæ Processionem comitati non sunt, sed e fenestris illam spectarunt, contra, quam affixo programmate moniti erant, ea negligentia publice in Senatu est exprobrata: septem alii Illustres, qui studiosis Magistratui academico refractariis se consentire ostenderant, sex thaleris puniti sunt. Addenda hæc putaui, vt intelligant posteri, quid demtum sit deinceps libertati academicæ, quid additum.

Nec tamen exempla etiam meliora defuere: *Iosephus Wilhelmus Baro Königsfeldius*, æmulatus *Comitem Preisingium*, de quo supra, tentamen ac examen ex vtroque iure ita sustinuit, vt & ipse Doctoratus lauream, si tamen illam affectaret, omni iure esset meritus.

E Philosophorum nostrorum Collegio peregre mortuus est *Ioannes Damascenus Schaller* Ethices Professor; qui cum sub verni ieiunii initium arthritidis indicia non obscura ostenderet, ex Medicorum, & sua etiam ipsius sententia ad thermas Abacenses profectus est. Sed cum vires non attulisset tali medicinæ pares, ibidem duodecima post die extinctas, ac Biburgi, quo corpus postridie transferebatur, sepultus est.

A. 1670.

ANNO DOMINI M DC LXX.

Rect. CCCLXXXVI. IACOBVS STELZLINVS, Medic. Prof. III.

Rect. CCCLXXXVII. OSWALD. A ZIMMERN &c. Prof. S. Script. XIII.

Inscripti 141.

Nobiles, *Iac. Casp. Mich. a Frankenau*, Palat.
Ioan. Franc. Rembold, Eccl. Colleg. S. Maurit. August. Canonicus.
Ferd. Otto, *Rudolph.* } *Comites a Gatschin.*

Ioan.

A. 1670.

Ioan. Georg. Placid. a Kautten, Auſtriac.
Chriſtoph. Diſmas } *LL. BB. a Thann.*
Iudas Thaddæus }
Georg. Adam. Ignat. Comes a Martiniz.
Ioan. Ignat. Rechlinger, Patrit. Auguſt.
Ioan. Vdalric. } *Fyll* a Windach, Bau.
Anton. Guil. }
Georg. Chriſtoph. a Praunsberg, Ioſſenſ.
Wolfg. Erneſt. Pelkhouer, Amberg.
Georg. Chriſtoph. Ignat. Zeller, L. B. a Seybersdorf & Kleinſtetten.
Ioan. Euſeb. Criuelli L. B. de Gutto.
Ioan. Leonard. Frey a Schönſtein.
Albert. Frideric. } *Hörl* a Wattersdorf & Gruetthofen.
Benno Ignat. }
Georg. Chriſtoph. Stadler de Wolfersgrün, Amberg. Pal.
Ioſeph. Paris } *Comites a Roſenberg.*
Franc. Andr. }
Chriſtian. Trauers ab Ortenſtein.
Aloyſ. Bonauent. ab Altersbaim in Linſing & Oberarnbachhert.
Ioan. Franc. L. B. de Fränking.
Ioan. Samuel Borowansky de Borowan & Sterenfeld, Pragenſ.
Ioan. Achatius Spindler ab Hoffegg, Prouincial. Auſtr.
Rudolph. Ignat. Stain a Rönsberg, Feldkirch. Rhoet.
Wolfg. Andr. L. B. a Burkſtall, Karinth.

Nou. Prof. *Georg. Cammerer*, Landishut. Bau. S. I. Prof. Log.
Matthias Allerzhaimer, Frauenhof. Bau. S. I. Prof. Ethic.

Perinuitus & quaſi dolens accedo ad huius anni hiſtoriam deſcribendam, quæ non niſi bella iterum domeſtica legenda nobis offert, & tam pertinacia quidem, vt vigeſies ſexies congregari Patres academici ad plenum Concilium debuerint. De priuilegiis ſcilicet ſuis æmulabantur Academici, quæ ſibi a *Pienzenauio* Colonello (ita tum vocabant) in abſentia Illuſtriſſimi D. Gubernatoris circumcidi querebantur. Occaſionem toti con-

A.
1670. trouerſiæ videtur dediſſe ademta ſtudioſis libertas ambulandi cum bombarda extra vrbis portas; ex qua ſubin re nouæ ſemper tricæ enatæ ſunt. Multo autem magis irritati fuere academici, cum de nocte, quotquot deprehenſi ſunt ſtudioſi (fuere autem aliquam multi) fuſtuario exciperentur a militibus. Altero mox die affixum legebatur ſchediaſma, quo ſtudioſi omnes non ad vitanda ſolum Collegia publica & priuata, ſed ad deſerendam ipſam hanc vrbem excitabantur. Vnius audacia eo progreſſa eſt, vt omnium ſtudioſorum nomine ad Sereniſſimum Ducem Neoburgicum literas daret, quibus eundem ad occupandam vrbem hanc ſolicitabat; trecentis tantum militibus ad eam rem opus eſſe, ſcribebat, reliqua ſe, ſtudioſos, præſtituros. Subriſit ad eas literas Dux, ac mox illas Sereniſſimo Electori noſtro transmiſit. His tandem permotus Sereniſſimus Commiſſarios huc deſtinauit, Comitem *Törringium*, Doctorem *Giggenbachium*, & Doctorem *Williſonium*. Hi nona Martii die ad nos delati, rem ſerio mox agere. Præcipuos quosque tumultuum iſtorum vel auctores, vel auctorum fautores in arce, armato ad cuiusque cubiculum diſpoſito milite coercebant; nec omittebant quidquam, quo vel famoſi ſchediaſmatis, vel Epiſtolæ proditoriæ, vel horum omnium reos inueſtigarent, ſed vt poſtea comperimus, omnia in caſſum. Vigeſima dicti menſis Martii ex mandato Sereniſſimi Electoris tres illuſtres ex prima nobilitate Academici in pleno Concilio, præſentibus etiam Commiſſariis dimitti ab Vniuerſitate debuerunt. Alius quidam e Comitum numero, in quem Epiſtolæ Neoburgum perſcriptæ ſuſpicio cadebat, iam antea ex vrbe & Prouincia noſtra diſceſſerat. Demum vigeſima ſecunda conuocati affixo programmate in Aulam Albertinam Studioſi omnes, qui & frequentes omnino comparuere. Habita ibi a Commiſſariis Oratio, qua ex mandato Sereniſſimi Electoris de nimia licentia acriter obiurgati, & de ſuo officio admoniti ſunt. Verba fecit *Giggenbachius* idiomate patrio, quem in eundem ſenſum idiomate academico, mandato Sereniſſimi, ſequi iuſſus eſt *Arnoldus Rathius*, iuridicæ Facultatis tunc Decanus. Poſt meridiem eiusdem diei Commiſſarii Monachium rediere: nobis vero, ſeu potius Studioſis noſtris portæ vrbis iterum patuere, quæ a primis horum

horum tumultuum initiis omnibus erant occluſiſſimæ: Vtor vo- A. 1670.
ce in actis expreſſa. Superſuere etiam poſt hæc reliquiæ quædam rixarum ſtudioſos inter ac milites; ſed has Illuſtriſſimus D. Vrbis Gubernator, qui 9. Aprilis Monachio rediit, ſuo aduentu, ac ſua vnius auctoritate penitus videtur extinxiſſe. Gemina deinceps decreta Electoralia in hac ſtudioſorum cauſſa ad nos peruenere. Primum menſe Iunio, quo imperabatur omnibus cum Academiæ tum magiſtratus ciuici ſubditis, vt nulli poſthac conuictorum ſuarum domuum claues concederent, conceſſas autem aliquando mox repeterent. Alterum menſe Auguſto, quo mandabatur 1. vt omnibus ſtudioſis, ſine vllo diſcrimine, idque tam de die quam de nocte, adimeretur omne prorſus genus armorum. 2. Dabatur poteſtas militibus, vt ſi quem ſtudioſum noctu poſt ſignum e turri ciuitatis campana datum, quod vulgo *Huſſaus* dicunt, in platea deprehenderent, eum poſſent, ac deberent etiam ad communem militum cuſtodiam deducere, poſtero die ſiſtendum ſuo, nempe academico Magiſtratui. Super huius decreti rigore deliberatum eſt in pleno Senatu, concluſumque plurium votis, petendam eſſe ſupplicibus litteris illius mitigationem. Et vero ſecutum eſt paulo poſt reſponſum Sereniſſimi, quo permittitur ſtudioſis geſtare gladios, alias non prohibitos.

In his Academiæ turbis res tamen literaria pulcherrime floruit, inter ipſos adeo nobiliores Academicos. Tres in arena philoſophica Athletas ſpectauimus, non ſanguine magis, quam doctrina conſpicuos. Primus menſe Maio præclare diſputauit *Carolus Guilielmus ab Armansberg*, cui præter alios cum inſigni commendatione argumenta contraria oppoſuit *Ioannes Chriſtophorus L. B. de Mändl a Deutenhofen* Metaphyſices & Iurium Studioſus, qui & ipſe paulo poſt, 20. ſcilicet Iunii Theſes philoſophicas de natura & perfectione mundi eximie prorſus defendit. Tertius Metaphyſicæ pariter & Inſtitutionum Imper. ſtudioſus menſe Decembri in pugnam inſigni cum laude deſcendit *Georgius Carolus ab Ezdorf*, elegantiſſimo propoſito emblemate. Erat locus diſputationis tota die auditoribus refertus; & mane, raro admodum exemplo, tredecim Illuſtres eidem interfuere.

Ada-

A. 1670. *Adamus Aigenler*, Linguæ ſacræ & Matheſeos Profeſſor hoc anno Fundamenta Linguæ Hebraicæ in duodecim tabulas diſtincta Facultati theologicæ dedicauit; quæ ob honorem ſibi delatum duodecim illi Philippæos ex ærario ſuo donauit; ſimulque 24. earum tabularum exemplaria in bonum pauperum Theologiæ ſtudioſorum coemi ac compingi curauit.

Opera ac beneficentia Facultatis philoſophicæ collatum fuit hoc anno alterum ex ſtipendiis Hungerianis *Chriſtop. Klingensberger*, Frontenhuſano, Phyſicæ Studioſo, qui 20. Octobris huius anni matriculæ academicæ fuit inſcriptus. Aemulum habuit pro eodem ſtipendio *Melchiorem Gigl* Monacenſem; ſed Facultas philoſophica, dum Patrum academicorum vota colliguntur, omnes reliquos atteſtatione ſua in *Klingensbergerum* inclinauit, quaſi iam tum præſcia, quantum is in virum eſſet euaſurus.

Eiusdem Senatus academici ſuffragiis concluſum, vt *Ioannes Fridericus Carls* SS. Theol. Lic. & Collegii Georgiani Viceregens (Catalogus Licentiatorum SS. Theol. & Acta eiusdem ſacræ Facultatis ad 1669. Regentem dicunt) præſentaretur Reuerendiſſimo Ratisbonenſi pro adeunda Parochia Schaumhauptenſi; quam præſentationem & ſupplici libello petebat, & ſeſe magnis promiſſis offerebat ad eam parochiam inſigniter excolendam, aduocato etiam quandoque in ſubſidium alio Sacerdote, cuius opera tum Schamhauptenſi, tum Pondorfenſi Parochiæ ſatisfieret.

Funus Academia vnicum hoc anno extulit lectiſſimæ ſcilicet Coniugis Doctoris *Loſſii*, SS. Canonum Profeſſoris; ad quod cum pridie affixo programmate Academici omnes, & ſinguli Profeſſores per Pedellum inuitati eſſent, omnes etiam comitati illud ſunt.

A. 1671.

ANNO DOMINI M DC LXXI.

Rect. CCCLXXXVIII. ANT. CROLLALANZA, Inſt. Prof. ord. IV.

Rect. CCCLXXXIX. IGNAT. RATH. Inſt. Prof. ord. II.

Inſcripti 127.

Nobiles, *Franciſcus Gaſſer* a Straſsberg.

Ioan.

A. 1671.

Ioan. Wolfg. a Leublfing.
Franc. Ioach. L. B. a Donrsberg.
Adam. Ignat. L. B. de Mändl a Deutenhofen.
Ferd. Paul. Erneſt. Maximil. Comes de Berlo.
Ioan. Adolph. L. B. Wolf Meternich &c.
Otto Ferd. Leopold. L. B. de Fitſchen, Bohem.
Ioan. Max. Henric. } *ab Hörwarth* & Hohenburg.
Ioan. Franc. Carol. }
Bernardin. Dominic. a Linden in Göttersdorf.
Carol. Sigism. Wortmann a Berge.
Maximil. Chriſtian. Schrenk a Nozing, Amberg.
Ioan. Mich. Poſchinger ab Anzenberg, Boi.
Adam. Erneſt. Goder, Ramsdorf.
Georg. Andr. L. B. a Gaisruck, Carinth.
Franc. Dominic. a Laupheim.
Sigiſm. Ioſeph. } *Fugger*, Comites a Bobenhauſen.
Ioan. Rudolph. }
Ioan. Andr. Scheibl a Turnſtein.
Georg. Guil. Köckh ab Hötzing, Palat.
Ioan. Troier, Tirol.
Ioan. Albert. a Leublfing, Kötztingenſ.
Ioſephus Sterzinger, Brucenſ. Tyrol.
Carol. Dominic. Endrizius de Cilla, Tyrol.
Georg. Euerhard. de Miltenburg.
Ioſephus Comes Archintus, Abbas Mediolan.
Ludouicus Comes Archintus, Mediolan.

Nou. Prof. *Ioan. Chriſtoph. Kerl*, SS. Theol. Doct. & Controu. Fid. Prof. ord.
Iacobus Illſung, Halenſ. Tirol. S. I. SS. Theol. Doct. & Theol. moral. Prof. ord.
Ioan. Henric. Scheifler, Phil. & Medic. Doct. Sereniſſ. Elect. Conſil. & Prof. Medic. ord.
Raymund. Maria Piſtorinus, Phil. & Medic. Doct. Sereniſſ. Elect. Duc. Bau. Conſil. Perſonæ Medicus, & inclytæ Ingolſtad. Medicinæ Chirurgiæ, & Anatomiæ Prof. primarius.
Fridericus Ininger, Landishut. Bau. S. I. Prof. Phil.
Nicolaus Choullat, Bruntrut. Raurac. S. I. Prof. Ethic.

A. 1671. Nou. Doct. *Caſpar. Mayr*, Vilsbiburgenſ. *Iur. Can.*
M. Franc. Boiſſel, Landishutanus, Sem. Cleric. in comm. viventium Regens.
Ioan. Samuel Barowansky, Bohemus.
Georg. Rueſs, Rudolphswert. Carniol.
M. Ioan. Chriſtoph. Oſwald, Riedenſ. Boi.
Andreas Faurad, Belleuenſis Sabaud.
} *Vtr. Iur.*
M. Ioan. Ferd. Feldtmayr, Amberg. Palatin. ibidem Vrbis Phyſicus.
Ioan. Thomas Schlichtinger, Monacenſ.
M. Franc. Müller, Neoſtad. Boi.
Balthaſar Baur, Monacenſ. Boi.
M. Seruilianus Sutor, Eluacenſ. Sueu. Wiſenſteigii Phyſicus.
M. Georg. Schreiber, Iberling. Sueuus.
} *Medic.*

Solito maiores hoc anno viciſſitudines ſubiit Academia ex mutationibus Profeſſorum, quæ in ſingulis Facultatibus acciderunt. Vt a theologica initium ducamus, diſceſſit a nobis 26. Iulii *Franciſcus Iacobus Zadler* SS. Theol. & I. V. Doctor, Controu. Fidei Profeſſor, & Parochus ad Virg. Spec. vocatus ſcilicet Friſingam ad Canonicatum cathedralem & Vicarii Generalis Officium. Ex Clementiſſimo Sereniſſimi Electoris decreto in cathedra Theologiæ polemicæ eidem ſucceſſit *Ignatius Chriſtophorus Kherl* SS. Theol. Doctor. Cumque idem Senatui academico ſupplicaret, vt pro Parochia academica nominaretur, omnium calculo eius precibus ſubſcriptum eſt. Habuit is 26. Octobr. ſuum principium ſolenne, in quo ſolide diſcuſſit grauem illam quæſtionem, *An vnusquisque in ſua Religione poſſit ſaluari?* Menſe Decembri non e Collegio tantum theologico, & Academia, ſed ex ipſa adeo Europa abiit *Beatus Amrhyn* Lucernas Heluetus, Theologiæ Scholaſticæ vltra quinquennium Profeſſor, qui *varia literatura* (verba ſunt Elogii in Auditorio theologico eius memoriæ inſcripti) *ſuauitate & innocentia morum omnibus amabilis, poſt traditas præclariſſime multis annis in hac Vniuerſitate Philoſophicas & Theologicas diſciplinas, ſalutis Indorum, Deique amore ſuccenſus, a Theologica Cathedra iter in Chinam intendit; ſed in Indico Oceano anno 1673. ætatis ſuæ 41. ſalutis portum intrauit, dum ex contage ægris in naui ſeruiendo, ſancte occubuit, vna cum ſocio idem agente P. Adamo Aigenler Tyrolenſi Tramienſi,*

excel-

A.

excellentiſſimo Matheſeos hic & ſacræ Linguæ Profeſſore, naturæ & gratiæ 1671.
dotibus inſtructiſſimo, anno ætatis quadrageſimo. Virorum apoſtolici Spiritus occaſum luxit Aſia & Europa, ſiue Orbis vterque. Dedit his tanquam bene de ſe meritis Facultas theologica ex vnanimi conſenſu 50. florenos pro viatico; quibus alios ſex & triginta addidit Facultas philoſophica. Vniuerſitatis autem nomine donatus *Aigenlero* curſus Mathematicus *Caramuelis*, qui conſtitit 17. florenis.

Longius iter, ſcilicet æternitatis 25. Maii ſub quintam matutinam ingreſſus eſt ICtus fere iubilæus *Arnoldus Rath*, I. V. Doctor, Codicis Profeſſor Ordinarius, Sereniſſimorum Electorum Colon. & Bau. Conſiliarius, Præfectus in Gerolfing &c. magnum huius Vniuerſitatis ornamentum, quam per continuos 49. annos cum docendo, tum ſcribendo illuſtrauit. Eius funus 27. Maii maxima pompa ad Templum B. V. deportatum, confluentibus ingenti numero non Academicis tantum, verum & ciuibus pene uniuerſis, ac retro altare ſummum terræ mandatum eſt, hoc inſcripto epitaphio: *Scire cupis viator, ecquis hoc tumulo iaceat? Arnoldum Rath adi. Illum adiere hactenus, quotquot ſcire cupierunt, nec immerito. Inter ICtos conſultiſſimum orbis habuit, docendi munere dimidium pene ſeculum. Nominis magnitudine æternitatem impleuit, in Deum & homines pius, omnes iuſtitiæ leges abſoluerat, cum ſenem emeritum mors rigidior actione depoſiti conuenit, ne imparatum redderet. Ergo vt ſuum eſſet cuique, corpus telluri, animam cœlo dedit A. MDCLXXI.* In commemoratione diei ſeptimæ Orationem funebrem, eamque elegantiſſimam defuncto adornauit *Ioſephus Frankius* Metaphyſicæ Profeſſor. In triceſima vero egregie de eius laudibus perorauit ipſe Magnificus Vniuerſitatis Rector *Ioan. Ant. Crollalanza.* Monimenta literaria ab *Arnoldo Rathio* nobis hæc ſunt relicta: *Aſſertiones ſponſalitiæ & matrimoniales*, an. 1624. *De Contractibus;* Item *de Teſtamento ſolemni*, an. 1627. *De pœnis ſecundarum Nuptiarum*, 1628. *De his qui teſtamenta facere poſſunt*, 1629. *De potiſſimis quibusdam Iuris communis & certarum Conſtitutionum Bauariæ, vulgo Landrecht inſcribi ſolitarum, conferentiis*, 1632. *De Vſucapionibus & Præſcriptionibus*, 1640. *De continuatis Iuris Romani & Boiarici differentiis*, 1642. *Tractatus de Depoſito*, 1644. *De potiſſimis Iuris Rom. & Boiar. quoad proceſſum edictalem differentiis*, 1645. *De Senatus conſulto Velleiano* tres Partes; Item *de Damno iniuria dato*, 1648. *De ſecundis Nuptiis*, duæ partes, 1650. Tertia pars 1652. *De Rei vindicatione*, 1651. *Quæſtiones illuſtres ex di-*

A.

1671. *uersis I. V. materiis*, 1652. *De contrahenda emtione*, 1653. *De rescindenda venditione*, 1654. *De Senatusconsulto Macedoniano*, 1655. *De rebus creditis*, 1657. *De Euictionibus*, 1660. *Tractatus theorico-practicus de Actionibus*, 1669. *De Interdictis ad ordinem Instit. Imperial.* 1670.

Facultati medicæ, & Academiæ & toti Bauariæ Aprili mense valedixit *Rudolphus Albrecht*, Medic. Doct. & ord. ab an. 1664. Professor, Vir artis medicæ peritissimus. Discessionis causſam eam inuenio fuisse, quod annuum ipsi stipendium non sufficeret. Ellwacum autem abiit *Albrechtus*, ciuitatis ibidem Physicus futurus. Scribit *Grienwaldius in Albo Bauariæ Iatricæ*, Principis etiam & Capituli ibidem Medicum fuisse, magnique ab omnibus habitum, ac anno 1675. pie mortuum. Eius *Historia medica de Hæmopthysi per modum Consilii*, & alia passim exstant apud *Phil. Iac. Schönfelderum Historiarum & Curationum medicarum* L. 1. pag. 89. 166. & 169. Item *Consilium Medicum MStum de Hypochondriaca Passione cum dolore capitis chronico varie infestante*, item *oris, epilepticorum instar conclusione: dentium stupore, aliisque symptomatis hypochondriacis*, recensetur apud *Franc. Ignat. Thiermayr* L. 5. c. 5. *Consultat. & Scholiorum Medic.* quæ asseruantur Monachii.

Rudolpho Albrechto in cathedra Institutionum medicarum succeſſit *Ioannes Henricus Scheiſerus* Monac. Bau. Phil. & Medic. Doctor, Sereniſſimi Electoris Bau. Consiliarius & Medicus Aulicus, *Ioannis Scheiſeri* Medici pariter Electoralis cubicularii filius. Habuit suum Principium solenne 27. Aprilis.

Denique ad eandem Medicorum Facultatem mense Nouembri accessit *Raymund. Maria Pistorini* Med. Doct. Sereniſſ. Elect. Bau. (alibi inuenio, Sereniſſ. Electricis Bau.) Medicus cubicularius, & Medic. Prof. primarius; qui & ipse die 14. dicti mensis Nou. solenne principium habuit. Aegre is ferebat, quod Decanus & Senior Collegii medici primum ei locum non cesserint. Re ad Sereniſſimum perscripta, responsum est, vt Doctor *Pistorini* sequeretur quidem Decanum Facultatis, præcederet autem reliquos.

De *Adamo Aigenler* Matheseos per quadriennium hic Professore, qui ex Facultate philosophica vna cum *Beato Amrhyn* in Sinas abiit, supra relatum est. Illud addamus de eadem Facultate, missum fuisse a Camera Electorali decretum ad Senatum academicum, vt inquireret & Monachium referret, quando, & qua

ratio-

A.
1671.

ratione fuerit introductum, vt a Camerario Academiæ ſingulis annis Facultati Artiſticæ 80. floreni penderentur; item quos in vſus pecunia illa inſumeretur. Communicato cum Philoſophiæ Profeſſoribus decreto, hi ſummatim ſcripto reſponderunt, illos 80. florenos anno 1613. a Sereniſſimo Principe MAXIMILIANO Facultati Artiſticæ fuiſſe aſſignatos in eum finem, vt ex iis vna cum pecunia, quam ſingulis annis ex Baccalaureorum & Magiſtrorum gradibus colligeret, fabricam Gymnaſii ſartam tectam ſeruaret, aliasque expenſas v. g. pro Comœdia, præmiis &c. ſuſtineret; atque has quidem expenſas tantas eſſe, vt pro iis ægre ſufficiant prædictæ pecuniæ. Ad eam reſponſionem nihil deinceps motum. Diſputatum eodem anno fuit ex Philoſophia, libello typis edito a *Ioſepho Frankio* Metaphiſicæ Profeſſore. Annexas theſes philoſophicas defendit *Bartholomæus Adrianus L. B. de Liechtenau*, ob inſignem doctrinam plurimum laudatus.

Allatum eſt Decembri menſe Monachio decretum Electorale, quo conferebatur officium Regentis Collegii Georgiani *Michaeli Kottmayr* Præfidi Clericorum ſecularium in commune viuentium. Super ea cauſſa congregati Patres academici informandum putarunt Sereniſſimum de Iure præſentandi ad Academiam pertinente, ſimulque petendam declarationem, an per hoc decretum voluerit Sereniſſimus conferre hoc munus *Kottmaro* cum poteſtate delegandi, quemadmodum ipſe iam petiiſſet, vt adminiſtratio Collegii ſuo loco Doctori *Franciſco Poiſsl* traderetur.

Duo adhuc capita memoranda veniunt, quæ etſi ſtricte academica non ſint, nonnullam tamen habent connexionem cum re academica. Primum *Canonizationem* attinet S. FRANCISCI BORGIAE, tertii Generalis Soc. IESV, ad quam celebrandam Vniuerſitas noſtra ita concurrit, vt præcipuam aliquam viſa fuerit habere partem. Certo non contenta ferias a lectionibus ordinariis indixiſſe per octiduum eius ſolennitatis, peculiarem etiam diem, ſecundum ſcilicet, ſuis religionibus proprium eſſe voluit, litante ad aram Procancellario; &, quod prorſus ſingulare eſt, Statuam argenteam pectoralem S. BORGIAE quatuor Facultatum ſumtibus confici curauit, pretio 196. florenorum. Proceſſionem etiam per primaria Vrbis templa deductam comitati ſunt Patres academici, præſente, & ritu pontificio, primo quidem die, ſacra omnia adminiſtrante Reuerendiſſ. Proepiſcopo Eichſtettenſi, qui & al-

A.
1671. tero adhuc die, cum Patres academici omnes in Collegio Societatis conuiuio exciperentur, ob veterem cum illis neceſſitudinem nobiscum permanſit.

Alterum, quod & hiſtoriam huius anni & alteram horum Annalium partem claudat, eſt mors *Sebaſtiani Denichii*, Epiſcopi Almirenſis, Suffraganei Ratisbonenſis, plurium olim Eccleſiarum Cathedralium, Conſtantienſis, Ratisbonenſis ac demum Auguſtanæ Canonici & Senioris, Sereniſſimi Electoris Bau. Conſiliarii &c. Obiit Auguſtæ Vindelicorum die 6. Decembris, anno ætatis 75. Sacerdotii 50. ſepultus ibidem in communi conditorio Collegii Societatis IESV. Natus erat patre *Ioachimo Denichio*, celebri apud nos ICto: Abſolutis in Academia noſtra ſtudiis Philoſophiæ, ex qua etiam publice inſigni cum laude diſputauit, & recepto Artium Magiſterio Italiam inuiſit, ac Theologiæ Doctor Bononiæ creatus, Romæ primam DEO hoſtiam obtulit in ipſa S. Petri Apoſtolorum Principis Baſilica. Redux in Patriam, factus Ratisbonæ Canonicus, difficillimis belli temporibus rem ibidem eccleſiaſticam, Clerumque per Diœceſin pene vnus & ſolus rexit ac ſuſtentauit; Cathedralis Eccleſiæ Decanus, vnaque Vicarius Generalis in ſpiritualibus, primum, dein etiam in pontificalibus, conſiliorumque in Conſiſtorio Præſes, Vir qua rerum peritia, qua laborum continua indefeſſaque tolerantia nulli ſecundus. Triginta omnino & nouem annos his in curis ac laboribus Ratisbonæ conſumſerat, cum quietis appetens, vt Deo ſibique iam viueret, Auguſtam ſe contulit, vbi vltimum vitæ decennium exegit. In ſupremæ voluntatis diſpoſitione Collegium Societatis IESV Ingolſtadienſe hæredem ex aſſe inſtituit: Item fundauit duo Beneficia manualia pro duobus Presbyteris Theologiæ ſtudioſis, aſſignando cuilibet 125. florenos; Miſſas matutinas per Aduentum (*Rorate*) in templo academico decantandas; ac denique Anniuerſarium pro Denichiana Familia in eodem templo. Quibus certe rebus perbreuem hanc in Annalibus noſtris memoriam videtur fuiſſe promeritus.



